

TRACTATUS DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

Nomen & definitio Incarnationis.

VARIIS nominibus donatur hoc ineffabile Mysterium, tum in Scripturis sacris, tum apud sanctos Patres & Græcos & Latinos; dicitur enim œconomia, attemperatio, dispensatio, susceptio, assumptio, inhumanatio, incorporatio, commixtiō, unio, unitio, unio hypostatica, Verbi apparitio, & quod clarius Mysterii naturam explicat, *Incarnatio*. In hoc enim Mysterio hoc potissimum spectatur, quod Verbum divinum est in carne, *Verbum caro factum est*: non permutationem quidem substantiæ, sed per veræ carnis assumptionem.

Incarnatio itaque recte definitur, unio naturæ humanæ cum divina inuna Verbi divini persona. Scilicet summa hujus Mysterii tota in eo posita est, quod in Christo seu Verbo incarnato duæ agnoscantur naturæ, divina videlicet & humana, in una tamen persona, quæ Verbi divini est, uti asseverant Patres Calcedonenses in definitione fidei his verbis: *Sequentes sanctos Patres unum & eundem confiteri Filium Dominum nostrum Jesum Christum consentientes omnes docemus, perfectum eumdem in divinitate & perfectum eundem in humanitate, Deum verum, & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice, secundum humanitatem unum eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum in duabus naturis, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum.*

Hanc Concilii definitionem præmittimus in fronte hujusce Tractatus, quia breviter ac summatim complectitur totam Mysterii rationem. Nimirum Christum credimus esse simul vere Deum & vere hominem, æqualem Patri secundum divinitatem, & Patre minore secundum humanitatem; credimus illum esse Dei Filium ab æterno genitum in sinu Patris æterni, ipsique vere consubstantialem; incarnatum fuisse in tempore, hoc est, in utero beatæ Mariæ Virginis de Spiritus sancti operatione hominem factum, & quidem verum & integrum hominem, in quo sit vera caro & vera anima rationalis. Hunc tamen dicimus unum, non duplicem; unum, inquam, in persona & hypostasi; quatenus, ut mox explicabitur longius, natura humana in Christo non est persona, sed in eo manet solum persona Verbi divini. Priusquam autem hæc omnia singillatim exponamus, operæ pretium erit ipsam Incarntionis existentiam stabilire.

Existentia Incarnationis.

ALiter proponitur ista quæstio, & quæritur num peracta pridem fuerit Incarnatio; vel utrum Messias etiamnum

expectatus a Judæis, dudum venerit; vel denique utrum Christus seu Jesus Mariæ filius sit verus Messias: hi enim modi proponendæ quæstionis ad unum revocantur.

Rem porro habent Catholici in hac celebri controversia cum triplici hominum genere.

1. Cum Ethnicis qui hoc nostrum catholicum dogma absurdum & impossibile reputant: futurum cum ejusmodi hominibus congressum remitto ad Tractatum *de Fide*, cum Religionis Christianæ veritatem propugnabimus, Christum itidem esse verum Messiam, vere Deum & hominem demonstrabimus; quamquam interim certum sit validissima etiam esse adversus Ethnicos illa argumenta, quæ modo urgebimus contra Judæos, sumpta ex Prophetiis antiqui Testamenti in Christo adimpletis; quatenus nempe constat illas non fuisse a Christianis confictas, utpote quæ summa religione servantur a Judæis fidei nostræ hostibus infensissimis, adeoque earum antiquitatis & veritatis testibus haud suspectis. Aliunde vero in confesso est apud omnes unum Deum futura prædicere; quo fit ut Christum Dominum a veteribus Prophetis tam aperte annuntiatum, vere a Deo missum nemo sapiens & cordatus negare possit.

2. Quæstio hic agitatur adversus hæreticos prope innumeros, quorum iterum duplex distinguitur genus; alii enim catholicum Incarnationis dogma funditus evertunt, cujusmodi sunt Sociniani aperte negantes Christum ex duabus naturis in una persona compositum; alii autem qui specie videntur Incarnationis Mysterium agnoscere, in illud tamen gravissime errant, suo quique modo; quales Nestoriani qui duas admittunt in Christo personas; Eutychiani qui unam dicunt esse naturam; Monothelitæ unam voluntatem; & ita de cæteris, quos in decursu hujusce Tractatus suo loco impugnabimus; nunc agendum est in Socinianos.

3. Demum controversia movetur adversus Judæos qui Messiam jamdudum venisse intelligere nolunt, nec eum desinunt sperare venturum; unde hoc nostrum Incarnationis Verbi divini dogma catholicum in persona Christi Domini velut meram stultitiam rident atque condemnant.

Asseritur Incarnatio Verbi divini contra Socinianos.

AGgredimur nominatim Socinianos, quod recens variis argumentis & sophisticis rationibus Verbi Incarnationem impugnarunt. Non me latet antiquissimas fuisse hæreses hominum impiorum qui primis Ecclesiæ sæculis idem profitebantur cum recentioribus istis hæreticis, Christum scilicet merum esse hominem natum ex Maria & Joseph; & ideo fictitium esse quod docent Catholici, Verbum Dei esse incarnatum: hanc impietatem publicarunt Cerinthiani, Ebionitæ, Carpocratiani, Samosateni & alii quamplures.

CONCLUSIO.

Verbum Dei vere fuit incarnatum.

Validissimum in eam rem depromitur argumentum ex capite primo S. Joannis, ubi verbis expressissimis docet Evangelista Christum Deum esse simul & hominem, ita ut idem vel eadem persona utramque hanc habeat naturam divinam & humanam. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est .... & Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Apertissimus est iste locus, nam si bona fide & juxta sensum cuilibet obvium explicetur, testatur S. Joannes in principio fuisse Verbum, hoc est ab æterno extitisse; & quod nullum cavillandi locum relinquit Socinianis, qui hæc verba exponunt

nunt de initio novi testamenti, statim additur, hoc Verbum quod in principio erat, fuisse Deum, *& Deus erat Verbum.* Et ne ulterius tricari possint & dicere nonnisi propter excellentem dignitatem & functionem, & ad quam ex omni æternitati a Deo destinatus est Christus, appellari Deum, subdit illico Evangelista: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Quasi dicat Verbum illud esse Deum, non metaphorice & propter dotes quasdam divinas, sed verum & summum Deum qui creavit cœlum & terram, qui quidem Deus ab æterno existens, tandem aliquando factus est homo; *& Verbum caro factum est.*

Quapropter facile non intelligitur qua fronte Socinus dicat nullum extare testimonium in divinis litteris, quo probari possit Deum semel incarnatum. *Ne uno quidem in loco*, inquit in disputatione de Christi natura *stupenda isthæc Dei metamorphosis obscure significata deprehenditur; quo fit ut ejus assertores non claris divinarum litterarum testimoniis, imo ne testimoniis quidem ullis, sed potius meris quibusdam consecutionibus sententiam astruere conantur.* Non potuit enim Evangelista verbis clarioribus & expressioribus declarare eundem esse simul Deum & hominem, quod quidem hoc nostrum Incarnationis dogma manifeste denotat.

Atque id abunde confirmatur ex eo quod S. Joannes suum scripsit Evangelium ea mente ut impium confutaret Cerinthum, qui cum non nullis aliis hæreticis Christum volebat merum esse hominem, Joseph & Mariæ filium ad instar cæterorum hominum; quemadmodum testatur sanctus Irenæus autor pene coetanæus; sic enim habet l.3.c.11. *Hanc fidem annuntians Joannes Domini discipulus, volens, per Evangelii annuntiationem auferre eum qui a Cerintho inseminatus erat errorem, & multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitæ ... omnia igitur talia circumscribere volens Discipulus Domini, & regulam veritatis constituere in Ecclesia, quia unus est Deus omnipotens qui per Verbum omnia fecit, & visibilia & invisibilia, significans quoque per Verbum, per quod Deus perfecit conditionem, in hoc & salutem his qui in conditione sunt, præstitit hominibus; sic inchoavit in ea quæ est secundum Evangelium doctrina: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt ... quod Verbum* (inquit) *caro factum est, & habitavit in nobis: secundum autem illos neque Verbum caro factum est, neque Christus.* Ex quibus perspicuum maxime est & virum hunc apostolicum nostro illo sensu præfatum locum Evangelistæ interpretatum, quatenus catholicum Incarnationis dogma exhibet de Verbo divino per quod omnia facta sunt, & quod caro factum est: & jam certo constare, quidquid in oppositum dicat Socinus, adversus Cerinthum hujus Mysterii hostem infensissimum ab Joanne scriptum fuisse Evangelium.

Sunt autem alia Scripturæ testimonia quæ non minus aperte idem Incarnationis verbi divini Mysterium exhibent. *Magnum est pietatis sacramentum*, inquit Apostolus 1. ad Timoth. cap. 3 *quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Epist. ad Philippenses cap. 2. *Hoc sentite in vobis*, ait idem Apostolus, *quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Quæ quidem loca, uti & alia plane similia, cum Christum prædicant Deum manifestatum in carne, Deum in forma servi humiliatum, Incarnationem Verbi divini, ut nemo non videt, manifeste declarant. Quo etiam pertinent quæcumque alia Scripturarum testimonia in quibus affirmatur ex una parte Christum esse Deum, ex alia vero illum esse verum hominem.

His

His addo nonnulla veterum Patrum loca, qui primis Ecclesiæ temporibus vixere; siquidem germanus Scripturæ sensus colligi recte potest ex illorum Apostolicorum hominum interpretatione, fatente ipso Socino, qui Epist. 2. ad Rad. scribit, *Cognitionem vere essentiæ Dei, & personæ Jesu Christi sine ulla controversia usque ad tempora Concilii Niceni & aliquanto post, inter eos qui Christum profitebantur, esse non destitisse*. Multa jam adduximus in Tractatu de Trinitate, cum ostendimus Christum esse verum ac summum Deum; sed quædam alia hic subjungemus quæ ad præsens argumentum videntur magis accommodata, quod duplicem in Christo naturam humanamque a Deo susceptam astruunt, vel præfati testimonii quod ex Joannis Evangelio depromptum est, interpretationem nostram confirmant.

Testis primum est S. Ignatius, qui in prima Epistola quæ est ad Smyrnæos, duas Christo naturas tribuit his verbis: *Medicus unus est*, loquens de Christo, *& carnalis & spiritalis, genitus & ingenitus, seu factus & non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo*. Et Epist. 2. quæ est ad Magnesianos; *Quo unus Deus est*, inquit, *qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius æternum, non a silentio progrediens*.

Item S. Justinus Incarnationem quoque Verbi divini manifeste declarat Apologia prima, his verbis: *Ingeniti namque & ineffabilis Dei rationem ac Verbum secundum Deum & adoramus & complectimur, quoniam nostra causa homo factum est*. Tum vero Apologia 2. pag. 66. *Et quod*, inquit, *rationem & Verbum quod primum est genimen Dei, absque mixtione genitum esse dicimus, Jesum videlicet Christum magistrum nostrum, atque hunc crucifixum & mortuum*. Cui subjungimus testimonia Tatiani & Athenagoræ. Tatianus quidem Orat. contra Græcos ait, *Verbum a Patre genitum, Deum in hominis forma factum esse*. Et Athenagoras in Legatione pro Christianis affirmat *Dei Filium* coli a Christianis, cujus dotes explicat ex S. Joannis Evangelio, addens illum esse *Sermonem Patris, per quem omnia facta sunt*.

Sic & S. Irenæus, qui lib. 1. cap. 1. totus est ut Valentinianorum fabulas ex eo potissimum refellat, quod Joannis Evangelium ad fictitios Æonas, non ad Christum Dominum accomodare solebant. *Manifesta igitur*, inquit, *expositionis eorum transfictio; Joanne enim unum Deum exponente, & unum unigenitum Christum Jesum annunciante, per quem omnia facta esse dicit, hunc Verbum Dei, hunc unigenitum, hunc factorem omnium, hunc lumen verum illuminans omnem hominem, hunc mundi fabricatorem, hunc in sua venisse, hunc eundem carnem factum & habitasse in nobis*.

Et similiter S. Clemens Alexandrinus admonitione ad gentes, pag. 5. his verbis: *Hic ergo Verbum Christus, & ut nos olim essemus, erat enim in Deo, & ut bene essemus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus & homo... apparuit autem nuper qui prius erat servator; apparuit qui est, in eo qui est; quoniam Verbum quod erat apud Deum doctor apparuit per quod omnia sunt fabricata*.

Omnium vero inter illos veteres disertissime Verbi divini Incarnationem declaravit Tertullianus, lib. de Præscriptionibus cap. 13. his verbis: *Regula est autem fidei, ut jam hinc quid defendamus profiteamur, illa scilicet qua creditur unum omnium Deum esse, nec alium præter mundi conditorem qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum primo omnium demissum, id Verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei varie visum a Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex Spiritu Patris Dei & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum egisse Jesum Christum*. Quod idem profiten-

fitentur cæteri Scriptores Ecclesiastici, tum Græci, tum Latini, vel etiam Concilio Nicæno antiquiores, quorum testimonia jam habes exscripta tomo secundo hujusce operis, qui est de sanctissima Trinitate, & cum ipsam sanctissimam trium Personarum Trinitatem, & cum in alio loco supremam Verbi divinitatem demonstravimus.

Jam vero quod opponit Socinus, ut hoc nostrum Ecclesiæ Catholicæ dogma evertat, hic minime repetam; quæ enim majoris esse momenti nobis visa sunt, ea pridem refutata legere poteris in Tractatu nostro de SS. Trinitate mox citato. Omitto etiam respondere impræsentiarum nonnullis Socinianorum; argumentationibus e ratione petitis; eas paulo infra & nullo negotio diluemus, ubi Mysterii hujus possibilitatem defendemus.

Asseritur Incarnatio Verbi divini adversus Judæos.

COnsentiunt nobiscum Judæi Messiam olim fuisse a Prophetis pronuntiatum; sed quæstio est utrum jam advenerit; uti nos contendimus, qui hunc Messiam non alium esse putamus a Christo Domino Salvatore nostro. Hoc utique nunc ostendemus adversus Judæos ex variis antiqui Testamenti, vaticiniis; quod argumenti genus ex eorum veluti scriniis erutum, procul dubio respuere non possunt. Primum proferemus vaticinium Jacob, ex quo palam fiet dudum venisse Messiam. Secundum erit vaticinium Danielis, quo quidem ipse clarius indigitatur Christus. Tertium momentum speciatim ex Isaiæ Prophetia eruemus. Quarto demum & alia quammulta vaticinia, quæ clare & aperte in Christo impleta sunt, breviter & summatim describemus.

Primum momentum petitur ex vaticinio Jacob.

COntinetur insigne illud vaticinium Geneseos capite 49. ubi Partriarcha Jacob morti proximus, quæ filiis suis eorumque posteris erant eventura, singillatim prædicit, hæcque de Juda speciatim profert: *Non auferetur sceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium*, quorum certe verborum hic germanus est sensus; *non auferetur sceptrum de Juda*, hoc est, quando penes Judæ posteros erit semel sceptrum, id est potestas, jurisdictio, quod paulo ante significaverat his verbis, *laudabunt te fratres tui;* quatenus videlicet Tribus tua inter alias Tribus fratrum tuorum primas tenebit, non auferetur illa potestas, immo *& dux de femore ejus*, id est, erit semper dominator qui auctoritatem publicam habeat de stirpe, ex lumbis & prosapia Judæ; *donec veniat*, id est, usquequo veniat, quoadusque venerit *qui mittendus est*, hoc est, excellens quidam ac magnus vir, Messias scilicet; *& ipse erit expectatio gentium*, quæ verba insuper denotant Messiam, quatenus significant ejus qui mittendus est potestatem in populos.

Unde argumentum sic adornari potest adversus Judæos. Sceptrum ibi dicitur non auferendum e Juda, donec venerit Messias, aut quod in idem recidit, Messias prædicitur venturus ante ablatum sceptrum e Tribu Juda: atqui constat jam pridem e Tribu Juda ablatum esse sceptrum; quia ab eversa potissimum Jerosolyma per Titum Judæi nullo potiuntur imperio, nulla ditione, nulla potestate, profugi & extorres per universum orbem vivunt, sine regno, sine Rege & Principe. Venit ergo Messias, & frustra hunc venturum expectant Judæi.

Objicies. Ex illo vaticinio Christiani nihil quicquam colligere possunt, adversus Judæos,

Judæos, cujus verba sensum plane ambiguum & ancipitem habent: sed hujus vaticinii singula verba sensum habent plane ambiguum & ancipitem; quod quidem constat.

Primo, quia hanc vocem Hebraicam *Iasour*, Christiani vertunt *auferetur;* quæ tamen aliquando significat *accedet*, ut constat ex 3. Exodi versiculo 5. ita ut vaticinii sensus sit, sceptrum non prius accessurum ad tribum Judæ, quam venerit Messias.

Secundo, vox illa *scheveth* significat *virgam*, non sceptrum; adeoque legitimus Prophetiæ sensus est, non auferendam esse virgam seu afflictionem e Juda, donec veniat Messias; unde promittitur tanquam gentium expectatio, tanquam liberator, *Et erit expectatio gentium*.

Tertio, vox Hebraica *ad ki* reddi potest ita ut *ad* significet *in æternum*, & *ki* significet *quando*; unde sensus hic erit, non recedet sceptrum de Juda in æternum, quando venerit Messias.

Quarto, vox *filo* quam vulgatus Interpres vertit *qui mittendus est*, significat *cui repositum est*, vel ut vertunt alii, *munera ei*, supple *deferent;* vel ut volunt nonnulli, *pacis*, supple *autor*.

Ergo nulla fides versioni qua Christiani solent istud vaticinium reddere; aut certe de singulorum verborum sensu liquido apud omnes non constat; proindeque nullum ex eo petere possunt argumentum adversus Judæos.

Nego min. & dico clare & liquido constare hanc versionem quæ usurpatur a Christianis, esse genuinam, si nimirum cum sinceritate legantur verba, & ad singula adjuncta, seu ad seriem contextus illius vaticinii sedulo attendatur.

Ac primo quidem falsum est hanc vocem Hebraicam *Iasour* significare accessum; vertunt enim omnes interpretes, *non auferetur*, vel *non recedet* vel *non deficiet*. Idque præsertim verissimum est, cum ei adjuncta est propositio *min*, quæ motum ex aliquo loco designat. Adde quod, si vaticinetur Jacob sceptrum non prius accessurum ad tribum Judæ, quam venerit Messias; inde sequitur jamdudum venisse Messiam; sceptrum enim fuit in Juda.

Ad secundum, revera *schevet* ad verbum idem est ac *virga*, sed virga ibi pro sceptro accipitur, non pro afflictione; tum quia jungitur cum duce, *& dux de femore ejus;* tum quia nonnisi fausta Judæ annuntiat Jacob, *Juda laudabunt te fratres tui;* tum denique quia constat Judæos non semper in afflictione fuisse, quorum contra imperium florentissimum fuit sub Davide, Salomone, &c.

Ad tertium dico neque *ad* reddi posse *in æternum*, nec *Ki* verti *quando*, cum id sit inauditum Interpretibus, neque hujusce rei exemplum proferri possit.

Ad quartum respondeo, quoquomodo vertatur vox illa *filo*, etiam ex præfatis in objectione interpretationibus, eandem semper manere vim argumenti: in hoc enim idem plane recidunt ut significetur excellens quidam & magnus vir multum expectatus, ideoque Messias, ut omnes pene ac singuli fatentur Judæi. Hoc autem verbum *filo* derivat vulgatus Interpres a *scalach*, mitto, ut vertit *qui mittendus est;* qua nota potissimum designatur in Scripturis Messias, ut Isayæ 16. *Emitte Domine agnum dominatorem terræ*. Aggæi 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus*. Et Matth. 11. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Instabis: Atqui licet genuina supponatur versio istius oraculi; tamen ex eo nihil colligere possunt Christiani adversus Judæos: ergo nulla solutio.

Probo sub. Modo sceptrum longe ablatum fuerit e Juda ante adventum Christi, quem Christiani dicunt esse Messiam; profecto nihil possunt ex isto vaticinio colligere adversus Judæos; siquidem in eo aperte prædicitur fore ut Messias venturus sit antequam sceptrum sit ablatum; dicitur enim non auferendum, donec veniat Messias, hoc est quoad venerit, quoadusque venerit Messias; atqui sceptrum longe ablatum est e Juda ante adven-

ventum Chriſti ſcilicet temporibus captivitatis Babilonicæ, ſexcentis aut circiter ante Chriſtum annis; cum nimirum Sedecias Rex Judæ captus a Chaldæis & catenis vinctus Babilonem deportatus eſt cum univerſo populo, quo tempore urbs Jeruſalem diruta eſt, templum exuſtum, ut habetur 4. Reg. c. 25. ita ut jam tunc nulla remanſerit apud Judæos poteſtas, nulla ditio, nullum ſceptrum: ergo.

Nego min. & dico ſceptrum ablatum non fuiſſe e tribu Judæ temporibus captivitatis Babilonicæ.

Primo, quia tam breve illud tempus, quod fuit ad ſummum ſeptuaginta annorum, nullius debet eſſe momenti, ubi de tali annorum numero agitur; quocirca intermiſſionem factam ſceptri, non extinctionem quivis cordatus æſtimabit ex hoc intervallo; cum præſertim per magnam illius temporis partem in Juda regnaverint Joachim, Jechonias & Sedecias.

Secundo, quia Judæi tunc temporis non omni carebant autoritate, qui ſaltem in ſuos poteſtatem vitæ ac necis retinuerunt, ut conſtat ex Daniel. c. 13. ſcilicet tunc vigebat ea poteſtas aut in principibus eorum, aut in Concilio Sanhedrin, ut opinantur nonnulli.

Tertio, quia per illud tempus captivitatis ſpem certiſſimam redeundi habuerunt Judæi, eaque finita captivitate, promovente Cyro magno Perſarum Rege, revera in patriam reverſi ſunt; reſtituta fuit quadantenus eorum poteſtas ſub Zorobabel de Tribu Juda Principe, forma Reipublicæ redintegrata, ut liquet ex lib. 1. Eſdræ cap. 7. *Tu autem Eſdra ſecundum ſapientiam Dei tui quæ eſt in manu tua, conſtitue judices & præſides, ut judicent omni populo.... & omnis qui non fecerit legem Dei tui & legem Regis diligenter, judicium erit de eo ſive in mortem, ſive in exilium, ſive in condemnationem.* Quæ poſtrema ratio inter præfatas alias potiſſima eſt ad probandum non defeciſſe ſceptrum Judæ temporibus captivitatis Babilonicæ.

Inſtabis. Reditus populi Judaici e captivitate Babilonica non probat Judæos priſtinam ſuam poteſtatem recuperaſſe, ſi modo conſtet eos nonniſi paucos tunc rediiſſe in ſuam patriam, ibique nullum habuiſſe Regem uſque ad Herodis tempora, hoc eſt per 450. annos aut amplius, & per id temporis continuo vexatos fuiſſe tum ab Ægyptiis, tum a Syris Regibus; adeo ut ſui juris nunquam fuerint, ſed illorum Regum tributarii & vaſſalli: atqui conſtat Judæos non ingenti numero rediiſſe Jeroſolymam, ibique continuo vexatos fuiſſe tum ab Ægyptiis, tum a Syris Regibus; legimus enim apud Joſephum Antiq. Jud. lib. 12. c. 1. Ptolomæum Soterum Regem Ægypti cepiſſe Jeroſolymam, & centum millia hominum traduxiſſe in Ægyptum: legimus lib. 1. Mac. cap. 1. & 2. ab Antiocho Rege Syriæ Jeroſolymam armis captam & templum expoliatum. Ergo reditus populi e captivitate Babilonica in ſuam patriam, non probat Judæos priſtinam poteſtatem recuperaſſe, adeo ut cenſeatur ſceptrum proprie remanſiſſe in Juda.

Atqui id aperte prædixerat Jeremias cap. 22. ubi ſic loquitur de Jeconia: *Scribe virum iſtum ſterilem.... nec enim erit de ſemine ejus qui ſedeat ſuper ſolium David & poteſtatem habeat in Juda.*

Nego minorem quoad ſingulas partes.

Ac primo falſum eſt nonniſi, paucos rediiſſe Judæos e captivitate Babilonica; numerantur enim Eſdræ 1. c. 2. *quadraginta duo millia trecenti ſexaginta, exceptis ſervis eorum & ancillis, qui erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem, & in ipſis cantatores & cantatrices ducenti.*

Secundo, quod dicitur Judæos nullum poſt captivitatem Babilonicam habuiſſe Re-

Regem, id probat solummodo ab iis nomen Regis non fuisse usurpatum, tametsi sceptrum, autoritatem & in suos imperium non amisissent, ut mox a nobis ostensum est ex lib. 1. Esdræ c. 7.

Quod autem tertio loco objicitur, continuo post reditum e captivitate Babilonica vexatos fuisse Judæos tum ab Ægyptiis tum a Syris; inde tantum colligi potest Judæos per aliquod breve tempus fuisse jure belli tributarios; non idcirco tamen sequitur ablatum fuisse regnum ab illa Tribu. Scilicet quoad primum objectionis caput Ptolomæus Philadelphus filius Ptolomæi Soteri Judæis libertatem restituit. Et quod spectat ad secundum, nemo nescit a Juda Machabæo profligatum fuisse ipsum Antiochum; adeoque ne imminutam quidem tunc temporis Judæorum potestatem.

Denique ad locum Jeremiæ, respondeo id solummodo prædicere Prophetam, fore ut nullus e filiis propriis Jeconiæ regnaturus sit in Juda; aliter enim falsa fuisset Jeremiæ Prophetia: nam post ipsum Jechoniam regnavit Sedecias ejus patruus, & post captivitatem Babilonicam Zorobabel Jeconiæ nepos.

Instabis. Saltem ablatum fuit e Tribu Juda sceptrum, quando longe ante Christi tempora hæsit summa potestas penes Machabæos qui erant de Tribu Levi, ut ex eo patet quod eorum pater Mathatias dicitur sacerdos l. 1. Machab. cap. 2. Ergo.

Respondent nonnulli Machabæos seu Assamonæos ad Tribum Juda pertinuisse e genere materno; quia, inquiunt, matrimonio jungi solebant Tribus Levi & Juda, ut colligitur ex lib. 2. Paralipp. cap. 22. Verum non arridet hæc responsio; neque enim verisimile est omnes Machabæos ex aliena Tribu conjuges semper sibi delegisse despecto proprio genere; cum præterea apud Judæos materni generis ratio habeatur nulla.

Respondent alii sceptrum non ablatum fuisse de Juda, tametsi imperium fuerit penes Machabæos, quia contendunt Prophetiam istam Jacobi non de peculiari Tribu Juda, sed de tota gente Judaica esse intelligendam. Sed hanc responsionem nihil soliditatis habere nemo non videt. Iacob enim singulis suis filiis in particulari quæ sibi suisque posteris eventura sunt, seorsim prædicit; adeoque hæc verba, *Non auferetur, &c.* ad solam Tribum Juda, non ad totam gentem Judæorum referri debent.

Respondeo itaque sceptrum dici merito permansisse in Tribu Juda quamvis Machabæi fuerint e Tribu Levi; quia nempe per sceptrum non intelligimus Regem sed potestatem, autoritatem, publicam administrationem, populum in aliqua Republica constitutum, legibus suis utentem: sed ista omnia permanserunt, in peculiari Tribu Judæ, etiam temporibus Machabæorum; principatus enim ille quem tenebant Machabæi in civitate & ditione pertinente ad Tribum Juda, ad id constituti ab ipsa Tribu Juda, secundum leges Tribus Juda, & quibus populum e Tribu Juda gubernabant; profecto pertinebat ad Tribum Juda, nec ad Tribum Levi transisse dicendus est: quemadmodum ad Gallos migrasse non dicitur regnum Polonicum, cum apud Polonos eorum nomine, in eorum patria & secundum eorum leges imperium tenuit Henricus Vallesius Gallorum Rex & de stirpe Regum Francorum.

Ad cujus rei confirmationem accedit quod Levitæ, seu viri de Tribu Levi, erant cæteris Tribubus permixti, suam non habebant ditionem nec distinctum nomen, unde dicebantur pertinere ad illam Tribum cujus erant Sacerdotes; adeoque Machabæi censebantur pertinere ad Tribum Juda; in quem sensum appellantur viri Juda lib. 1. Machab. cap. 5. his verbis: *Et viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel.*

Israel. Atque ita merito dici potuit solam Tribum Juda imperium tenuisse usque ad Christum; hæc enim sola Tribus, cæteris dudum dissipatis, nomen & potestatem retinuit, sola rempublicam constituit quoadusque venerit Christus.

Instabis. Non modo prædicitur hoc vaticinio non auferendum esse sceptrum e Tribu Juda, hoc est, potestatem, autoritatem, rempublicam, usque ad Messiæ tempora; sed & permansurum ducem ex eadem Tribu prognatum, qui regat populum: siquidem additur, & *dux de femore ejus* seu ex lumbis ejus, de stirpe eius, & ad litteram de inter pedes ejus. Atqui tamen, cum penes Machabæos fuit summa potestas, hi duces erant de Tribu Levi, non de Tribu Juda. Ergo.

Non est sane dissimulandum gravem admodum esse hanc difficultatem, quæ non parum plerosque Interpretes & Theologos divexat. Ingeniose quidem Petavius, quem multi sequuntur, hæc verba *de femore ejus* interpretatur *de inter pedes ejus*, aitque voluisse solummodo prædicere Jacobum fore ut Judæ posteritas sceptrum nunquam sibi avelli & eripi patiatur, quod veluti inter pedes suos & femora teneat firmiter, allusione facta leoni qui comparaverat filium suum Judam, *catulus leonis Juda*, quippe quam semel leo prædam arripuit, tenet ita inter pedes suos, ut ex iis avelli non sinat.

Volunt alii hæc verba, *& dux de femore ejus*, idem plane sonare ac ista, *& scriba ad pedes ejus*, quia vox Hebræa *Mechock* vertitur a plerisque *scriba*, *legislator*, qui continuo futurus prædicitur sub pedibus, hoc est sub potestate Tribus Juda, quod quidem commemorat Jacob ut signum regiæ autoritatis in Juda permansuræ, quia Regem in solio adhuc locatum esse oportet, ut scriba sedeat inter pedes ejus, sub pedibus ejus: quæ quidem interpretatio a priori longe non discrepat, quam voluerit seliget lector.

Quæres quandonam Judæ sceptrum censeatur penitus defecisse!

Respondeo non omnino defecisse, nisi cum eversa fuit per Titum Jerosolyma, a quo tempore dissipata penitus fuit & deleta natio Judæorum. Ipsi omni carent jure & autoritate, nullam rempublicam constituunt, profugi & extorres vivunt per varias mundi plagas, sine Rege, sine lege, sine altari & sacrificio. Antea quidem eorum potestas imminuta jacebat, vel ab ipso captivitatis Babilonicæ tempore, cum ab extraneis Regibus gubernabantur, vel iis tributa solvere coacti sunt; sed non omnino fracta funditus corruerat.

Scilicet huic Judæorum imperio contigit quod & multis aliis sæpius evenire solet, non uno temporis puncto illa suum exitum habere, sed paulatim & sensim sine sensu detrita & imminuta tandem omnino everti. Sic Judaica potestas attenuari cœpit ab Herode qui per vim & artes alienigena ipse sceptrum tenuit, ac deinceps fuit in dies debilitata usque ad tempora Vespasiani, in quibus omni penitus imperio, omni dominatione privati fuere Judæi.

Neque vero audiendi sunt nonnulli Judæi, qui ad eludendam hujusce vaticinii vim ajunt nondum desiisse sceptrum Judæ, hodieque Babilone esse principes qui populo præsunt ex Regis voluntate. Namque hoc effugium, inquit doctissimus Petavius, merum est putidumqoe mendacium; quis enim unquam audiit Judæorum esse civitatem aliquam? Quis Judæorum extat hodie Princeps, qui vitæ necisque potestatem in suos exerceat, qui leges condere possit, & alia ejusmodi gerat? Ubicumque terrarum Judæi habitant, non suo, sed eorum apud quos degunt arbitrio constituti sunt. Quibus adde nullum jam inter illos esse Tribuum discrimen,

adeoque pridem impletum esse hoc Jacobi vaticinium, quod sceptrum prædicat de Tribu peculiari Juda non defuturum, donec venerit Messias; quo sit ut hunc aliquando venturum falso sibi polliceantur pervicaces illi Judæi.

Appendix de Herode, utrum fuerit alienigena.

QUæstio est utrum Herodes fuerit proprie Judæus, hoc est natus ex una duodecim Tribuum, quo sensu Idumæi proprie & gente non erant Judæi, tametsi oriundi ex Esau fratre Jacob, hi enim ambo fratres duas plane diversas gentes constituerant, juxta illud quod Rebeccæ dixerat Deus Genes. 25. *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur.*

Duæ sunt hoc in negotio sententiæ oppositæ. Alii putant Herodem censeri non debere alienigenam, vel etiam licet fuerit Idumæus: ita Josephus Scaliger lib. 6. Emendat. temporum, & in notis ad Chronicon Eusebii. Torniel ad ann. 4018. Valesius ad lib. 1. Hist. Ecclesiast. Eusebii. Huetius Propositione nona, num. 4. quorum plerique censent Herodem, duxisse genus suum non ab Idumæis, sed a primatibus Judæorum qui de captivitate Babilonica redierant.

Volunt alii Herodem fuisse Idumæum, & ideo extraneum respectu gentis Judaicæ. Est illa opinio omnium penitus SS. Patrum & omnium fere Theologorum, quibus facile subscribimus.

CONCLUSIO.

Herodes fuit alienigena.

Probatur 1. ex verbis Antigoni qui cum Herode bellum gessit, ab eoque fuit tandem oppressus. Sic vero de Herode loquitur Antigonus apud Josephum lib. 14. Antiquitatum Judaicarum c. 27. *Ad hæc Antigonus ita respondebat verso sermone ad Silonem ac Romanos milites, iniquum eos facere qui Herodi Regnum astruant homini privato & Idumæo hoc est semijudæo, cum id more gentis debeatur successioni generis.*

Idem constat ex ipso Josepho qui Antipatrum Herodis parentem fuisse Idumæum testatur eodem lib. Antiquit. c. 2. his verbis: *Amicus autem quidam Hircani Idumæus nomine Antipater, vir pecuniosus, natura factiosus .... Hic igitur Antipater primum vocabatur Antipas eodem quo pater ipsius nomine; quem ab Alexandro Rege & ejus uxore constitutum ducem totius Idumææ.* Et clarius lib. 1. de bello Judaico cap. 5. *Erat autem genere Idumæus, & nobilitate ac opibus gentis suæ princeps.*

Sed Idumæos respectu Judæorum fuisse extraneos & alienigenas certum est, tum ex his verbis Psal. 107. *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti sunt*: tum ex eo quod prognati sunt ex Esaii; qua ex causa legitime censebantur Judæis extranæi, ut supra dictum est. Igitur Herodem fuisse alienigenam probatur ex Antigono & Josepho, quorum testimonia vim & pondus maximum hoc in negotio sibi vindicant, quod videlicet Herodis originem ignorare non potuerunt.

Huic argumento respondet Torniel ex Josepho quidem colligi Antipam Herodis avum olim ab Alexandro Judæorum Rege, & postea etiam ab ejus uxore Alexandra Regina, quæ ei in regnum successit, constitutum fuisse totius Idumeæ Ducem, non tamen inde sequi ipsos genere Idumæos extitisse.

Deinde, inquit idem Scriptor, ex eo quod ipsi aut aliqui ipsorum communiter fortassis Idumæi denominarentur, inferri non debet eos vere fuisse Idumæos: nam multos legimus Actor. 2. appellatos fuisse Parthos, Medos, & Ælamitas, & Cretes & Arabes, & quos

quos tamen fuisse Judæos jam ibidem versu quinto indicatum fuerat his verbis: *Erant autem in Jerusalem Judæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est*. Est (quod magis mirandum videri potest) Apostolus Paulus qui ad Romanos cap. 11. & ad Philippenses cap. 3. Israelitam se & de Tribu Benjamin esse profitetur; nihilominus Actor. cap. 9. nuncupatur Tarsensis, quia ipse & aliqui ex majoribus suis nati educatique fuerant in Tarsis Ciliciæ oppido admodum insigni, quod olim fuerat illius Provinciæ caput. Quin etiam Actor. 22. ipsemet se Romanum esse affirmat. Unde fit manifestum genus non semper pro ipsa generationis origine, sed interdum quoque pro nativitatis vel educationis, vel diuturnæ habitationis loco usurpari; quare nihil vetat quin Antipater Herodis pater dici potuerit Idumæus, quod in Idumæa aliquandiu habitaverit.

Sed vana est omnino & frivola hæc responsio, quia non modo ex verbis Josephi colligitur Antipam Herodis avum fuisse constitutum totius Idumeæ ducem, sed & aperte testatur ille Scriptor Herodis parentem fuisse Idumæum gente & nativitate, *erat autem genere Idumæus*: & Herodem ipsum Idumæum & non Judæum gente dixerat Antigonus, ægre ferens eidem dari regnum quod more gentis successioni generis debebatur.

Quod spectat exempla a Tornielo proposita, respondeo ex illis nihil quicquam colligi posse adversus hanc nostram sententiam; fatemur enim Parthos, Medos & alios qui commemorantur in actibus Apostolorum Judæos fuisse late & improprie, ratione Religionis quam colebant, *viri religiosi*, ut ait S. Lucas. Sed hoc sensu avus & pater Herodis dicuntur Idumæi quod sint vere gente & origine Idumæi, quia in locis ex Antigono & Josepho allatis agitur de gente, dicuntur gente Idumæi, & quod vim hoc in negotio maximam habet, expresse negantur Judæi.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui eandem unanimi consensu tradunt sententiam. Singula horum testimonia hic non exscribimus, in re scilicet minime necessaria: fatentur enim adversarii sibi hac in parte oppositos esse cunctos Patres, nullo plane excepto: poterit quispiam consulere Origenem Homil. 17. in Genesim, Julium Africanum apud Eusebium lib. 1. Hist. Ecclesiast. cap. 7. & Eusebium ipsum capite sequenti, S. Epiphanium Panarii lib. 1. c. 20. S. Ambrosium in Lucam l. 4. S. Augustinum lib. 12. contra Faustum cap. 47. Theodoretum quæst. 110. in Genesim, & alios in eandem sententiam conspirantes. Unde Torniel celebris Annalium scriptor non alio pacto opinionis suæ novitatem adversus rapidissimum, ut ait, SS. Patrum aliorumque Ecclesiasticorum veterum recentiorumque Doctorum torrentem sustinet, quam dicendo neminem SS. Patrum ejusmodi difficultatem ex proposito discutiendam suscepisse, sed unum post alterum simpliciter pronuntiasse Herodem fuisse alienigenam. Præterquam quod verissima est, inquit ille, Vincentii Lyrinensis sententia, ubi de Patrum consentione sequenda agens ait: *Quæ tamen antiqua SS. Patrum consentio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum certe præcipue in fidei regula magno nobis studio & investiganda est & sequenda*. Qualis certe est quæstio de Herodis genere, quæ ad fidei regulam non pertinet.

Objicies quamplurimis ostendi posse momentis Herodem non fuisse alienigenam sed Judæum.

Primo, Nicolaus Damascenus ipsi Herodi coætaneus Herodis genus deducit a primatibus Judæorum qui in Judæam e Babylonia venerant, referente Josepho lib. 14. Antiq. cap. 2. Neque vero

vero minus credendum eſt Damaſceno, quod Joſephus ibidem dicat illum id ſcripſiſſe in gratiam Herodis, quem fortuna ad regnum Judæorum evexit: cum potius exiſtimandum ſit a Joſepho Judæo oppoſitum litteris fuiſſe conſignatum in gratiam Judæorum, quod cunctis Judæis ipſe Herodes ob innatam ejus crudelitatem inviſus atque infenſus admodum fuerit. Ita ratiocinatur Torniel.

Secundo, Strabo Geograph. lib. 16. ait Herodem fuiſſe Judææ indigenam.

Tertio, & id affirmare videtur Ioſephus, tum lib. 14. Ant. cap. 14. ubi ſcripſit Antipatrum properantem ad Cæſaream in Ægypto Judæos Ægyptios in partes Cæſaris traxiſſe, quod ex eadem *gente* eſſet; tum lib. 15. cap. 14. ubi Herodem inducit loquentem de Judæis quos vocat *contribules*.

Quarto, Judæi ipſi, rem agnoviſſe videntur; ii enim, ut ait Joſephus lib. 20. Ant. cap. 6. adeoque parum ſibi conſtans, in quadam contentione apud Cæſaream adverſus Syros de juribus civitatis, inter alia momenta affirmabant urbis conditorem eſſe Herodem *Judæum genere*; cui minime contradixerunt Syri.

Adde quod a multis Judæis pro Meſſia habitus fuit Herodes, adeoque pro Judæo; ſciebant enim omnes e Juda naſciturum eſſe Meſſiam. Atque ita Herodem fuiſſe Judæum conſtat ex Nicolao Damaſceno, Strabone, Joſepho, Judæis ipſis & Syris.

Quinto, & ſe Judæum gente aperte in multis declaravit Herodes qui ſe Judaicæ legis vindicem ſemper & ubique exhibuit; ut enim habet Joſephus l. 14. cap. ultimo, & lib. 1. de bello Judaico c. 13. quando Romanorum auxilio Jeroſolimam cepit, totis verbis gentiles arcebat ab ingreſſu Templi interioris. Et ex eodem lib. 15. Ant. cap. 14. & lib. 1. de bello Jud. cap. 9. Templum Jeroſolimitanum multo quam antea auguſtius extruxit. Unde memorabile hoc Cæſaris dictum quod refert Macrobius lib. Saturnalium cap. 4. cum audiſſet de filio Herodis juſſu patris interfecto, *Melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium*; clare inſinuans Herodem Moſaicæ legis fuiſſe obſervatorem.

Sextum denique momentum eſt, quod ſi Herodes fuiſſet alienigena, nunquam Hircanus auſus eſſet ipſi neptem ſuam Mariamnem dare in uxorem; jure enim ac merito vereri debuiſſet ne hac de cauſa Judæorum Optimates Herodi alioquin infenſi eum valde ſuſpectum habentes, adverſus Hircanum ipſum populos concitarent; quod præter jus faſque ſacerdotale regiumque ſemen cum viro alienigena copulare vellet; & tamen ob hanc rem nihil ab ullo objectum reclamatumve fuiſſe legimus. Ergo Herodes fuit Judæus.

Reſpondeo hæc argumenta nullius eſſe momenti. Ac primum quidem dico fidem nullam hac in parte deberi Nicolao Damaſceno, qui, ut obſervat Joſephus ibidem & lib. 16. cap. 2. hoc dicit in gratiam Herodis, cujus amicus fuit potius quam veritatis.

Ad ſecundum, tertium & quartum reſpondeo Herodem a nonnullis merito dici potuiſſe Judæum, late ſcilicet & veluti adoptione, non autem proprie & origine. Nimirum Judæi & Idumæi ex communi ſtirpe Iſaac fuerant prognati; Idumæi autem a Judæis victi, ad circumciſionem compulſi, & eadem ſacra amplexi, in idem veluti regnum coaluerunt; adeoque & Judæi nuncupantur. Id colligimus tum ex Joſepho qui poſtquam retulit lib. 13. Ant. cap. 17. quo pacto religionem Judaicam amplexi ſunt Idumæi, hæc addit: *ita deinceps Judæi effecti ſunt*: tum ex Strabone lib. 16. *Idumæa*, inquit, *Judææ partem facit*. Sed non ideo Idumæi proprie fuerunt Judæi; non fuerunt enim e duodecim Tribubus, non de Jacob, ſed de Eſau.

Quod

Quod autem quarto loco objicitur in Scripturis commemorari Herodianos, qui Herodem pro Messia habebant, non moror: tum quia id solummodo probat ejuscemodi homines iniquos fuisse adulatores; tum quia non constat an Herodiani sic dicti sint, quod Herodem nostrum esse Messiam crederent.

Ad quintum, dico Herodem fuisse politicum supra omnes virum, qui ut Judæorum amicitiam captaret, internosque regni motus vel compesceret vel vitaret, acerrimum se Judaicæ legis defensorem præstitit, tametsi gente & origine Judæus non esset.

Postremum denique momentum nihil conficit; Herodes enim Judaicam Religionem profitebatur; & Judæus, ut mox dictum est, effectus potuit in uxorem ducere aliquam feminam ex Hebraica gente prognatam.

Secundum momentum e Daniele Propheta.

ALiud profertur momentum adversus contumaces Judæos, quod legitur Danielis capite nono his verbis quæ Danieli prophetæ aperit Angelus Gabriel: *Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum & super urbem sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt; & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum; & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est, & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Ex quo loco evincitur non modo Messiam venisse, sed & ipsum esse Christum Dominum.

Ac primo Messiam venisse ostenditur ex illo vaticinio. Nam Messias hic venturus prædicitur post septuaginta hebdomades ab Edicto ut ædificetur Jerusalem: atqui jampridem effluxerunt septuaginta illæ hebdomades; vel enim hebdomades illæ sunt dierum, vel sunt annorum; utpote cum hebdomades aut sæculorum aut Jubilæorum non sint in usu in Scripturis: atqui jampridem effluxerunt hebdomades septuaginta seu dierum seu annorum; nam earum initium desumi debet ab Edicto de instauranda Jerusalem: sed ab illo Edicto elapsæ sunt hebdomades septuaginta seu dierum seu annorum; nam Edictum a quo desumi debet initium hæbdomadum, est illud quod tulit Artaxerxes Longimanus anno vigesimo regni sui; si quidem quatuor emissa sunt Edicta regia de instauranda urbe; primum a Cyro quod legitur lib. 1. Esdræ cap. 1. secundum fuit Darii Histaspis, Esd. 1. c. 6. tertium Artaxerxis anno septimo regni sui, Esdræ 1. c. 7. quartum denique ejusdem Artaxerxis anno vigesimo regni sui, quod legitur lib. 2. Esdræ cap. 2. Atqui initium hæbdomadum repeti non potest ab Edicto Cyri, quia Cyrus non jussit urbem ædificari sed Templum; non ab Edicto Darii, qui permisit quoque ædificari Templum non urbem: denique nec ab Edicto quod tulit Artaxerxes anno septimo regni sui, quia in illo Edicto de reparandis Jerosolymis nulla omnino mentio fit, sed de instaurando tantum templi cultu. Superest igitur ut initium hebdomadum ducatur ab Edicto quod emisit Artaxerxes anno vigesimo regni sui. Atqui sumpto initio hebdomadum ab isto Arta-

taxerxis Edicto, jamdudum effluxerunt ſeptuaginta hæbdomades, ſeu ſint annorum ſolarium ſeu lunarium, ut nemo non videt. Ergo Meſſiam veniſſe certo colligitur ex illo vaticinio.

Deinde hunc Meſſiam eſſe Chriſtum filium Mariæ Virginis evidenter demonſtrat idem Danielis oraculum: nam ad hoc ſatis eſt quod finis illarum hæbdomadum cum Chriſti mortis tempore optime conſentiat, & aliunde cætera vaticinii verba Chriſto competant: atqui hæc duo conſtant.

Primo, finis illarum hæbdomadum quadrat cum temporibus mortis Chriſti. Nam hæbdomades illæ ſeptuaginta annorum efficiunt 490. annos: atqui a vigeſimo anno Artaxerxis uſque ad mortem Chriſti effluxerunt anni 490. Nam incidit annus vigeſimus Artaxerxis in annum ſecundum Olimpiadis 81. ut docet Petavius lib. 12. de Doct. temporum, cap. 32. Chriſti vero mors contigit anno tertio vel quarto Olimpiadis 202. atqui ab anno ſecundo Olimpiadis 81. uſque ad tertium Olimpiadis 202. effluxerunt anni 490. Ergo finis ſeptuaginta hæbdomadum incidit in tempus mortis Chriſti.

Secundo, quæ de Meſſia leguntur hocce in oraculo, vere competunt Chriſto; is enim qui annuntiatur *delebit iniquitatem:* ſed peccata delere & remittere præcipuum fuit Chriſti munus. Prædicitur *unctus & Sanctus Sanctorum:* at Chriſtus Dominus ſpecialiter a Deo fuit unctus, ut indicat ejus nomen, & ſanctus, *quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur*. Legitur præterea, *ut impleatur viſio & prophetia:* ſed in adventu Chriſti omnis ceſſavit prophetia apud Judæos, *omnes enim Prophetæ & lex uſque ad Joannem*, Matth. 11. Denique addit Angelus, *& civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo:* quæ quidem circa Chriſti ætatem contigerunt. Ergo quæ de Meſſia leguntur hocce in oraculo, vere competunt Chriſto; proindeque ex illo evincitur non modo dudum veniſſe Meſſiam, ſed & eum eſſe Chriſtum filium Mariæ Virginis.

Objicies. Illud vaticinium urgere non poſſunt Chriſtiani adverſus Judæos, quod quidem ut Chriſto accommodent, gratis & ſine fundamento interpretantur de hebdomadibus annorum: atqui iſtud vaticinium gratis & ſine fundamento interpretantur Chriſtiani de hebdomadibus annorum: ergo proferri non debet adverſus Judæos.

Nego min. Vel enim intelliguntur ibi hebdomades dierum, vel Olympiadum, vel Jubilæorum; vel ſæculorum, vel denique hebdomades annorum: atqui non intelliguntur eſſe hebdomades dierum, tametſi earum aliquando mentio fiat in Scripturis, v. 9. Levitici 12, cap. v. 5. conſtat enim intra ſeptuaginta hebdomadas dierum impleta non fuiſſe ea omnia quæ continentur in vaticinio; deinde non intelliguntur illæ hebdomades eſſe Olimpiadum, aut Jubilæorum, aut ſæculorum, cum ejuſcemodi hebdomadum nullum extet in Scripturis exemplum apud Judæos; supereſt igitur ut iſtas hæbdomades interpretemur de hebdomadibus annorum, quæ ſupputatio in uſu erat apud Judæos & commemoratur Levitici cap. 25.

Inſtabis. Si hæc Prophetia intelligatur de hebdomadibus annorum, vel anni illi ſunt lunares, vel ſolares: atqui neutrum dici poteſt. Primo quidem intelligi non poſſunt anni lunares, quia ſupponi debet Daniel de eo annorum genere locutus, quod erat in uſu apud Hebræos: atqui computare per annos lunares non erat in uſu apud Hebræos; primum enim cujuslibet anni ſui menſem incipiebant ab æquinoctio verno: ergo veriſimiliter non eſt locutus Daniel de hebdomadibus annorum lunarium. Secundo, nec iſti anni dici poſſunt ſolares; nam ea ſupputatio admitti non debet, qua poſita finis hebdomadum ela-

elapsarum non incidit in tempus mortis Christi, sed post illam decem annis & amplius; atqui si fiat computum per annos solares, finis hebdomadum non incidet in tempus mortis Christi, sed post illam decem annis aut amplius; siquidem initium hebdomadum desumitur ab anno vicesimo Artaxerxis Longimani, septuaginta vero hebdomades annorum solarium efficiunt 490. annos: atqui ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani ad Christi mortem non effluxerunt 490. anni, sed anni 480. ut fatentur Chronologi. Ergo.

Hac difficultate (quam fateor cordate non admodum levem) territi Interpretes nonnulli vaticinium explicuerunt de annis lunaribus: scilicet inquiunt, anni 490. lunares constituunt duntaxat summam 475. annorum vulgarium, aut circiter, quia undecim dies, ex singulis annis 490. decisi, annos fere 15. constituunt, qui ex eadem summa deduci debent; lunares autem annos Prophetam adhibuisse ex eo conjiciunt quod eos spectavit ut in se erant, non habita ratione mensium intercalarium.

Verum in istam sententiam non possumus descendere, quia constat in usu positum fuisse apud Judæos ut per annos solares, non per lunares, computarent. Primo, quia testatur Aben-Esra annum juxta solarem cursum determinasse Judæos, etsi ad lunæ motus menses accomodarent suos; unde ut utrumque annum, solarem scilicet & lunarem, conciliarent, embolismo utebantur. Secundo, quia primum anni sui mensem incipiebant Judæi ab æquinoctio verno, ut colligitur ex cap. 12. & 34. Exodi, & Pascha suum celebrabant decima quarta die lunæ mensis Nisan: atqui non potuissent hunc stabilem celebrandi Paschatis ritum observare, si per lunares annos computassent; annus enim lunaris minor est solari undecim diebus. Tertio, quia nemo nescit autores prophanos computasse per annos solares: sed Hebræos eodem modo numerasse annos quo & numerabant prophani scriptores, ex eo maxime constat quod lib. 1. Machab. cap. 1. Alexander dicitur regnasse duodecim annis, qui quidem annorum numerus idem ipsi ascribitur ab authoribus prophanis: ergo verisimile est Judæos non habuisse in more positum ut per lunæ cursum annos computarent. Quapropter vero longe similius est Prophetam Danielem de annis solaribus locutum, ubi septuaginta commemorat hebdomades.

Quod autem spectat difficultatem propositam, qua dicitur, si ab anno vicesimo Artaxerxis Longimani ducatur septuaginta hebdomadum initium, toto decennio aberrare illam sententiam, quia totidem anni desunt ad explendas septuaginta hebdomadas; respondeo cum nonnullis peritissimis Chronologis, non ab obitu præcise Xerxis numerandum esse initium regni Artaxerxis Longimani, sed a duodecimo ante aut circiter anno, quo quidem in regni societatem ascivisse Artaxerxem filium Xerxes videtur, pro more nimirum Persicorum Regum, quibus ad bella extra Persidem gerenda proficiscentibus, regni hæredem designare solemne fuit. Quæ conjectura, si quibusdam firmari potest argumentis, efficiet dubio procul ut nulla sit convenientior istius oraculi interpretatio: nam recte ponitur initium in vicesimo anno Artaxerxis, quo quidem anno constat latum fuisse de restituenda Jerosolima Edictum; tum vero huic annorum curriculo egregie finem præscripsit in anno quarto ab obitu Christi secundum verba Danielis: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium*. At initium regni Artaxexis esse repetendum a decem illis annis qui elapsi sunt antequam cœperit locum patris tenere, vivo adhuc Xerxe, satis verisimile sit.

Primo, quia scribit Herodotus libro

primo & initio libri septimi, hunc fuisse morem apud Persas ut Reges longam & gravem aliquam expeditionem extra Persidem suscepturi, ne qua regno accideret perturbatio, successorem regni declararent, qui ipsis absentibus, imperium administraret.

Secundo, quia Thucydides lib. 1. Charon Lampsacenus apud Plutarchum in Themist. aliique probatissimi Scriptores tradunt Themistoclem Græcia profugum ad Artaxerxem Xerxis filium recens regnantem litteras dedisse. Aliunde vero Diodorus Siculus lib. 2. Eusebius in Chronicis, & teste Plutarcho Ephorus, Dinon, Clitarchus, & Heraclides Historici scribunt Themistoclem adiisse ad Xerxem: quæ duo contraria & aperte secum pugnantia conciliari non possunt nisi dicatur simul regnasse patrem Xerxem & Artaxerxem filium, hoc in societatem regni cooptato, vivo adhuc patre.

At, inquies, si regni socium cooptare sibi voluisset Xerxes ad bellum proficiscens, profecto Dario natu majori filio Artaxerxem minorem & rebus gerendis imparem non prætulisset.

Respondent præfatæ conjecturæ defensores Darium Xerxe nondum regno adepto genitum fuisse, & propterea antepositum ipsi fuisse Artaxerxem in purpura natum, & patre jam Rege procreatum; quemadmodum Xerxes ipsemet ob easdem causas Artobazani fratri a patre Dario fuerat præpositus.

Instabis. Ex eo quod ad Artaxerxem confugiat Themistocles, non sequitur Artaxerxem fuisse tunc regnantem, si puer tum fuerit Artaxerxes, cum ad eum venit Themistocles: atqui puer erat Artaxerxes, cum ad eum venit Themistocles; nam & post interfectum quoque patrem fuisse puerum testatur Justinus lib. 3. Ergo.

Respondent illi annis duodecim natum Artaxerxem, cum in regni societatem allectus est a patre quo posito fieri potuit ut ab illo tempore regni ejus initium repetierint Historici & Chronographi.

Cæterum hocce Danielis oraculo invictum & suis numeris absolutum non suppeditari adversus Judæos argumentum, ex eo maxime colligitur quod in iis quæ ad illam prophetiam spectant explicandis, nulla sit non modo veterum Patrum, sed recentiorum etiam & Theologorum, & sacræ Scripturæ Interpretum consensio; siquidem seu in controversiam mittant a quo precise anno sumi debeat hebdomadum exordium, seu inquirant an illæ hebdomades sint annorum, necne; an solarium vel lunarium; seu disputent de ipsa vaticinii versione, aliis legentibus *occidetur Christus*, aliis vero *cessabit unctio*; ubique fluctuationes sunt, ancipites sensus, ac demum incredibilis eorum pugna & dissensio: qua ex causa non nisi brevem ac summariam hujus oraculi expositionem tradidimus; cum aliunde hujusce argumenti accurata tractatio ad Chronologos pertineat potius quam ad Theologos.

Tertium momentum ex Isayæ Prophetia.

TErtio loco speciatim proferimus Isayæ prophetiam, quæ singulis fere atque integris capitibus adeo clare & aperte Christum designavit, ut hunc Prophetam non tam vaticinium quam Evangelium & historiam Christi texuisse, scite quidem & eleganter suo more dixerit Hieronymus Epist. ad Paulinum cap. 7. & præfat. in Isayam.

Egregium est quod scribit iste Propheta cap. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons, domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulavimus in semitis ejus,*

quia

quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem ...... & incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur. Hic aperte Christus ipse, Christi lex & pax orbi per ipsum procuranda præcinuntur: atque hæc eventura dicit Isayas *in novissimis diebus*. Quibus verbis Messiæ tempora notari fatentur ipsi Judæi.

Cap. 4. *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui salvati fuerint de Israel. Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii & spiritu ardoris*. Hic *germen* Christus est, ut ipse Isayas canit cap. 45. *Aperiatur terra & germinet Salvatorem*. Sic apud Jeremiam 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo germen justum*. Describitur Christus ut Salvator qui sordes hominum abluet; quod quidem ipse sibi postea vindicavit, Matth. 26. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Unde Apocalip. 1. *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*.

Cap. 7. Celebratissima ea sunt verba: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Quorum hic iste sensus est: Virgo spiritus sancti virtute, sine viri consortio filium pariet, qui tum natus vere erit *nobiscum Deus*; quod manifeste impletum in Christo, constat ex Evangelistis.

Cap. 8. *Dominus exercituum, ipsum sanctificate, ipse pavor vester & ipse terror vester; & erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & in ruinam habitantibus Jerusalem*. Quæ profecto pertinent ad Christum Psal. 117. designatum ut lapidem reprobatum ab ædificantibus, & factum in caput anguli.

Cap. 9. Pergit Isayas: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis; multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis; super solium David & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio & justitia amodo & usque in sempiternum*. Quæquidem licet partim accommodari possint filio Isayæ, vel ut volunt nonnulli Judæi, Ezechiæ Regi; tamen omnia soli Christo simul competunt, cujus nempe solius æterna fuit pax, regnumque sempiternum.

Cap. 11. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis.... judicabit in justitia pauperes & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui, & spiritus labiorum suorum interficiet impium*. Hic Christum Dominum quis nos agnoverit? cujus aperte designantur & humanitas simul & divinitas; qui sibi hoc demandatum sustinuit munus, ut nempe judicaret in justitia & argueret in æquitate.

Cap. 35. Quod legitur de Christo insigne est & memorabile. *Deus ipse veniet & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum ..... & redempti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus*. Cui enim mortali homini tot

ac tanta miracula patranda promittere potuit Isayas? quæ tamen a Christo Jesu facta fuisse, una voce tradunt Evangelistæ.

Cap. 40. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri: omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aspera in vias planas, & revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro quod os Domini locutum est .... Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur; ecce merces ejus cum eo, & opus illius cum illo. Sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu levabit.* Quo loco sub typo pastoris exprimitur Christus, ut & postea expresserunt Apostoli, Petrus quidem 1. Epist. cap. 2. & Paulus Heb. 13.

Cap. 49. Illustriora adhuc de Messia continentur. *Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, & Israel non congregabitur; & glorificatus sum in oculis Domini. Deus meus factus est fortitudo mea, & dixit: Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Jacob, & faces Israel convertendas; ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Hic agnoscitur Christus, qui non Judæorum modo, sed & gentium lux, omnes ad agnitionem veritatis adduxit.

Cap. 52. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, nunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus ..... Gaudete & laudate simul deserta Jerusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Clarissimum profecto de Christo testimonium; quis enim alius regnavit ut Deus? Redemit Jerusalem, & omnium gentium salvator appellari potest?

Cap. 53. Christi passio & dolores apertissime describuntur. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum & percussum a Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Quid clarius, quid disertius? Quis inter homines portavit omnium scelera & iniquitates, in quo sanati sumus omnes, nisi in Christo Jesu?

Cap. 60. Ab his incipit verbis quibus felicitatem per Christi adventum partam Ecclesiæ gratulatur Deus. *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus & gloria ejus in te videbitur ... Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domini annuntiantes.*

Cap. 61. Quæ leguntur non minus significantia sunt. *Spiritus Domini, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro.*

Denique postremo Capite insigne est quod de ortu Christi prædixit Isayas. *Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis, antequam veniret partus ejus; peperit masculum. Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic simile?*

Ex quibus Isayæ testimoniis (multa vero alia prætermittimus) certo colligere est Christum Dominum esse Messiam, quem videlicet adeo clare & aperte

te venturum prædixerat Propheta; ut qui eum in præfatis locis non agnoverit, profecto cœcutiat necesse sit.

Quartum momentum ex aliis Prophetis.

EST aliud denique luculentissimum adversus Judæos & gentiles momentum, quod ex innumeris prope vaticiniis antiqui testamenti aperte in Christo impletis depromitur. Quoniam vero infinitum me esse oporteat, si velim singula recensere quæ Christo accommodari possunt, e multis nonnisi pauca seligam, eaque maxime quæ ad genus, nativitatem, res gestas, mortem & resurrectionem ejus pertinent. Quod ut accurate & cum ordine quodam fiat, proponentur ex una parte ea veteris Testamenti loca, in quibus continentur illæ prædictiones; tum & in altera statim subjiciemus Evangelistarum verba, quæ vaticiniorum in Christo complementum demonstrant.

Genus quidem Christi prædictum fuerat; nempe futurus erat de semine Abraham, Genes. 12. *Dixit Dominus ad Abraham ..... In te benedicentur universæ cognationes terræ.* De semine Isaac, Genes. 26. Dominus ait Isaac: *Benedicentur in nomine tuo omnes gentes terræ.* De semine Jacob, Genes. 28. *Benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ.* De semine Jesse & Davidis, Isayæ 11. *Egredietur virga de radice Jesse.* Psal. 88. *Juravit David servo suo, usque in æternum præparabo semen tuum.*

At Matthæi 1. *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob.*

Ejus nativitas, nempe prædicitur nasciturus de Virgine, Isayæ 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel;* tum nasciturus in Bethleem, Mich. 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.*

At vero quoad primum, Lucæ 1. hæc habentur: *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum ...... Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te.* Quoad secundum autem, Matth. 2. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Juda;* idemque Lucæ 2. & Joan. 7.

Adoratio a Magis, Psal. 71. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Isayæ 60. *Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes, & laudem Domini annunciantes.*

At Matth. 2. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolimam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? ..... intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.*

Fuga ejus in Ægyptum, Oseæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

At Math. 2. *Consurgens* Joseph *accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis; ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum.*

Habitatio in Nazareth, Isayæ 11. *Et egredietur virga de radice Jesse, & Nazaræus de radice ejus ascendet,* juxta Hebraicum exemplar.

At Matth. 2. *Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.*

Divinitas ejus prædicitur Isayæ 7. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* cap. 9.

Voca-

Vocabitur nomen ejus Admirabilis, *Consiliarius*. *Deus fortis*. cap. 35. *Deus ipse veniet & salvabit nos*, & cap. 45. *Tantum in te est Deus*, *& non est absque te Deus; vere tu es Deus absconditus*, *Deus Israel salvator*.

At centies in novo Testamento Jesus dicitur Deus, Joan. 1. *In principio erat Verbum*, *& Verbum erat apud Deum*, *& Deus erat Verbum*. cap. 20. *Respondit Thomas & dixit ei: Dominus meus & Deus meus*. Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem*, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*.

Ingressus in urbem Jerosolimam, Zachar. 9. *Exulta satis filia Sion*, *jubila filia Jerusalem*, *ecce Rex tuus veniet tibi justus & salvator*, *ipse pauper & ascendens super asinam*, *& super pullum filium asinæ*.

At M tth. 21. *Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus*, *& adduxerunt asinam & pullum*, *& imposuerunt super eos vestimenta sua*, *& eum desuper sedere fecerunt*.

Passio ejus & mors cum omnibus circumstantiis præsignantur. Judæorum principes congregantur adversus eum, Psal. 2. *Astiterunt Reges terræ*, *& principes convenerunt in unum adversus Dominum*, *& adversus Christum ejus*.

At Mathæi 26. *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum & seniores populi in atrium Principis Sacerdotum qui dicebatur Caiphas*, *& consilium fecerunt*, *ut Jesum dolo tenerent*, *& occiderent*.

Contumeliis afficitur, Psal. 21. *Ego autem sum vermis & non homo*, *opprobrium hominum & abjectio plebis; omnes videntes me deriserunt me*. Psal. 68. *Salvum me fac Deus*, *quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: infixus sum in limo profundi*, *& non est substantia ..... Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui tunc exolvebam*. Isayæ 53. *Nos putavimus eum quasi leprosum & percussum a Deo & humiliatum*.

At Matth. 27. *Et expuentes in eum acceperunt arundinem*, *& percutiebant caput ejus: & postquam illuserunt*, *& exuerunt eum clamide*. Et Lucæ 18. *Assumpsit autem Jesus duodecim*, *& ait illis: Ecce ascendimus Jerosolimam*, *& consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis; tradetur enim gentibus & illudetur*.

Cruci affigitur, Psal. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos*, *dinumeraverunt omnia ossa mea*. *Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me*, *diviserunt sibi vestimenta mea*, *& super vestem meam miserunt sortem*. Zachar. 12. *& effundam super domum David & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ & precum*, *& aspicient ad me quem confixerunt*, *& plangent eum planctu quasi super unigenitum*, *& dolebunt super eum*, *ut doleri solet in morte primogeniti*.

At ex quatuor Evangelistis Christus fuit crucifixus. Matth. 29. *Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur .... Postquam autem crucifixerunt eum diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes*.

Inter duos latrones, Isayæ 53. *Ideo dispertiam ei plurimos*, *& fortium dividet spolia*, *pro eo quod tradidit in mortem animam suam*, *& cum sceleratis reputatus est*.

At Matth. 27. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones*, *unus a dextris*, *& unus a sinistris*. Ita Marc. 15. Lucæ 22.

Fel & acetum ei propinantur, Psal. 68. *Et dederunt in escam meam fel*, *& in siti mea potaverunt me aceto*.

At Matth. 27. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum; & cum gustasset*, *noluit bibere .... Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto*, *& imposuit arundini*, *& dabat ei bibere*.

Resurrectio Christi aperte prædicitur, Psal. 15. *Propter hoc lætatum est cor meum*, *& exultavit lingua mea*, *insu-*

per & caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Psal. 87. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.*

At certo certius ex Evangelistis Christus tertia die a mortuis suscitatus est.

Denique ejus ascensio in cœlum prædicitur, Psalm. 46. *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.* Psal. 67. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Zach. 14. *Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum qui est contra Jerusalem.*

At Marci 16. *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum*, ita Act. 1. 2. 3. & 5.

Quibus in hoc ordine dispositis alia nonnulla adjicere possumus aliorum Prophetarum oracula, quæ Christum ubique & præclare indigitant: ita.

Jeremias vetus Testamentum novi accessione abrogatum iri clare præcinuit his verbis cap. 3. *Assumam vos unum de civitate & duos de cognatione, & introducam vos in Sion, & dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina; cumque multiplicati fueritis & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra, Arca Testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, & non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi.* Cap. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.*

Baruch memorabile de Christo reliquit testimonium cap. 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

Oseas, cujus hæc de Christo intelligenda esse jam pervulgata est omnium opinio, cap. 3. *Dies multos*, inquit, *sedebunt filii Israel sine Rege & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod & sine Teraphim. Et post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum & David Regem suum; & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum.*

Aggæus eadem & longe illustriora profert, c. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram & mare & aridam, & movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum.* Hic *desideratus gentibus* is ipse est quem Jacob futurum *expectationem gentium* prædixerat, Jesus scilicet Dominus noster.

Zacharias vero & clarissima & celeberrima de Christo vaticinia edidit, cap. 2. *Lauda & lætare filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Cap. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi justus, salvator, ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

Ma-

Malachias denique postremus Prophetarum. Joannem Baptistam Christi præcursorem, ipsumque Christum clare demonstravit his verbis cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum Dominator quem quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum?*

Ex quibus omnibus manifeste colligitur Christum Dominum longe ante fuisse præsignatum a Prophetis, quam in terris vitam degeret mortalem; quod argumenti genus maximum habere debet pondus, tum adversus Judæos, tum adversus Ethnicos, qui quidem Christum tam luculentis expressum monumentis agnoscent, si ad hæc mentem simplicem, & sincerum pectus adhibeant.

Quamobrem audiendi non sunt Grotius, Smalcius & alii qui contendunt ejusmodi vaticinia non in vim argumenti proprie adhibenda esse; sed solum ad illustrandam rem jam creditam. Siquidem Patres plerique omnes ad fidem Christo Jesu conciliandam, hoc argumentum tanquam certissimum usurpant. Ita Justinus qui integro Dialogo cum Triphone dogma christianum ex oraculis Prophetarum adversus Ethnicos & Judæos defendit. S. Irenæus lib. 2. adv. Hæres. c. 54. Athenagoras Legat. pro Christianis. Tum Origenes lib. 2. contra Celsum, probationem quæ fit per Prophetarum prædictiones, *validissimam demonstrationem* appellat. Quod idem prosequitur Tertullianus Lib. suo adversus Judæos. Et S. August. paganum existimat fide nostra imbuendum ex Prophetarum scriptis; Tractatu 35. in Joan. *Quid est*, inquit, *Christus? dicit Paganus. Cui respondemus: Quem prænuntiaverunt Prophetæ*. Unde Patres quinti Concilii generalis anathemate percusserunt Theodorum Mopsuestenum, Collat. 8. quod *Prophetias quæ de Christo sunt rejiceret*.

Quin & ipse Christus Dominus discipulos in Castellum Emmaus properantes ex eo maxime redarguit, quod ad editas de se prædictiones parum adhiberent fidei: *O stulti*, inquit Lucæ 24. *& tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ, nonne hæc opportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant*.

Neque est etiam quod dicatur cum nonnullis, ejusmodi Prophetiarum proprium ac proximum sensum ad historiam ejus temporis, non autem nisi secundario, remote vel allegorice ad Christum referri; ut cum Matth. 2. Christo applicatur istud Oseæ, *Ex Ægypto vocavi filium meum*; quod certo certius apud ipsum Oseam intelligitur de populo Israel.

Siquidem hoc in quibusdam verum esse fatemur; verum alia esse innumera pertendimus Prophetarum oracula, quæ Christum mere respiciunt & alium neminem præter ipsum: hujusmodi est hoc Zachariæ 11. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*; quod in Zacharia ipso nunquam impletum est, sed in Christo Jesu, cum a Juda venditus est. Simile est istud ejusdem Prophetæ cap. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet tibi justus & salvator, ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ*. Quandonam vero Rex aliquis Juda, justus, salvator, pauper, asina vectus intravit Jerosolymam? Simile & illud Davidis Psal. 68. *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. At nuspiam legimus felle pastum fuisse David, vel acetum bibisse.

Ex quibus conficitur innumeras propemodum esse Prophetias in veteri Testamento, quæ soli Christo accommodari

dari

dari possunt; unde pulchre monet Augustinus lib. 1. de consensu Evangelist. cap. 11. totam Judæorum Reipublicæ administrationem, Christi prophetiam fuisse: *Cui prophetando venturo*, inquit, *gens una deputata est, cujus Reipublicæ tota administratio esset illius Regis venturi*.

At, inquiunt Judæi, insignes & præcipui Messiæ caracteres sunt, ejus gloria, potestas & autoritas in Reges, quod futurus sit bellator gentiumque multarum domitor, ita ut Judæos suis restituat possessionibus, manu fortis, forma præcellente & in splendido sedens solio, juxta hæc Prophetarum oracula, Psalm. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Psal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*. Et ibidem, *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent*. Isayæ 11. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*: & alia id genus, quæ profecto in Christum cadunt.

Respondeo id unum fefellisse Judæos, quod ejuscemodi vaticinia litteraliter intellexerint de terreno regno, quo se aliquando potituros infeliciter sperarunt, atque etiamnum sperant. Et certe se falsa spe tam diu delusos ex eo maxime agnoscere debent, quod alia innumera Prophetarum oracula, quæ ipsi de Messia interpretantur, qualia sunt Jacobi & Danielis vaticinia, dudum completa sint; quantumvis nondum lucem conspexerit pseudo ille Messias, potens, bellator, in gloria & majestate venturus. Si autem præfata hæc oracula in sensum spiritalem accipere placeat Judæis, videbunt certe ea Christo Domino apprime convenire, cujus legem sanctam jamdudum amplexi sunt Reges terræ in unaquaque orbis parte, Græci & Romani. Non est quidem ejus regnum de hoc mundo, sed terreno longe excellentius & nunquam periturum, de quo dixerat Isayas c. 11. *Exurget regere gentes, & in eum Reges sperabunt*.

De possibilitate Incarnationis.

De existentia Incarnationis prius a nobis actum est, quam de ejus possibilitate, quia ex eo potissimum probamus Incarnationem Verbi divini esse possibilem, quod eam fuisse peractam validissimis ostenditur argumentis. Jam vero duo hic tractantur: 1. Utrum Incarnatio sit possibilis. 2. Utrum ratione naturali demonstrari possit possibilis.

Utrum possibilis sit Incarnatio Verbi divini.

Agitatur hæc quæstio partim contra Ethnicos, partim contra veteres hæreticos, atque etiam num Socinianos, qui hoc tanquam absurdum & ab omni ratione alienum reputant, quod Verbum divinum dicatur naturam humanam assumpsisse in unitatem personæ. In eos omnes sit.

CONCLUSIO.

Possibilis est Incarnatio Verbi divini. Primo, quia, ut ajunt in Scholis, ab actu ad posse valet consecutio: sed peractam fuisse Incarnationem in Christo Domino optime evincitur argumentis quæ possunt urgeri adversus Ethnicos, ut supra observatum est; quatenus nempe multis Prophetarum oraculis annuntiatus fuit Christus; quatenus etiam veris ac minime fucatis miraculis probavit ipse, quod sæpius dicebat, se esse Deum. Igitur possibilis est Incarnatio.

Secundo, possibile merito dicitur quod non repugnat, quod non involvit contradictionem: sed Verbum divinum humanam naturam sibi conjunxisse in unitatem personæ, nequaquam repugnat, nulla ibi contradictio; quin potius aliqua similitudine hoc Mysterium adum-

adumbratur, ex eo nimirum petita, quod anima rationalis a corpore secundum naturam plane diversa, cum eo tamen unum suppositum, unum eundemque constituit hominem. Igitur possibilis est Incarnatio Verbi divini.

Objicies. Incarnationem repugnare ex parte Dei. Siquidem implicat Deum mutari: atqui in Incarnatione Deus mutaretur; is enim mutatur qui de novo fit substantialiter & intrinsece homo: atqui in Incarnatione Deus fit substantialiter & intrinsece homo, unio enim hypostatica non accidentalis sed substantialis est, non extrinseca sed intrinseca. Ergo Deus mutaretur. Hanc objectionem sic proponit Socinus in libello quodam de Christi natura: *Deus*, inquit, *is est cui nihil unquam accidere possit: at vero mortalem hominem ita vel induisse vel assumpsisse, ut una cum eo in tertium aliquid evaserit; non solum esset aliquid ei ejusque substantiæ accidisse, sed maximi momenti rem accidisse*.

Nego min. & ad probat. dist. maj. Si quid perfectioni ei accedat, vel ab eo detrahatur, Conc. secus Nego. Porro quando Verbum Dei fieri homo incepit in Incarnatione, nihil ei accessit, neque ab eo quicquam detractum est perfectionis; quippe quod naturam humanam sibi assumpsit citra ullam vel perfectionis acquisitionem, vel sui immutationem: dicitur autem factus homo substantialiter & intrinsece, eo solum quod illa unio Verbi cum humanitate non sit accidentalis, non moralis penes cognationem quandam & affectum; sed vere substantiva, qua substantiæ ipsæ intime conjunguntur; quod tamen nullam in Deo ponit mutationem.

Instabis. Denominatio intrinseca petitur a forma intrinsece recepta in subjecto, ut cum homo denominatur doctus a doctrina; cum e contra denominatio extrinseca repetatur a forma extrinseca, ut cum paries dicitur visus a visione ipsi extrinseca. Ergo, cum Deus in Incarnatione denominetur intrinsece homo, debet intrinsece affici aliqua forma, adeoque mutari.

Dist. maj. intrinsece recepta aut unita, C. intrinsece recepta necessario, N. Ut igitur resultet in Deo hæc nova denominatio intrinseca qua dicitur homo, satis est si denuo uniatur humanitati, vel potius sibi univerit, vel assumpserit humanam naturam quam suam fecerit & propriam; præsertim cum illa unio sit substantialis, non accidentalis; necesse non est Deum per modum subjecti recipere humanitatem vel aliam quamcumque formam.

At inquies, Verbum divinum aliter se habet post Incarnationem atque antea, & quidem intrinsece: ergo mutatur.

Dist. cons. Mutatur mutatione improprie dicta; C. mutatione proprie dicta, N. Siquidem mutatio proprie dicta fit quando subjectum vel acquirit vel deperdit aliquid perfectionis.

Objicies Incarnationem repugnare ex parte naturæ humanæ. Siquidem natura humana, hoc semel admisso Mysterio, privatur sua personalitate: atqui implicat naturam in Christo privari sua personalitate. Omnis enim substantia singularis, completa & tota, est persona, nec sua privatur personalitate: sed natura in Christo est substantia singularis, completa & tota; Verbum enim divinum sibi assumpsit in Incarnatione naturam integram, omnibus suis numeris & partibus absolutam: *Factus est nobis per omnia similis absque peccato*. Ergo.

Huic objectioni, quæ in varias ambages conjicere solet omnes fere Scholasticos, nullo negotio respondetur, adhibita semel clara & nitida notione subsistentiæ & personæ; quod quidem pauci inter Theologos, quantum ego quidem sciam, feliciter executi sunt; cum enim subsistentiam definiunt, *ultimum naturæ substantialis complementum*, præ-

præterquam quod accurate non loquuntur, quia ſubſiſtentiam ut nomen abſtractum definiunt, quæ nomen eſt concretum; hic inſuper augent difficultatem in objectione propoſitam; complementum enim idem eſt ac perfectio, proindeque natura humana carens, ut ajunt, propria ſubſiſtentia, privetur neceſſe eſt aliqua perfectione; atque ita eſt manca & imperfecta in Chriſto; quod nemo dixerit.

Primo itaque ſubſiſtentia, hypoſtaſis, ſuppoſitum, perſona & totum, ſunt voces omnino ſynonimæ, quæ idem plane ſignificant, cum hoc ſolum diſcrimine quod perſona ſit natura individua rationalis, cætera vero nomina rebus etiam inanimatis optime tribuantur; unde Socrates dicitur perſona hominis; bucephalus vero non dicitur perſona equi, ſed hypoſtaſis ſeu ſuppoſitum.

Secundo hæc ſingula nomine totidem ſunt concreta, non abſtracta, quin & ipſum nomen ſubſiſtentiæ ſumi debet pro concreto, id eſt, pro eo quod ſubſiſtit; quomodo ab antiquis Patribus & Conciliis uſurpatur, dum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum vocant tres ſubſiſtentias. Unde nomen abſtractum ſubſiſtentiæ dici debet ſubſiſtentialitas, uti perſonalitas eſt nomen abſtractum perſonæ: ex quo ſequitur parum accurate loqui Theologos qui dicunt naturam humanam in Chriſto amiſiſſe propriam ſubſiſtentiam; dicere enim deberent naturam humanam in Chriſto non eſſe ſubſiſtentiam, non eſſe perſonam. Iſtæ porro & ſimiles obſervationes ſedulo & diligenter retinendæ ſunt; ex iis enim pendet maxime hujus Myſterii notitia & elucidatio.

Quamobrem perſona (idemque & præfata alia nomina) recte definitur *ſubſtantia ſingularis, completa & tota;* quam definitionem ſatis, ut puto, explicuimus in Tractatu SS. Trinitatis. Id unum hic moneo, clare & evidenter intelligi quid ſit perſona, ſi attendatur eam eſſe ac totum; quo ſenſu quidquid pars eſt alterius, non eſt perſona, ſed natura; ſic v. g. anima rationalis non eſt perſona, quia eſt pars alterius, nempe hominis, ſicuti nec corpus ſolum: Socrates vero eſt perſona, quia eſt aliquod totum, non eſt pars alterius. His poſitis difficultas propoſita ſic enucleatur facile.

Nego min. & ad probat. nego ſimiliter min. & dico naturam humanam in Chriſto non eſſe totam; quia ſcilicet ea natura non eſt tota, quæ eſt pars alterius: atqui natura humana in Chriſto eſt pars alterius, eſt enim pars Chriſti, qui ex duabus naturis eſt compoſitus, divina nempe & humana: ergo natura humana in Chriſto non eſt tota; aut potius, ne quid videatur eſſe durius, ſi dicatur naturam humanam non eſſe totam in Chriſto, quia inde cenſeri videretur manca & imperfecta; dico eam eſſe totam, ſed non eſſe totum, quemadmodum anima rationalis tota eſt in Socrate, ſed non eſt totum. Jam vero naturam humanam privari ſua perſonalitate in Chriſto, nihil abſurdi eſt; id enim ex eo ſolum evenit, quod ea ſit pars alterius, nec ipſa ſit totum; quod quidem nulla ex parte repugnat: ſiquidem ab ea nihil detrahitur, ipſa nihil deperdit. Hoc enim ipſo quod natura humana unita eſt Verbo, eam ſibi Verbum vindicat ut ſuam; illa definit ſua eſſe, ſui juris; unde S.Thomas in 3. diſt. 6. q. 1. art. 2. ad 5. *Ex hoc*, inquit, *quod compoſitum ex corpore & anima rationali non adjungitur alteri, eſt perſona humana. Unde ſi Verbum humanam naturam quam aſſumpſit deponeret, ex hoc ipſo illud conjunctum ex anima & corpore Chriſti, eſſet perſona humana.*

Inſtabis. Sequeretur ex illa reſponſione Verbum Dei non eſſe perſonam in Chriſto; non eſt enim totum, ſed pars Chriſti. Abſurdum conſequens; ergo & antecedens.

Nego ant. quia Verbum Divinum in Christo est totum, non pars alterius, quippe quod per unionem cum natura humana non amisit suam totalitatem. Probat quidem argumentum naturam divinam non esse personam, quia est quadamtenus pars Christi ex duabus naturis, divina & humana compositi; sed non evincit Verbum ipsum non esse personam. Et ratio est quia Verbum non est pars Christi, sed Christus ipse quoad hoc, quod sicut Christus dicitur habere duas naturas; ita & Verbum divinum quod dicitur Deus & homo, recte dicitur duas habere naturas, & Christus ipsum est Verbum divinum cum humanitate conjunctum: etiamsi duo illa sint in Christo, nempe Verbum & natura humana, tamen non sunt ut duæ compartes ejusdem compositi; Verbum non est pars, quia Verbum non est cum natura humana in alio, puta in Christo; sed rectius dici debet ipsum habere naturam humanam. *Quod enim*, inquit S. Thomas, *principalius est, id semper habere dicitur, quod autem minus principale, haberi*. Adeoque cum Verbum seu filius Dei habeat naturam divinam simul & humanam, utriusque est persona & hypostasis, ipsum est totum, non pars. Comparatione satis apposita rem illustrat idem S. Doctor compendio Theologiæ c. 211. *Subjectum*, inquit, *& accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur; unde subjectum in tali unione non se habet ut pars, sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis & suppositum. Accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis & albi, & similiter eadem hypostasis & idem suppositum. Sic igitur secundum similitudinem quandam persona, hypostasis & suppositum Filii Dei est persona, hypostasis & suppositum humanæ naturæ in Christo*. Porro non est, ut per se patet, eo sensu capienda hæc similitudo, quod humanitas in Christo nonnisi accidentaliter uniatur Verbo Dei, quod Nestorianum esset; sed eo sensu quod, quemadmodum subjectum & accidens constituunt unum aliquod compositum, ita ut subjectum non sit pars totius & compars cum accidente, sed sit ipsum totum, cui inest accidens; ita in Christo Verbo Dei non est pars Christi, sed ipsum totum habens naturam divinam simul & humanam; quo fit ut sit utriusque naturæ suppositum, nec sit proprie loquendo pars Christi.

At inquies, natura humana in Christo eatenus caret aliqua perfectione, adeoque non est tota & integra, quatenus caret propria subsistentia; subsistentia enim est perfectio.

Nego propositionem: quin immo natura humana Christi eatenus caret subsistentia propria quatenus unitur Verbo, & subsistit, ut ajunt, per subsistentiam Verbi: sed in hoc ipso perficitur; unitur enim nobiliori, fit pars suppositi nobilissimi; igitur eatenus nulla spoliatur perfectione. Cum autem dicitur subsistentiam esse perfectionem, hoc utique verum est; sed natura humana subsistit per subsistentiam Verbi, adeoque non caret omni subsistentia.

Objicies Incarnationem repugnare ex parte ipsius unionis. Siquidem ea non possunt uniri, quæ infinite distant: atqui Verbum divinum & natura humana infinite distant: ergo non possunt uniri.

Eandem objectionem sic proponit ibidem Socinus: *Deus*, inquit, *immensus est & substantia infinitus, cum homo sit materialis & suis dimensionibus constet, & substantia finitus sit; rei autem finitæ ad infinitam nulla est proportio*.

Disting. majorem. Si inter ea nulla sit proportio, C. si qua sit proportio, N. Porro Verbum divinum inter & naturam humanam reperitur aliqua proportio, aliqua convenientia; est enim in Verbo infinita vis assumendi quamlibet naturam, estque in natura huma-

na

na potentia obedientialis qua possit assumi a Verbo divino ; id enim neutiquam repugnat.

Addunt aliqui nec immerito, hoc vulgatum axioma quo dicitur *nullam finiti ad infinitum esse proportionem*, imperite prorsus ad hoc Mysterium transferri, quod videlicet locum habet tantum in rebus quantitatem habentibus, quæ proportionem habent in quantum eandem partium mensuram retinent ; sed non eo spectat ut nulla sit comparatio finitum inter & infinitum, quamobrem jam diximus in Tractatu de Attributis Deum posse videri intuitive ab intellectu creato tametsi finito : unde sequitur nihil esse quod Dei naturam infinitam cum finita hominis natura in unitatem personæ coalescere prohibeat.

Instabis. Persona ut persona est incommunicabilis alteri : ergo persona Verbi uniri non potest naturæ humanæ, ita ut ex illis unitis unicum resultet suppositum.

Dist. ant. Alteri ut supposito, ut personæ, C. alteri naturæ, N. Cum dicitur personam esse incommunicabilem, sensus est illam non esse communicabilem, alteri tanquam supposito, quia subsistentia in abstracto, seu personalitas ac forma per quam persona est persona, non competit accidenti, neque substantiæ aut naturæ quatenus est natura, sed soli competit personæ; unde personalitas definitur forma per quam persona redditur incommunicabilis alteri tanquam supposito; sed non dicitur propterea incommunicabilis naturæ.

Objiciunt insuper Sociniani multa ex illo Mysterio sequi absurda ; scilicet duarum substantiarum contrariarum qualitates directe de se prædicari ; immo & ipsas substantias de se invicem in quid prædicari, quandoquidem Deus dicitur homo, & vicissim. Unde etiam, inquiunt, Deus dicitur natus, passus, mortuus: quod quidem est ab omni ratione alienum.

Verum ne frustra eadem repetamus, ad respondendum ejuscemodi difficultatibus consuli debent quæ postea sumus adducturi, cum de communicatione idiomatum agemus.

Objicies. Hoc maximam in Deo arguit imperfectionem, quod Christus dicatur totum aliquod seu aggregatum per accidens. Sed si supponatur Christus ex natura divina & humana compositus, is ipse dici debet totum per accidens, quatenus videlicet constabit ex duabus naturis integris. Igitur.

Nego min. quia scilicet totum per accidens constare debet ex duobus integris in ratione suppositi, ex pluribus suppositis, quemadmodum exercitus qui constat ex multis suppositis, multis hominibus: sed non constat ex duobus integris in ratione naturæ ; homo enim non est ens per accidens, quatenus ex anima & corpore componitur, quod eatenus non constat ex duobus suppositis. Jam vero Christus non componitur ex duobus integris in ratione suppositi, natura enim humana in Christo non est persona.

Objicies. In hoc Mysterio Verbum divinum, aut potius Verbi divini persona dicitur incarnari, non autem natura divina; aliter non minus incarnarentur Pater & Spiritus sanctus quam Verbum ipsum : sed hoc ipsum impossibile est: namque natura divina & persona non distinguuntur; unde dici non potest unio facta in persona, quin & facta sit in natura: proindeque Verbum incarnari non potest, quin simul incarnentur Pater & Spiritus sanctus. Est etiam hæc objectio Socinianorum.

Nego min. ad probationem vero dist. ant. Natura divina & persona non distinguuntur realiter, C. formaliter, N. Ea quippe distinguuntur formaliter quæ sine magna absurditate confundi non possunt : sed natura & persona sine magna absurditate confundi non possunt ; diversas habent notiones, definitiones ;

natu-

natura in Deo est una, persona triplex est; natura est communicabilis, persona est incommunicabilis: ergo distinguuntur formaliter; quod sufficit ut dicatur persona Verbi incarnari, non autem natura; aut potius ut unio fieri dicatur in persona, non autem in natura, ut fusius in loco suo explicabitur.

Utrum Incarnatio ratione naturali demonstrari possit.

SUmitur hic demonstratio non argumento, ut ajunt, Incarnationi intrinseco e ratione petito; quo fit ut vaticinia quæ in Christo impleta urgemus adversus Judæos, haberi non possint ut demonstrationes, quia videlicet argumenta sunt extrinseca, non e ratione, sed testimoniis petita.

Dupliciter potest aliquid demonstrari possibile, negative scilicet & positive. Tunc aliquid censetur negative demonstrari possibile, cum solvuntur omnes objectiones quæ adversus illud proponuntur: ubi notandum est istud probationis genus nonnisi valde improprie dici demonstrationem.

Observandum insuper alio plane modo hic ratiocinandum esse de possibilitate, & alio de existentia Incarnationis; alia quippe via quippiam demonstratur possibile, alia vero demonstratur existens, uti postea videbitur in nostris probationibus. His positis sit

Prima Conclusio.

Incarnatio Verbi divini negative demonstratur possibilis.

Probatur. Quia tunc aliquod Mysterium censetur negative demonstrari possibile, cum solvuntur objectiones quæ adversus illud proponi solent, ita ut unicuique pateat hoc Mysterium nullam involvere contradictionem manifestam: sed solvi possunt objectiones quæ adversus Incarnationem proponuntur, & revera solvuntur, ut patet ex dictis modo. Igitur Mysterium Incarnationis negative demonstratur possibile.

Secunda Conclusio.

Incarnatio Verbi divini positive demonstrari non potest possibilis.

Probatur. Quia ut Incarnatio Verbi divini demonstraretur possibilis; deberet esse in rerum natura aliquid simile Incarnationi, ex quo probe cognito judicari certo posset illam esse possibilem: sed nihil occurrit in rerum natura simile Incarnationi; quin potius unio illa ineffabilis Verbi divini cum natura humana omnem mentis nostræ captum superat, naturaliter & citra revelationem non intelligitur Verbum Dei, Deum ipsum, fieri hominem; ita ut non alia sit persona naturæ humanæ, quam Verbi ipsius persona. Igitur Incarnatio naturaliter demonstrari non potest possibilis.

Quamobrem Incarnatio dicitur a S. Paulo *Mysterium absconditum a sæculis* ad Coloss. cap. 1. *Sacramentum absconditum a sæculis in Deo*. Ephes. cap. 3. Et SS. Patres eodem plane modo loquuntur, quos inter citari merito potest S. Augustinus sic de Verbi divini Incarnatione disserens Ep. 137. *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse quod nos fateamur investigare non posse; in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis*. Quod non est sic intelligendum ut omnis hic arceatur disputatio, quippe statim e medio tolleretur nostra Theologia, quæ id sibi muneris vindicat, ut vel abstrusissimas Mysteriorum notiones perscrutetur; sed quod in illo investigando Mysterio primas posterioresque partes habeat fides, cui mancipari debet ratio humana.

Objicies. Cognoscitur lumine naturali fieri posse naturam divinam ita uniri

natu-

naturæ humanæ, ut natura humana non sit persona; ubi primum enim natura aliqua est pars totius, eo ipso non est ipsa totum, adeoque non est persona: atqui tamen in eo solummodo positum est Mysterium, quod duæ in Christo admittantur naturæ & unica persona. Ergo recte concipitur Incarnationem esse possibilem.

Quibus & adjicio quamplurima esse in rerum natura huic Mysterio plane similia nam v. g. anima rationalis & corpus, tametsi sint substantiæ omnino diversæ, nihilominus in homine uniuntur unione intima & physica; ita ut ex illis unitis resultet una persona. Præterea ramus stipiti diversæ naturæ insitus cum eo efficit unum suppositum: quidni ergo concipitur possibilis Incarnatio Verbi divini?

Nego ant. & dico istam unionem Verbi divini cum natura humana esse omni ex parte incomprehensibilem; quis enim intellexerit duas naturas infinite inter se dissitas, quarum una est increata, altera creata; una immensa, altera loco addicta, una infinita, altera finita; una spiritalis, altera corporea; tamen ita intime & physice uniri, ut ad idem plane suppositum pertineant? Quis capiet investigabiles divitias misericordiæ Dei, qui voluit exinanire semetipsum, formam servi accipiens? Quocirca hoc Mysterium visum est Judæis scandalum, & stultitia gentibus.

Jam vero falso supponitur in objectione proposita totam hujus Mysterii rationem in eo positam, quod duæ substantiæ in unum idemque totum coeant, ita ut una ex illis ante unionem non sit totum, adeoque nec persona, facta vero unione sit persona: id quippe neutiquam mirabile est; anima enim rationalis separata a corpore non est persona, non est totum, sed pars; juncta vero corpori efficit totum quod persona est, ita ut in quolibet homine sint duæ naturæ, unica vero sit persona. Sed quamplura alia sunt in Mysterio Incarnationis, quæ mentis nostræ captum superant, uti mox dictum est.

Quod spectat ad similitudines quasdam in objectione adductas, respondeo ejuscemodi exempla nonnisi imperfectam Incarnationis imaginem & speciem præ se ferre 1. Quia corpus & anima in homine non eodem modo inter se distant ac Verbum divinum & natura humana; corpus enim & anima partes sunt natura sua ordinatæ ad constituendum hominem. Deinde nec possibilem fortasse admitteremus unionem inter animam rationalem & corpus in homine, nisi eam vel traderet fides, vel comprobaret experimentum, ut egregie disserit S. August. qui Epist. 137. mox citata, fuse adducta comparatione mixturæ, ut ait, corporis & animæ in homine cum mixtura Dei & hominis, & agitata quæstione, quænam sit ex illis duabus mixturis credibilior, sic demum concludit: *Si autem utrumque nobis inexpertum credendum præciperetur, quid horum citius crederemus?*

Quæ porro comparatio petitur ex ramo qui stipiti diversæ naturæ insitus cum eo unam efficit arborem, nihil omnino officit; non est enim magnum discrimen inter ramum & stipitem, quasi pene incredibile sit ex utroque juncto unam posse fieri arborem.

Cæterum objectiones quæ proponi solent, ut ostendatur universim aliquod Mysterium demonstrari posse ratione naturali, jamdudum solvimus tom. 2. hujusce Operis, ubi quæstionem instituimus, num possit naturali lumine demonstrari Mysterium SS. Trinitatis.

Tertia Conclusio.

Incarnatio non potest naturaliter demonstrari existens.

Probatur: Quicquid ratione naturali demonstratur existens, vel demonstratur a priori seu per causam, vel a posterio-

riori hoc eſt per effectus : ſed Incarnatio Verbi divini neque a priori neque a poſteriori demonſtrari poteſt exiſtens. Non a priori quidem, quia nulla eſt Incarnationis cauſa quæ cum illo Myſterio ſit neceſſario connexa. Neque etiam a poſteriori; nulli quippe ſunt in rerum natura effectus, nulli unquam prodierunt qui cum Incarnatione ſint neceſſario conjuncti. Ergo Incarnatio non poteſt naturaliter demonſtrari exiſtens.

Objicies. Demonſtratio a poſteriori eſt ea quæ fit per effectus : ſed Incarnatio demonſtratur per effectus; puta per miracula quæ patravit Chriſtus, quæ quidem invicte probant Chriſtum fuiſſe Deum; erat autem aliunde evidens Chriſtum eſſe hominem : igitur a poſteriori demonſtratur Incarnatio.

Nego min. Siquidem miracula Chriſti perſuadebant quidem Chriſtum fuiſſe a Deo miſſum & virtute divina operari; unde dicuntur motiva credibilitatis omnium validiſſima ad probandam veritatem Religionis; ſed illa miracula quota quantaque fuerint, per ſeipſa præciſe non evincebant Chriſtum fuiſſe verum ac ſummum in natura Deum; quia ſcilicet alia & quidem ſimilia miracula patrarunt Prophetæ & Apoſtoli. Dehinc, cum teſtetur Chriſtus ſe verum eſſe Deum Patri conſubſtantialem, Verbum Dei æternum, apud Deum exiſtentem & Deum ipſum; miracula Chriſti remote & conjuncta cum ipſius Chriſti teſtimonio probant ipſum eſſe Deum, non autem ſi per ſeipſa ſola conſiderentur. Unde ex illis ſtupendis effectibus minus proprie diceretur Verbi divini Incarnationem demonſtrari.

Quæres utrum Incarnationis Myſterium fuerit notum veteribus Patriarchis, item Judæis ac gentibus, ac demum beatis Angelis ac dæmonibus.

Ad primum, reſpondeo veteribus Patriarchis quodammodo cognitum fuiſſe Myſterium Incarnationis, quia videlicet in Chriſtum mediatorem futurum ſperabant, uti manifeſte colligitur ex Scripturis. Abrahamo v.g. promittitur Meſſias tanquam omnium gentium ſalus, Geneſ. 22. *Benedicentur*, inquit illi Deus, *in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Quod de Chriſto Domino explicat divus Paulus ad Galat. cap. 3. his verbis; *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus; non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus*.

Eandem veritatem declarant vaticinia ſuperius adducta Jacob & Danielis, ex quibus, uti oſtendimus, aperte ſequitur Meſſiam, adeoque Chriſtum Dominum præter quem alius nemo eſt Meſſias, clare fuiſſe annuntiatum.

Ad ſecundum, dico alios quamplures Judæos, aut ſaltem viros ſanctos ac religioſiſſimos notum habuiſſe Myſterium Incarnationis. Siquidem ea ipſis conceſſa fuit notitia quæ ad eorum ſalutem fuit neceſſaria : ſed notitia Chriſti ſaltem in genere quatenus mediatoris venturi, fuit ſemper ad eorum ſalutem neceſſaria, ut innumera probant Scripturæ teſtimonia, ad Romanos cap. 10. *Finis enim legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*. Galatarum 3. cap. *Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificaremur*. Act. 4. cap. de Chriſto ſic loquitur divus Petrus: *Non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*.

Ad tertium, reſpondeo aut nullos aut pauciſſimos ex gentilibus Chriſti venturi notitiam habuiſſe. Primum ſatis aperte colligi poſſet ex Scripturis, quæ hoc ſpeciale privilegium tribuunt Judæis, quod verum Deum coluerint, Pſal. 75. *Notus in Judæa Deus*. Pſal. 147. *Qui annuntiat verbum ſuum Jacob, juſtitias & judicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Alterum eſt quod addidi, quoſdam ad ſummum & quidem pauciſ-

cissimos ex gentilibus Christum novisse venturum, in eo fundatur quod nonnulli Patres & Theologi illud suspicantur de Job & Ninivitis. Qua de re consuli possunt S. Augustinus Epist. *169.* & lib. 8. de Civit. Dei, cap. 47. tum vero Richardus a Sancto Victore lib. de Incarn. cap. 8.

Ad quartum, respondeo Angelis beatis cognitum fuisse Mysterium Incarnationis seu ante seu post Christi adventum. Ac prima pars quidem recte colligitur ex eo quod Angelos latere non potuit sensus vaticiniorum, puta vaticinii Jacob, Danielis & aliorum, quæ de Christo facile interpretari sunt homines non præ pati. De Incarnatione vero peracta manifeste patet ex Scripturis, Lucæ cap. 2. *Et dixit illis Angelus: Nolite timere; ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* 1. ad Timoth. 3. cap. *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus.* Ergo post peractam Incarnationem Christum noverunt Angeli.

Ad ultimum denique, dico dæmonibus notum non fuisse Mysterium Incarnationis; nam legimus Matth. c. 4. Christum a diabolo tentatum: *Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Num vero sic locutus esset diabolus, si Christum esse verum Deum putasset? Idem vero expresse docet S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 2. his verbis: *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit.*

Utrum Incarnatio Deo fuerit conveniens.

Suprema Dei majestate indignam esse Incarnationem putant non modo gentiles & Judæi, sed & nonnulli e veteribus hæreticis, qui propterea dicunt Verbum Dei nonnisi speciem & larvam carnis assumpsisse; quod quidem somnium Tertullianus Lib. 3. contra Marc. cap. 3. his verbis: *Quale est ut dedecus existimaverit veritatem potius quam mendacium carnis?* Quapropter adversus eos sit.

CONCLUSIO.

Incarnatio Verbi Deo non est indigna, sed ei maxime conveniens.

Probatur. Illud est Deo maxime conveniens, in quo non parum elucent divina ejus attributa: atqui in Incarnatione Verbi non parum elucent divina attributa, præsertim vero bonitas, justitia, sapientia & potentia. Bonitas quidem, quia Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Justitia, quia Rom. 3. *In Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ.* Sapientia, quia 1 Corinth. 1. *In Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum.* Denique ostendit Deus hoc in Mysterio summam virtutem & potentiam, quia ut ait ibidem Apostolus, *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est.*

Atque hoc idipsum manifeste docet Damascenus lib. 3. de Fide cap. 1. *Per Incarnationis Mysterium, inquit, monstratur bonitas & sapientia & justitia & potentia Dei. Bonitas quidem, quia non despexit proprii plasmatis infirmitatem. Justitia, quoniam homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum. Sapientia vero, quoniam invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem. Po-*

tentia denique, quia nihil est majus quam Deum fieri hominem.

Objicies. Illud Mysterium Deo indignum est, in quo deprimitur & vilescit divina majestas: atqui in Incarnationis Verbi divina majestas deprimitur & vilescit; quem enim orbis universus capere non potest, is intra corpusculum hominis latet, in quo patitur, cruci affigitur, moritur: ergo Incarnatio Deo indigna est.

Nego min. Is enim nec vilescit quicquam, nec deprimitur, qui suorum attributorum nullam imminutionem patitur: atqui Deus in Mysterio Incarnationis suorum attributorum nullam imminutionem patitur, ut docent sancti Patres, qui ut hanc gentilium de vilitate Incarnationis calumniam propulsent, negant meliorem excogitari potuisse modum, quo Deus salutem generis humani procuraret, quam si ista hominum judicio vilia & contempta, divinæ vero sapientiæ magna & excelsa amplecteretur; ita

S. Justinus Apolog. 1. ait *hominem propter nos factum esse Verbum, ut passionum nostrarum particeps nobiscum, remedium adhiberet.*

S. Irenæus Lib. 3. cap. 20. *Oportebat eum*, inquit, *qui inciperet occidere peccatum & martyrem redimere hominem, idipsum fieri quod erat ille, id est, hominem.*

S. Greg. Nissenus Oratione catechetica cap. 27. *Unde*, inquit, *si terrestrem naturam indignam reputant quæ cum Deo copuletur, nulla erit alia quæ digna eo censeatur. Quod si infra dignitatem hanc ex æquo sunt omnia, illud sane Deo conveniens est, ut egenti benefaciat.*

Rufinus in Symbolum, istum Dei ad infima nostra descensum nihil indignitatis habuisse sic ostendit: *Si quis videat parvulum in profundo cœni necari, & ipse cum sit vir magnus & potens extremum, ut ita dixerim, ingrediatur cœnum, ut parvulum haberet morientem; pollutusne a te accusabitur hic vir, qui paululum calcaverit luti? an ut misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro?* addit & similitudinem *cujus radius si in cœni alicujus voraginem demittatur, nunquidnam aliquid inde pollutionis acquirit?* Item ignis qui *nulla materia vel obscena vel turpi adhibita pollui creditur.* Quæ comparationes solent in hanc rem frequenter a sanctis Patribus usurpari.

S. Augustinus infima hæc & abjecta non esse quæ a Deo facta sunt in Incarnatione, ostendit Epist. 137. his verbis: *Nasci de Virgine, a mortuis resurgere, in cœlum ascendere; hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet ignoro.* Ita demum alii Patres Græci & Latini, qui in vindicandam Dei majestatem in isto Incarnationis Mysterio certatim incubuerunt.

Objicies. Iniquum est morti addicere innocentem: atqui hoc in Mysterio Incarnationis Christus, tametsi innocens & ab omni labe purus, innumeris miseriis & morti demum ipsi addictus est: ergo divinæ justitiæ adversatur hoc Mysterium.

Dist. maj. Si nolens morti addicatur, C. si utique volens, N. volenti enim non fit injuria. Porro Christus utique volens & lubens mortem oppetiit; oblatus est quia voluit; a seipso animam posuit, qui nonnisi conditionatum, hoc est ab ipsius libera acceptatione suspensum, acceperat a Patre divino moriendi præceptum, ut postea dicemus. Unde ex hoc nulla redundavit in Deum injustitia.

An

An convenientius fuerit Filium incarnari, quam Patrem & Spiritum ſanctum.

CONCLUSIO.

Convenientius fuit ut Filius incarnaretur quam Pater & Spiritus ſanctus.

Probant illud Theologi ex nonnullis rationibus quas huc & illuc diſperſas legimus apud SS. Patres.

1. Quia congruum fuit ut per illum repararetur natura humana, per quem natura fuerat condita: ſed per Filium Dei omnia ſunt a Patre æterno condita; Joan. 1. cap. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Hac ratione utitur S. Athanaſius lib. de incarnatione.

2. Congruebat ut qui fuit ab æterno Filius Dei, foret hominis Filius in tempore; ſi enim Pater natus fuiſſet aut Spiritus ſanctus, in divinis Perſonis fuiſſent duo filii; quod omnino videtur abſurdum.

3. Quia manere debuit immobilis proprietas attributorum quæ ſingulariter competunt Perſonis divinis; qualis eſt v.g. innaſcibilitas, quæ propria eſt Patri; ingenerabilitas, quæ competit Spiritui ſancto. Sed ſi Pater fuiſſet incarnatus, jam excidiſſet ab innaſcibilitate; & ſimiliter in eodem caſu Spiritus ſanctus natus & genitus diceretur per Incarnationem ſcilicet. Ita Joannes Damaſcenus lib. 4. Fidei orthod. cap. 4. *Propter quod*, inquit, *Filius Dei filius hominis fit, ut maneat proprietas immobilis; Filius enim Dei cum eſſet, filius hominis factus eſt, incarnatus ex ſancta Virgine, & non deſtitit a filiali proprietate.*

Quarto denique, Filius Dei videtur potius incarnatus, quam Pater & Spiritus ſanctus, ut qui Filius Dei naturalis eſt, Filios adoptionis nos efficeret, Galat. 4. cap. *Miſit Deus Filium ſuum, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

Utrum convenienti tempore peracta fuerit Incarnatio Verbi.

Docet Apoſtolus Filium Dei veniſſe in plenitudine temporum, Galatarum cap. 4. *Ubi venit plenitudo temporum, miſit Deus filium ſuum.* Per quam temporis plenitudinem intelligitur, ut aiunt Interpretes, hoc temporis punctum in quo Deus implevit quod ab æterno conſtituerat. Quare vero nec prius nec tardius hoc Myſterium hominibus diſpenſaverit, non eſt, ut opinor, curioſius quam par eſt inveſtigandum; prima ratio facti eſt voluntas facientis.

Hoc primo certum eſt Verbum Dei incarnari non debuiſſe ante lapſum hominis; nam ex Scripturis non venit Chriſtus niſi ut genus humanum repararet, Matth. 9. *Non venit Chriſtus vocare juſtos, ſed peccatores.* 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.*

At nonnihil difficultatis faceſſere poteſt quod ſtatim poſt hominis lapſum Chriſtus non venerit, quia docuit S. Petrus Act. 4. præter Chriſtum non eſſe aliud nomen ſub cœlo datum hominibus in quo oporteat ſalvos fieri, unde videretur homines per integrum quatuor mille annorum ſpatium ſalutis ſuæ remedio caruiſſe.

Huic ipſi difficultati reſpondet S. Auguſtinus Epiſt. 102. his verbis: *Quicumque ab exordio generis humani in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & ſecundum ejus præcepta pie & juſte vixerunt, quandolibet & ubilibet fuerint per eum procul dubio ſalvi facti ſunt.. Sicut enim nos in eum credimus & apud Patrem manentem & qui in carne jam venerit; ſic credebant in eum antiqui & apud Patrem manentem & in carne venturum..... Ita ſalus religionis hujus per quam ſolam ſalus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit qui dignus fuit; & cui de-*

 fuit

fuit dignus non fuit; & ab exordio propagationis humanæ usque in finem quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur. Ubi notandum obiter per hæc verba, *qui dignus fuit*, intelligere S. Doctorem, non qui dignus est propriis meritis, sed ex gratia Dei, ut ipse exposuit lib. 2. Retract. cap. 31.

De causis Incarnationis Verbi.

CAusa cujuslibet rei quadruplex distinguitur, nempe finalis, efficiens, materialis & formalis: de his quatuor causis Incarnationis sigillatim nunc agendum est.

Circa causam finalem Incarnationis, quæritur utrum ita certo Verbum Dei incarnatum sit ad procurandam generis humani redemptionem, ut si Adamus non peccasset, peracta non fuisset Incarnatio; tum vero utrum & quo sensu necessaria dicatur Incarnatio.

Circa causam efficientem quæritur utrum Christus plene & perfecte satisfecerit pro peccatis hominum, ita ut nemo alius præter ipsum accuratam solutionem exhibere potuerit, ubi & subjungemus aliam quæstionem, an aliquis effecerit suis meritis, ut Deus incarnaretur.

Circa causam materialem Incarnationis videbimus quæ sint partes ex quibus componitur Christus, quotuplex v. g. sit in eo persona, quotuplex sit natura.

Denique circa causam formalem nonnulla subjiciemus de unione hypostatica, de communicatione idiomatum, quæ hanc sequitur unionem, & de variis demum Christi Domini dotibus.

Utrum peracta fuisset Incarnatio si Adamus non peccasset.

VErbum Dei incarnatum fuisse propter extinctionem peccati & redemptionem hominum, inconcussum est Religionis Christianæ dogma adversus Pelagianos, qui cum peccatum originale non agnoscerent, aiebant Christum venisse, non ut homines e captivitate peccati redimeret, sed eos suo doceret exemplo, uti non semel testatur S. Augustinus scribens in illos hæreticos.

Hi vero innumeris revincuntur argumentis quæ super ea re nullum relinquunt dubitandi locum Matth. 9. *Non venit Christus vocare justos sed peccatores*; & cap. 18. Christus de se ipso loquens: *Venit*, inquit, *filius hominis salvare quod perierat*. 1. Timoth. 1. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*. Ad Rom. 8. *Nam quod impossibile erat legi*, inquit, *in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne*. 1. Joann. 3. *Ille apparuit ut peccata nostra tolleret*. Quod ipsum declarat Symbolum Concilii Nicæni magni: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est, & homo factus est*. Quibus haud dubie astipulantur omnes SS. Patres Græci & Latini: sic v. g. inter alios S. Augustinus Sermone 4. de Natali Domini: *Duplex*, inquit, *principaliter causa est, ob quam Dei Filius factus est filius hominis; una est ut secundum hominem omnia patiendo pro nobis a peccatorum vinculis nos liberaret .... Altera, ut nos quos sanguine suo redemit a vitiis & criminibus, non solum doctrinæ auxilio & gratiæ, sed etiam exemplo suo ad studium sanctitatis accenderet*.

Est etiam hic animadvertendum in temeritatem Abælardi, qui referente divo Bernardo Epist. 190. ausus est negare hominem sub potestate diaboli constitutum esse per peccatum: *Ideo*, inquit, *sicut dicunt Doctores, hac necessitate incarnatus est Filius Dei, ut homo*

qui

qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure liberaretur a jugo diaboli; sed ut nobis videtur, nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit, nisi forte Deo permittente, ut carcerarius; nec Filius Dei ut hominem liberaret carnem assumpsit. Id asserebat, uti his verbis declarat, contra unanimem Patrum sententiam.

Hoc autem apertis etiam & Scripturarum & SS. Patrum testimoniis adversatur: *In hoc*, inquit, Joannes 1. Epist. cap. 3. *apparuit Filius Dei ut dissolvat opera diaboli*. De qua diaboli potestate mentionem frequenter faciunt SS. Patres. Rem istam longe fusius prosequemur infra contra Socinianos, qui non sine magna temeritate negant Christum pro peccatis hominum vere satisfecisse.

Sed celebris est disputatio inter Theologos, utrum propter istud solum motivum, nempe propter redemptionem generis humani, sic incarnatus fuerit Deus, ut si Adamus non peccasset, Verbum revera non fuisset incarnatum.

Volunt multi non propter solam redemptionem hominis lapsi, sed propter alios præterea fines & quidem priores & longe multo nobiliores venisse Christum, puta ut totius universi decus esset maximum, omnium creaturarum princeps ac Dominus, ut Angelorum caput, &c. ac proinde Adamo non peccante venturum, saltem in carne impassibili. Ita Alexander Halensis, Albertus, Scotus, Isambertus, & alii nonnulli.

Cæteri vero post sanctum Thomam existimant verisimilius esse non venturum fuisse Christum, si primus homo non peccasset; quorum sententiæ subscribimus.

CONCLUSIO.

Verisimiliter Verbum non fuisset incarnatum sublato peccato.

Probatur. Verbum non fuisset incarnatum, si Adamus non peccasset, modo unica Incarnationis causa finalis & motiva fuerit redemptio generis humani; sed unica Incarnationis causa finalis & motiva fuit redemptio generis humani. Nam ea sola censeri debet causa motiva Incarnationis, quam solam ubique assignant Scripturæ & sancti Patres; præsupposito enim hoc Scripturarum & sanctorum Patrum silentio, alia Incarnationis motiva Deo affingere, fingere est: atqui Scripturæ & Patres unicam assignant Incarnationis causam, nempe humani generis redemptionem, ut mox dicebamus.

Primo, Scripturæ, Matth. 18. *Venit Filius hominis salvare quod perierat*. Galat. 4. *Misit Deus Filium suum, ut eos qui sub lege erant redimeret*. 1. Timoth. 1. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*. Et ad Rom. cap. 8. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne*. 1. Joan. 3. *Ille apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est*. vers 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Quibus locis commemoratur pro causa motiva incarnationis redemptio hominum, de quovis autem alio fine Incarnationis altum silentium; quod videtur prorsus incredibile, si tot ex præstantissimis finibus, etiam redemptione hominis longe prioribus & excellentioribus, ut volunt adversarii, incarnatum fuisset Verbum...

Adde quod non modo istud argumentum quod negativum est, suppeditant Scripturæ, sed & aliud maxime positivum, quatenus eadem Scriptura videtur aperte omne aliud Incarnationis motivum excludere, Matth. cap. 4. ubi Christus ait: *Non veni vocare justos sed peccatores*; & Lucæ cap. 15. legitur parabola Pastoris, qui relictis nonaginta novem ovibus in deserto, descen-

dit

dit ut quæreret unam aberrantem, non utique descensurus nisi a vero tramite per peccatum aberrasset homo.

Secundo, idem colligitur ex SS. Patribus:

S. Irenæus libro 5. adversus hæres. cap. 14. hæc scribit: *Si enim non haberet caro salvari nequaquam Verbum Dei caro factum esset*. Excludit Irenæus aliud omne motivum Incarnationis a salute hominum.

S. Athanas. orat. 3. contra Arianos: *Necessitas*, inquit, *indigentiaque hominum anterior est quam illius nativitas, qua sublata carnem non induisset*.

S. Ambrosius lib. de Incarn. cap. 6. *Quæ erat*, inquit, *causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, per se redimeretur*.

S. Greg. Nazian. orat. 36. *Quænam*, inquit, *humanæ propter nos susceptæ naturæ causa extitit? nempe ut nos omnes salutem adipisceremur*.

S. August. Serm. 174. de verbis Apost. *Si homo non periisset, filius hominis non venisset*. Et Serm. 175. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere; tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ*. Idemque docet Epist. 194. & lib. 3. de peccat. meritis.

S. Chrysost. Hom. 5. in Epist. ad Hebræos: *Propter hoc*, inquit, *carnem assumpsit nostram, propter misericordiam solam, ut misereretur nostri; non est enim alia quæpiam causa dispensationis quam hæc sola*.

Quibus adjungi debent S. Basil. Hom. 29. S. Cyrill. Dialogo 5. de Trinitate. S. Hilar. lib. 1. & 2. S. Fulgent. lib. de Incarn. cap. 7. S. Leo magnus Serm. 3. in Pentecosten. S. Greg. magn. in 4. Reg. cap. 1. & alii passim; qui quidem nullam aliam Christi Domini adventus causam assignant præter humani generis reparationem; adeoque censent eum venturum non fuisse Adamo non peccante, neque ut ducem, neque ut legislatorem, neque ut caput hominum & Angelorum, ut pertendunt adversarii.

Unde hoc ipsum in Symbolo declarant Patres Nicæni his verbis: *Qui propter nos homines propter nostram salutem descendit de cœlis*. Et canit Ecclesia in benedictione Cerei Paschalis: *O vere necessarium Adæ peccatum, o felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!*

Objicies: Modo sint multæ aliæ Incarnationis causæ præter reparationem generis humani, certe peracta fuisset Incarnatio Adamo non peccante: atqui constat ex Scripturis multas esse alias Incarnationis causas præter reparationem generis humani; Christus enim venit ut magister hominum; Matth. 23. *Unus magister vester Christus*. Venit ut Pastor, Joan. 10. *Ego sum Pastor bonus*. Venit ut nostra justitia & sanctificatio, 1. Cor. 1. *Qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia & sanctificatio, & redemptio*. Ut caput hominum & Angelorum, Ephes. 1. *Benedixit nos omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo*. Venit ex dilectione mundi, Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret*. Venit ut vitæ autor, Joan. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*, Et alia id genus; unde aiebat August. lib. 13. de Trinit. c. 13. *in Incarnatione Christi multa alia cogitanda esse præter redemptionem*. Ergo Adamo non peccante peracta fuisset &c.

Distinguo min. alias causas secundarias, C. primarias & sufficientes, N. Scilicet ejuscemodi Incarnationis Verbi causas nonnisi secundarias fuisse constat. 1. Quia nulla ex iis in particulari sæpius repetitur & inculcatur in Scripturis; obiter solum & perfunctorie quælibet adducitur, cum econtra centies legatur Christum venisse ut salvatorem, redemptorem & medicum. 2. Quia nulla ex præfatis causis adducitur cum ex-

clu-

clusione cæterarum ; Christus autem venisse dicitur in reparationem hominum , quamlibet aliam causam excludendo , Matth. 4. *Non veni vocare justos , sed peccatores* . Quapropter venit quidem ut Pastor , sed ut Pastor ovium quæ perierant ; venit ut magister , sed qui habitantes in umbra mortis doceret, & ita de cæteris ; quo fit ut istæ causæ Incarnationis non sint nisi secundariæ, & ab alia primaria omnino pendeant.

Atque in eum sensum explicari debent innumera sanctorum Patrum testimonia, qui Christum passim affirmant ideo venisse , vel ut homines fierent filii Dei , vel ut virtutum in homines omnium ornamenta congereret , vel ut auxilia gratiæ , quam quæ Adamo concessa fuerant , potentiora conferret ; qui fines a Deo præcipue spectati non fuerunt in mente eorumdem Patrum ; recte vero generis humani restauratio , ut satis aperte declarant loca ex iis superius adducta .

Instabis . Ille venit primario in mundi dilectionem , gloriam & ornamentum ; in redemptionem vero generis humani nonnisi secundario ; qui prius fuit a Deo decretus & destinatus , quam prævideretur Adami peccatum : atqui Christus fuit prius a Deo decretus & prædestinatus , quam prævideretur Adami peccatum ; fuit enim ante omnem creaturam ex Scripturis , quod saltem intelligitur ratione decretorum Dei : Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum , antequam quicquam faceret a principio : ab æterno ordinata sum* . Et Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam* . Ergo Christus nonnisi secundario venit in redemptionem generis humani , primario vero propter alios fines .

Nego min. Fuit enim destinatus ut redemptor , ut salvator , ut medicus . Ad probationem vero dico ex his & similibus locis nihil quicquam colligi posse , quia de Christo ut Deus est , seu de sapientia Dei increata debent intelligi , ut vel tantisper attendenti patet . Nec moror quod apud septuaginta Interpretes habeatur *Dominus creavit me* , quod nonnisi de Christo dictum esse videatur ; si quidem *creavit* ibi idem est ac *genuit* ; in quem sensum hoc interpretati sunt Patres quarti sæculi , cum disputarunt adversus Arianos .

Instabis . Christus dicitur Coloss. 1. *Primogenitus omnis creaturæ* ; ubi sane de Christo ut homine sermo habetur : ergo fuit decretus ante omnem creaturam ; adeoque ante peccatum prævisum .

Dist. ant. Primogenitus ut Deus , C. ut homo , subdist. Primogenitus dignitate , C tempore , N. Modo unam , modo alteram solutionem amplectuntur SS. Patres . Prima est S. Ambros. lib. de Fide cap. 4. & S. August. lib. 1. de Trin. c. 12. Secunda est S. Hieronymi in cap. 1. Epist. ad Coloss. de Christo vero ut Deo locutum fuisse divum Paulum satis aperte indicant verba quæ immediate sequuntur : *Quoniam* , inquit, *in ipso condita sunt universa omnia per ipsum , & in ipso creata sunt , & ipse est ante omnes* .

Objicies verba S. Irenæi l. 3. c. 33. asserentis Christum in mente Dei futurum præextitisse Adamo : *Unde a Paulo*, inquit , *typus futuri* Christi *dictus est Adam , quoniam futuram circa filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum fabricator omnium Verbum præformaverat , prædestinante Deo primum animalem hominem , videlicet ut a spiritali salvaretur . Cum enim præexisteret salvans , oportebat & quod salvaretur fieri , uti non vacuum sit salvans* . Ergo .

Dist. ant. S. Irenæus asserit Christum in mente Dei futurum præextitisse Adamo creato & existente , C. creando & extituro , N. Scilicet ex S. Irenæo , cum Deus creavit Adamum , jam tunc cogitabat de Christo Adami salvatore

at

et non potuit prædefiniri Christus ut salvator Adami, nisi post prævisum ipsius Adami peccatum, ut per se patet. In quem sensum intelligi debent Tertullianus lib. de resurr. carnis c. 6. & S. Cyrill. Alex. l. 5. Thesa. c. 8.

Objicies autoritatem S. Augustini, qui lib. 1. de nuptiis & concup. c. 21. ait matrimonium Adami & Evæ in statu naturæ innocentis fuisse *sacramentum & signum conjunctionis Christi cum Ecclesia*. Atqui matrimonium non potuit esse signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, quin Christus fuerit definitus ante prævisionem peccati. Ergo Christus prædefinitus fuit ante prævisionem peccati.

Dist. maj. Fuisset sacramentum & conjunctionis Christi cum Ecclesia ex aptitudine & convenientia, C. ex institutione, N. Mens itaque S. Augustini non est eo loci matrimonium Adami & Evæ fuisse sacramentum institutum a Deo in signum unionis Christi cum Ecclesia, sed solummodo habuisse tunc temporis aliquam similitudinem & analogiam cum unione Christi & Ecclesiæ; nam id unum vult ostendere S. Augustinus matrimonium de se aliquid esse bonum & honestum; remque ex eo potissimum conficit quod extitit matrimonium ante peccatum in statu innocentiæ, illudque fuit signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, hoc est, castissima & honestissima conjunctio Adami & Evæ, qualis postea fuit conjunctio Christi cum Ecclesia; quod sane non supponit Christum fuisse decretum ante prævisionem peccati.

Objicies. Ille venisset Adamo non peccante, qui fuit decretus & destinatus ante prævisionem peccati: atqui Christus fuit decretus & destinatus ante prævisionem peccati. Siquidem Adamus fuit prædestinatus ante suum peccatum; & aliunde Christus fuit decretus & destinatus ante prædestinationem Adami; prædestinatio enim Adami facta est virtute meritorum Christi. Ergo.

Nego min. ad cujus probat. dist. maj. Fuit prædestinatus ad gratiam, C. ad gloriam, N. Itaque Adamus fuit quidem prædestinatus ad gratiam, antequam a Deo peccaturus prævideretur; non fuit autem prædestinatus ad gloriam; siquidem totum prædestinationis hominum & reprobationis negotium supponit saltem peccatum originale: prædestinatio est liberatio a massa perditionis; unde jure definitur a S. Augustino præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus liberantur certissime quicumque liberantur.

At inquies, omnis gratia est a Christo, Christus est fons & origo omnis gratiæ nostræ: ergo, si Adamus fuit prædestinatus ad gratiam ante prævisionem peccati, jam tum prædefinitus erat Christus.

Dist. ant. omnis gratia est a Christo post Adæ peccatum, C. ante peccatum, N. Scilicet gratia data Adamo ante peccatum, quæ vulgo dicitur a Theologis gratia Dei, erat omnino a Christi meritis independens, cujus incarnatio nonnisi ad reparationem hominum ordinata est.

Instabis. Si qua data fuisset Adamo gratia independens a Christi meritis, jam tota & integra Adami beatitudo in cœlis, quæ ejus meritis & gratiæ sibi collatæ correspondet, non esset a Christo, non penderet a Christi meritis: absurdum consequens, ergo & antecedens.

Neg. maj. quia cum illæ gratiæ datæ Adamo in statu naturæ innocentis, per ipsius peccatum extinctæ, & postea per pœnitentiam, quæ erat gratiæ Christi fructus, revixerint, inde factum est ut nullum fuerit in Adamo bonum opus & meritum a Christo independens.

Instabis. Ille fuit decretus & mittendus independenter a peccatis hominum, qui fuit caput non modo hominum,

num, ſed & Angelorum; poſtulat enim dignitas capitis ut ſit cauſa ſanctitatis membrorum; adeoque ſi Chriſtus fuit caput Angelorum, ſuis meritis eos ſanctificavit; ad id proinde venturus, etiam Adamo non peccante. Atqui ex S. Paulo Chriſtus fuit caput Angelorum, Epheſ. cap. 1. *Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* & Coloſſ. cap. 2. *Eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis*. Ergo Chriſtus veniſſet, tametſi Adamus non peccaſſet.

Diſt. maj. Qui fuit caput Angelorum quoad ſingulas capitis dotes & proprietates, C. quoad aliquas tantum capitis dotes & proprietates, N. Itaque capitis, quod nomen eſt profecto hic metaphoricum, variæ ſunt dotes, variæ proprietates; una eſt dignitas & eminentia præ cæteris membris; altera eſt influxus ſpirituum & vitæ in membra. Jam vero Chriſtus fuit quidem caput Angelorum quoad primam capitis proprietatem; quia cum *Deus ſuſcitavit illum a mortuis*, ut ait S. Paulus, *conſtituit illum ad dexteram ſuam in cæleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem*. Sed non fuit caput Angelorum quoad cæteras capitis dotes, puta quoad influxum gratiæ; ſiquidem non ex Chriſti meritis profluxit gratia Angelorum. Hæc fuſius explicabuntur infra.

Objicies. Ea ſententia propugnari non debet, quæ conciliari non poteſt cum pia omnium Chriſtianorum doctrina de immaculata Beatæ Virginis Conceptione: atqui talis eſt iſta ſententia. Nam iſta ſententia conciliari non poteſt cum immaculata Conceptione B. M. V. ſi hac poſita ſententia B. Virgo peccavit in Adamo: ſed poſita hac ſententia ſequitur manifeſte B. Mariam Virginem peccaſſe in Adamo. Tunc enim B. Virgo peccavit in Adamo, cum Adamus ipſe caput omnium hominum peccavit; ſi nempe B. Virgo ab illa communi lege hoc ipſo inſtanti non fuit præſervata: ſed in iſta hypoteſi, in qua nimirum Verbum divinum non fuit incarnatum niſi conſequenter ad peccatum originale, Adamus peccavit, & B. Virgo ab illa communi lege non fuit hoc ipſo inſtanti præſervata; ſiquidem ipſa ut docent omnes Theologi, non fuit præſervata a peccato originali niſi poſt Incarnationem decretam & propter merita Chriſti adeoque fuit potius purgata quam præſervata a peccato nempe originali quod contraxerat ante Incarnationem decretam; quandoquidem Incarnatio non fuit decreta a Deo niſi in remedium peccati originalis: igitur hæc ſententia neutiquam conciliari poteſt cum altera, in qua pie creditur ab omnibus Catholicis Conceptionem B. M. V. fuiſſe immaculatam.

Nego min. & ad probat diſt. min. Maria peccavit in Adamo quoad debitum, C. quoad actum, N. Ex eo itaque quod Adamus fuit ante peccatum conſtitutus caput omnium hominum, adeoque & Mariæ, ſequitur quidem Mariam cum cæteris hominibus peccaſſe in Adamo quoad debitum, non autem eam peccaſſe quoad actum: ſcilicet incluſa fuit in lege communi, & debebat vi legis concipi & naſci ut cæteri in peccato; quo enim inſtanti peccavit Adamus, omnes Adæ poſteri de ſemine Adæ naſcituri eo ipſo fuerunt legis debitores; quod quidem & de Maria veriſſimum eſt: ſed quia fuit hæc præ cæteris ſingulari privilegio præſervata, ideo non peccavit quoad actum, ſed tantum quoad debitum.

Inſtabis & probabis in hoc ſyſtemate Mariam peccaſſe in Adamo quoad actum; ſiquidem in illo inſtanti quo Adamus peccat, vel videt Deus B. Mariam peccare in Adamo quoad actum, & naſcituram in peccato; vel videt illam præſervatam, & non naſcituram in peccato; nam inter illa duo nullum datur me-

dium : atqui dici non poteſt Deum in illo inſtanti quo Adamus peccat, videre B. Mariam præſervatam & actu non naſcituram in peccato; ſiquidem contendunt omnes Theologi B. Virginem immunem fieri a labe peccati originalis per merita Chriſti : ſed in illo inſtanti quo peccat Adamus, Deus nondum videt merita Chriſti , quia nondum decretus eſt Chriſtus in hoc ſiſtemate . Ergo inde manifeſte ſequetur Mariam peccaſſe in Adamo quoad actum.

Nego ſub. & ad probat. nego maj. & dico Deum in illo priori inſtanti in quo Adamus peccat, nec videre Beatam Mariam actu naſcituram in peccato , nec videre eam actu præſervatam. Non videt quidem eam fore naſcituram in peccato, quia revera non eſt naſcitura in peccato : neque etiam videt eam præſervatam ab illa labe communi , quia nondum illam præſervare decreverat in illo inſtanti ; videt ſolum B. Virginem ad inſtar cæterorum hominum legi peccati originalis obnoxiam; quod importat illam debere peccato originali commaculari vi legis a Deo latæ, niſi ab illa lege communi diſpenſetur; adeoque peccare debere in Adamo, ſeu peccare quoad debitum , ut loqui ſolent ; non autem peccare actu vel peccaturam ; quo tamen inſtanti nondum eſt præſervata, quia nondum de illius privilegio ſingulari emiſſum eſt a Deo decretum .

Ergo, inquies, hoc inſtanti quo nondum Maria eſt præſervata a peccato , videt Deus illam peccare quoad actum.

Nego conſ. Siquidem inter illa duo eſt medium per utriuſque negationem; ſcilicet nec videt Deus illam eſſe præſervatam, nec illam actu peccaturam ; quemadmodum Deus in ipſa creatione Adami , nec vidit illum ſalvandum , nec vidit illum non ſalvandum aut damnandum ; quia nempe hoc præciſe inſtanti de illius prædeſtinatione aut reprobatione nondum quicquam decreverat .

Inſtabis . In illo priori inſtanti quo peccavit Adamus , Deus vidit Mariam Virginem peccantem ut peccabant cæteri homines , vel in eodem inſtanti illam præſervavit a communi lege : atqui cæteri homines peccante Adamo peccaverunt non modo quoad debitum, ſed quoad actum ; *in quo omnes peccaverunt*, inquit S. Paulus : ergo & ipſa Maria peccavit quoad actum , quo inſtanti peccavit Adamus.

Nego min. & dico omnes homines peccante Adamo ſolum peccaſſe quoad debitum; ſcilicet id unum importat lex peccati originalis , ut cum peccavit Adamus , de ipſo omnes ejus poſteri legis fuerint debitores , hoc eſt, ſtatutum fuerit ut qui concepti forent & nati de ſemine Adæ, ſtatim in ipſa ſua conceptione & ortu contraherent actu peccatum originale ; quo fit ut ſinguli homines Adamo peccante peccaverint quoad debitum , & quilibet poſtea in ſua conceptione peccaverit quoad actum, excepta tamen B. Virgine Maria , quæ tametſi fuiſſet , ut cæteri homines obnoxia legi tamen ſingulari privilegio præſervata eſt , ut quoad actum non contraheret peccatum in ſua conceptione ; quod quidem factum eſt conſequenter ad decretum Incarnationis.

Objicit Scotus. Adamo non peccante veniſſet Chriſtus , ſi Incarnatio prius fuerit a Deo decreta quam hominis redemptio : atqui prius Incarnatio fuit a Deo decreta quam hominis redemptio; qui enim ordinate aliqua vult , prius videtur velle id quod eſt fini propinquius : atqui Incarnatio eſt medium propinquius fini quem ſibi propoſuerat Deus , puta manifeſtationi gloriæ ſuæ, quam redemptio hominum : ergo prius voluit Chriſti incarnationem & gloriam, quam præviderit Adamum caſurum.

Nego min. Hominis enim redemptio fuit finis, & incarnatio medium : agens au-

autem prius vult finem quam media. Ad probat transeat major, nego min. Si enim unum ex istis duobus propinquius est gloriæ Dei, quam alterum, profecto hominum redemptio propinquior dici debet ipsa Incarnatione, quæ facta est propter redemptionem. Cæterum non est hoc argumentum Scoti ingenio & subtilitate dignum.

Utrum Incarnatio Verbi fuerit necessaria.

IN variis diversisque suppositionibus tractatur ista quæstio apud Theologos.

Primo, docet Raymundus Lullus necessariam fuisse Incarnationem absolute, & ne quidem supposito decreto creationis mundi; quia, inquit, non potuit Deus non decernere quod est optimum & perfectissimum.

Refellitur illa sententia, tum quia docet catholica fides Deum in omnibus actionibus ad extra, qualis est Incarnatio, esse liberrimum, *omnia enim quæcunque voluit fecit*, Psal. 113. tum quia mox ostendimus e Scripturis & sanctis Patribus Incarnationem Verbi ubique pendere ex hominum lapsu; ita ut sublato peccato venturus non fuisset Christus: ergo absolute loquendo necessaria non fuit Incarnatio.

Alii existimant incarnationem non esse quidem necessariam absolute, sed ex suppositione creationis mundi; tametsi enim, inquiunt, Deus non tenebatur mundum condere, tamen ex hypotesi quod illum condiderit, debuit & Incarnationem Verbi decernere, quia sua non esset summa perfectio huic rerum universitati, si Verbo careret incarnato. Ita quidam recentior magni nominis apud Philosophos non infimæ notæ, sed in rebus Theologicis parum versatus. Refellitur illa sententia iisdem argumentis quibus superiorem confutavimus, quippe quæ plus non habet soliditatis, nec nisi ab ejuscemodi hominibus propugnari potest; qui incomprehensibilia judicia Dei, viasque ejus investigabiles, quid fecerit, quid debuerit facere, quid fecisset in his vel illis suppositionibus, non e Scripturis & sanctorum Patrum testimoniis, sed ex meris fictionibus & commentis vaticinari amant.

Quod enim ajunt, Deum utpote excellentissimum artificem id semper producere quod est optimum, profecto nullius est momenti; Deus enim non producit quod est optimum nisi in actionibus ad intra; cùm autem libere agit ad extra, non cogitur ad producendum quod est præstantissimum; aliter ejus omnipotentia uno semel posito effectu exhauriretur; unde dicitur Sapientiæ 11. *omnia in mensura, numero & pondere disponere;* & ut ait D. Paulus Ephes. 1. *qui universa operatur secundum consilium voluntatis suæ*. Quapropter facit semper Deus optimum, si optimum esse illud intelligatur quod est maxime consentaneum ejus voluntati, ut egregie docet S. Augustinus Enchir. c. 96. his verbis: *Non enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult potest*.

At, inquiunt ex hypothesi, quod Deus mundum creare voluerit, non potuit ab eo opere abstinere ad quod fertur pondere infinito voluntatis: atqui fertur ad Incarnationem pondere infinito voluntatis, quippe quæ sit infinitæ perfectionis. Ita præfatus Malbrancus in suo de natura & gratia Libello. Igitur necessaria fuit Incarnatio, & ab illo opere Deus abstinere non potuit.

Dist. min. pondere infinito libero, C. necessario. N. Eo tendit manifeste ejusmodi ratiocinium ut nullus admittatur in Deo actus liber; qua enim ratione voluit Deus opus perfectissimum producere in mundi creatione, eatenus voluit quamlibet rerum universitatis partem condere, qua nimirum detracta opus non fuisset absolutum, adeoque

inde colligeretur aperte Deum circa omnes & singulas creaturas fuisse coactum, non liberum: quam opinionem omnino erroneam esse nemo non videt. Deinde falsum est Deum ferri ad Incarnationem pondere infinito; siquidem non est in Deo aliud pondus infinitum quam quo producit, Spiritum sanctum.

Tertia sententia est eorum qui contendunt Incarnationem non esse quidem a Deo decretam ut necessariam mundi partem, sed tamen ut quid futurum, tametsi nullum fuisset ex parte hominis peccatum; quam opinionem mox confutavimus, ubi ostendimus Christum non fuisse venturum, nisi peccasset primus homo.

Alii dicunt necessariam fuisse Incarnationem ex eo precise quod supponatur hominis lapsus; fuit enim, inquiunt, impossibile atque Deo indignum ut culpa hominis maneret sine condigna erga Deum vindicta: ita Anselmus lib. 1. & 2. *Cur Deus homo*, qui absolute pronuntiat postquam homo in peccatum incidit, non alio modo expediri inde potuisse, quam per Incarnationem Verbi.

Refelluntur, quia neutiquam necesse fuit ut repararetur genus humanum, quod Deo volente citra injustitiam perire poterat; unde hominum salus & redemptio soli divinæ charitati & benevolentiæ tribuitur in Scripturis; Sapientiæ 12. *Quis tibi imputabit si perierint nationes quas tu fecisti?* Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum*. Rom. 9. *Commendat autem charitatem suam Deus*. 1. Petri 1. *Secundum suam misericordiam regeneravit nos in spem vivam*. Unde Deus homines, uti Angelos rebelles, citra ullam injuriæ speciem deserere potuit.

Præterea Deus hunc & illum hominem patitur damnari, nec redimit, pro sua scilicet in res omnes ad extra positas libera potestate; cur non poterit idem pro cæteris omnibus decernere. Fuit quidem valde conveniens hominum reparatio; quod & aliqui Patres etiam cum nonnulla exageratione significant, ut S. Athan. lib. de Incarnat. hæc scribens: *Indecorum erat eos qui semel creati erant rationales penitus extingui; id enim indignum erat bonitate Dei, si quæ ab ipso creata essent, in interitum abirent ob diaboli adversus hominem fraudem*.

Sed hæc & alia similia eo sensu intelligi debent, quod Incarnatio pro redemptione generis humani suscepta, fuerit divinæ benevolentiæ maxime conveniens; non vero quod fuerit absolute necessaria & debita; vel eatenus necessaria dicitur ab illis scriptoribus Incarnatio, quod aliter plena & omnibus absoluta justitiæ numeris satisfactio esse nequiverit; quod utique nos confitemur, nec nostræ uspiam sententiæ adversatur.

Alii docent potuisse quidem Deum non redimere genus humanum quod perierat, necessariam tamen fuisse Verbi Incarnationem ex hypothesi quod hominem peccato lapsum redimere voluerit; ita Richardus a S. Victore lib. de Incarnatione, c. 8.

Refellitur illa sententia quæ manifeste pugnat cum Scripturis, sanctis Patribus, & ratione ipsa.

Scripturis quidem, quæ actiones Dei ad extra maxime liberas prædicant, Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit*. Ephes. 1. *Qui universa operatur secundum consilium voluntatis suæ*. Atqui liber non fuisset Deus circa hominum salutem, nisi potuisset alia via quam per Incarnationem hanc hominibus salutem procurare; electio enim libera est potissimum circa media quæ conducunt ad finem: ergo, &c. Est etiam illa opinio maxime contraria SS. Patrum scriptis doctrinam nostram ubique & aperte declarantibus. Ita S. Augustin. lib. de agone Christ. cap. 11. scribit: *Sunt autem stulti qui dicunt, Non poterat aliter sapientia divina liberare hominem, nisi susciperet hominem*. S. Athan. lib. 3. contra Arianos: *Poterat enim etsi nunquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus, ut maledictionem solveret*. Idem habent Gregor. Nazianzen. orat. 9. S. Cyrill. Alexandrinus de Incarnat. Leo Magn. Serm. 2. de Nativit. S. Bernard. Epist. 190. contra Abailardum.

Ter-

Tertio, & hæc nostra sententia ratione obfirmatur. Nam ut Incarnatio non sit necessaria etiam præsupposito decreto reparandi generis humani, satis est quod Deus alia via potuerit reparare genus humanum, quam per Incarnationem: atqui Deus potuit alia via reparare genus humanum quam per Incarnationem; potuit enim ex mera benevolentia peccatum omnino remittere, nulla repetita satisfactione; nulli enim injuriam facit qui de jure suo alteri concedit; si præsertim sit supremus rerum omnium Dominus. Ergo potuit Deus alia via quam per Incarnationem, & solo voluntatis nutu hominum peccata delere; adeoque necessaria non fuit Incarnatio, etiam in hypothesi quod voluerit Deus hominem peccato lapsum redimere.

Si vero nonnulli e sanctis Patribus affirmare videantur aliter quam per Incarnationem reparari non potuisse genus humanum, ii profecto intelligi debent ex hypothesi definitæ semel a Deo exactæ & accuratæ satisfactionis, non absolute & simpliciter. In hunc sensum sic scribit Cyrillus Alexandrin. lib. 5. Thessal. cap. 7. *Quoniam opus Dei non potest aliter reparari, necessario Deus homo factus est*. Quæ eadem eodemque sensu dicunt sanctus Augustin. Serm. 14. de temp. S. Basilius in Psalm. 28. S. Leo Serm. 1. de Pasch. & alii passim; qui enim ita necessariam fuisse Incarnationem contendunt, ut alius liberandi humani generis modus Deo non suppeteret, *stulti sunt*, inquit sanctus Augustinus.

Est aliorum contra opinio, qui contendunt ne quidem necessariam fuisse Incarnationem Verbi in hypothesi quod voluerit Deus perfectam & accuratam satisfactionem pro peccatis hominum exigere; quia, inquiunt, potuit pura creatura condigne & in rigore justitiæ injuriam Deo per peccatum illatam compensare; quam opinionem falsam esse mox demonstrabimus; ex quo palam fiet quid sentiamus circa necessitatem Incarnationis. Scilicet contendimus Incarnationem ad liberandum hominem fuisse necessariam, ex hypothesi quod perfectam & accuratam pro expiandis hominum peccatis satisfactionem exigere voluerit Deus. Quod quidem ut plenius exequamur, de satisfactione Christi fusius nunc agendum est.

De Satisfactione Christi.

QUoniam eo inscitiæ & temeritatis venerunt Sociniani, ut negarent Christum vere ac proprie pro peccatis hominum satisfecisse; adeo ut nonnisi metaphorice intelligenda sint creberrima, ne dicam infinita, illa Scripturarum loca, in quibus asseritur Christum suorum operum meritis ac sua potissimum morte salutem æternam hominibus procurasse, iram Dei placasse, peccata nostra delevisse, nosque a diaboli mortisque debito liberasse, & alia id genus: Opportunus esset hic locus in ejusmodi errorem animadvertere, cum videlicet agamus de Christi satisfactione; sed istud negotium, quod maximi sane momenti est, remittimus ad illam hujusce Tractatus partem, ubi ostendemus Christum Dominum vere ac proprie loquendo esse Salvatorem & Redemptorem humani generis.

Eam solum nunc attingemus quæstionem quæ inter Theologos agitari solet in Scholis, præmissa tamen vera ac nitida satisfactionis explicatione.

Quid sit satisfactio.

QUod in solvendis duabus, quæ hic occurrunt difficultatibus, quarum prima est an pura creatura potuerit Deo satisfacere; altera vero utrum accurate & condigne satisfecerit Christus, in tam varias diversasque opiniones abierint Theologi; inde factum est, quod in assignanda vera notione propriæ dictæ satisfactionis vel parum, vel neutiquam inter se consentiant; unusquisque vero pro suo nutu & ingenio diversas satisfactioni affingat leges & conditiones.

Nonnulli ad rigorosam satisfactionem cessa-

necessarium putant, ut in satisfactione teneatur creditor pretium satisfactionis a debitore oblatum acceptare; contra vero censent alii per se efficacem & in rigore justitiæ accuratam satisfactionem, nec suspendi posse per voluntatem creditoris, & non acceptationem, statim atque exhibetur a debitore pretium æquivalens.

Sunt qui requirunt ad satisfactionem, ut non fundetur in ulla gratia seu liberalitate creditoris; quia, inquiunt, ita gratia opponitur justitiæ, ut quantum de illa satisfactioni admiscetur, tantum de ista detrahatur. Contra vero dicunt alii non omnem gratiam rigorosæ ustitiæ opponi; sed eam solum qua gratis nonnihil debiti remittitur.

Volunt multi satisfactionem quæ potissimum exhibetur pro injuria, non esse secundum strictos juris apices, nisi ab eadem fiat persona quæ offendit: alii vero contra prætendunt id absolute non requiri; quia, inquiunt, si qui offensus fuit condignam ab aliquo tertio exhibitam satisfactionem acceptet, nihil potest ulterius exigi, nec quicquam de rigore justitiæ detrahitur, cum ejuscemodi acceptatio, ubi æquivalens datur pretium, non fit ulla condonatio nec remissio debiti.

Sunt qui demum putant necessarium ad rigorosam satisfactionem, ut æqualis sit dignitas personæ satisfacientis & personæ offensæ; quod tamen mordicus negant alii.

Nos vero qui in vanis & futilibus disquisitionibus vitandis nostrum omne studium collocamus, uni adhærebimus satisfactionis definitioni in scholis jampridem receptæ & usitatæ, ad cujus normam propositas difficultates nitide quoad fieri poterit, enucleabimus.

Satisfactio itaque definitur *Redditio voluntaria æquivalentis, ex propriis & alias non debitis, ad alterum*. Quam definitionem, tametsi competat quoque satisfactioni quæ pro rebus in materia pecuniaria debitis rependitur seu restitutioni; tamen prout spectat injuriam, potissimum explicabimus quoad præsens nostrum postulat institutum.

Dicitur *redditio*, quia satisfactio quævis supponit rem ablatam, in materia honoris supponit injuriam alicui illatam, & honorem ipsi ablatum qui per ipsam redditur & restituitur.

Voluntaria, quia ejuscemodi actus satisfactorius debet esse moralis & liber, quemadmodum injuria supponitur fuisse voluntaria ex parte offendentis, qui aliter nullam admisisset culpam; unde etiam, ut aiunt, qui per sententiam judicis publice pœnas luunt, dicuntur potius satispati quam satisfacere.

Dicitur *æquivalentis*, quia satisfactio est actus justitiæ commutativæ, cujus postulat ratio & officium, ut tantum reddatur quantum fuit ablatum, & quantum debetur, idque juxta proportionem arithmeticam, quæ nullam patitur debiti remissionem.

Additur *ex propriis*, quia nimirum ejusmodi redditio fieri non debet ex creditoris neque ex bonis alterius; si enim satisfactio fieret ex bonis creditoris, maneret semper idem debitum in debitore erga creditorem, ut per se patet; si vero satisfactio fieret ex bonis alterius, jam ipse debitor non satisfaceret, sed is cujus bonis uteretur debitor ad satisfaciendum; unde non possent evadere propria creditoris, cui darentur.

Et *ex indebitis*, unde proprie non censetur satisfacere qui quidem id dat quod jam alio ex titulo debet; si quis enim v. g. mutuo acceperit ab aliquo decem nummos, & tantumdem ob acceptas ab eodem merces debeat, profecto si decem solummodo nummos persolvat, accurate non satisfaciet; aut enim alterutrum manebit debitum, aut gratis unum remittetur a creditore.

Neque est quod adversus istam satisfactionis conditionem dicatur Clericum constitutum in sacris ordinibus & simul aliquo Beneficio ecclesiastico gaudentem, posse tamen utrique simul debito satisfacere unica eadem Breviarii recitatione;

quia

quia nempe hæc ſatisfactionis proprie dictæ lex in iis tantummodo locum habet, quæ ſunt juris naturalis, & pertinent ad juſtitiam; non autem ad ea quæ ſunt juris humani, adeoque ab hominum voluntate pendent, ut allatum demonſtrat exemplum; permiſit enim Eccleſia ut Clerici unica Breviarii recitatione duplici ſimul debito ſatisfacere poſſent.

Denique dicitur *ad alterum*; quia ſeu redditito ſit rei, ſeu ſit honoris, eſt vera redditio, nemo autem ſibi proprie quidquam reddit.

Hac poſita accuratæ & condignæ ſatisfactionis definitione, ad majorem propoſitarum quæſtionum elucidationem duo nobis potiſſimum adnotanda veniunt, quibus tanquam baſi & firmiſſimo fundamento innitetur noſtra ſententia circa utrumque caput.

Primum eſt, injuriam ſeu offenſam quam ſatisfactio reſpicit, ſuam præcipue gravitatem accipere ex dignitate perſonæ offenſæ; ita ut pro illius qui læditur gradu, creſcat offenſa neceſſe ſit. Unde ſi quis percutiat Principem major eſt injuria quam ſi percutiat plebeium. Ubi etiam ratio habetur vilitatis perſonæ lædentis; quo enim vilior eſt, eo magis creſcit injuria; unde ſi plebeius percutiat Principem, major eſt injuria quam ſi Princeps Principem. Quæ tamen non mathematice, ſed moraliter, ex hominum judicio & conſuetudine penſantur: ex eo autem creſcit injuria pro dignitate perſonæ læſæ, quod in injuria veluti involvitur excellentia & dignitas perſonæ læſæ, quæ violatur & ſpernitur per actionem lædentis.

Notandum eſt ſecundo valorem & meritum ſatisfactionis pro injuria quapiam repeti potiſſimum ex dignitate perſonæ ſatisfacientis; unde ſi Rex aliquam ſatisfactionem exhibeat, major eſt ſatisfactio, quam ſi eandem ipſam plebeius exhiberet; & ratio eſt quia in ſatiſfactione pro injuria illata perſona ſatisfaciens ſeipſam deprimit, ſuam dignitatem & excellentiam ſubjicit; dignitas perſonæ eſt veluti pretium quod datur in ſatisfactionem: quibus poſitis quæritur.

An purus homo potuerit Deo perfecte ſatisfacere.

PUrus homo hic intelligitur homo qui non ſit Deus, non autem homo qui ſit in puris ſuis naturalibus, omni gratiæ divinæ auxilio deſtitutus, ut nonnulli exiſtimarunt; immo ſupponitur vel homo, vel qualibet alia creatura, quæ ſit quibuſlibet gratiæ donis cumulata, nec tamen Deo ſit hypoſtatice unita; & quæritur, an potuerit condigne & accurate Deo ſatisfacere pro injuria ipſi per peccatum illata.

CONCLUSIO.

Mera creatura perfecte Deo ſatisfacere non potuit pro injuria ipſi per peccatum illata.

Probatur 1. ex Scripturis, Rom. 8. cap. *Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. 1. Timoth. 2. *Unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Et idem Apoſtolus totus eſt in Epiſt. ad Hebr. cap. 9. & 10. ut probet ſine morte & ſanguine Chriſti non potuiſſe unquam auferri peccata hominum; quæ quidem & ſimilia quæ paſſim leguntur in Scripturis, oſtendunt neceſſitatem Incarnationis Verbi, non quidem abſolutam, ut ſupra monuimus, ſed ſaltem ex hypotheſi quod voluerit Deus per condignam ſatisfactionem a peccato redimi genus humanum.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus.

Irenæus quidem lib. 3. cap. 20. hæc ſcribit: *Ni homo conjunctus fuiſſet Deo noſtro, non potuiſſet particeps fieri incorruptibilitatis... qua enim ratione filiorum ejus adoptionis eſſe poſſumus participes, niſi per filium eam quæ eſt ad ipſum recepiſſemus ab eo communionem, niſi Verbum ejus communicaſſet nobis, caro factum*.

S. Atha-

S. Athanas. lib. 3. contra Arianos : *Si quæ propria sunt carnis*, inquit, *Verbi propria non dicerentur , non ab illis prorsus liberatum esset humanum genus*.

S. Cyrillus Dialog. de Incarnat. Deum ait *apprehendisse non Angelos, sed semen Abrahæ ; hoc enim modo & non alio poterat recuperari genus in corruptelam prolapsum*.

S. Basil. in Psal. 48. *Ne fratrem quæras qui redimat, sed eum qui naturam tuam superat, neque merum hominem, sed hominem Deum Jesum Christum, qui solus potest dare propitiationem Deo pro omnibus nobis*.

S. Ambrosius in eumdem Psalmi locum : *Ipse est solus* , inquit , *qui redimet hominem, vincens pietate germanos , quia pro alienis sanguinem suum fudit , quem nemo potest offerre pro fratre*.

Eusebius Cæsariensis in lib. 1. adversus Sabellium : *Homo* , inquit , *non poterat totius mundi peccata tollere , quia omnes homines ex Adam : & non ex Deo : non quia est aliquis qui non est a Deo creatus per Filium . . . . Quia ergo justitia propria non habebat peccata , potuit mundi peccata portare ; qui ægrotat enim, alium sanare non potest ; & qui peccatis subjacet, aliena portare delicta non potest*.

S. Chrysostomus Homil. 20. in Joan. *Cecidit natura nostra*, inquit, *eo casu ut restitui non posset, nisi ab illa potentissima manu*.

S. Augustinus Tract. 4. in Epist. Joan. *In quo non est peccatum* , inquit , *ipse venit auferre peccatum ; nam si esset & in illo peccatum, auferendum esset illi , non ipse auferret*. Quod idem docet Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum.

Honorius Augustodunensis lib. de Prædest. *Quod autem*, inquit, *filius Dei est incarnatus seu pro homine immolatus , quantum ad ipsum sola fuit voluntas , quantum ad hominem, summa necessitas ; nisi enim hic incarnaretur, ille nunquam salvaretur*.

Proclus Episcopus Cizicenus Homil. in B. Virginem : *Jam vero*, inquit, *salutem homo conferre non poterat , quippe qui & ipse peccati debitum contraxerat ; sed nec Angelus humanum genus poterat redimere ; nam tali pretii inops erat. Restabat igitur ut pro iis qui peccaverant , impeccabilem mori oporteret Deum ; id enim supererat unicum mali remedium*. Idem prorsus docent cæteri Patres.

Probatur 3. ratione ; ut enim purus homo non potuerit Deo perfecte & accurate satisfacere pro peccato , satis est quod peccatum, gravius saltem & mortale, sit aliqua ejusce ordinis injuria quæ per ullam personæ finitæ actionem nunquam compensari potuerit : atqui peccatum mortale est aliqua in Deum ejusce ordinis injuria, ut per ullam personæ finitæ actionem compensari non potuerit; siquidem ordo, qualitas &, ut dicam , natura injuriæ æstimatur potissimum, ut supra diximus, ex dignitate personæ læsæ comparata cum qualitate personæ lædentis; hic autem persona læsa est Deus , cujus summa est super omnia dignitas & excellentia ; persona vero lædens homo est, qui comparate ad Deum est vilissimus & infimi ordinis. Ergo fieri nunquam potuit ut purus homo condigne & accurate Deo satisfaceret pro peccatis hominum.

Omitto, & quidem de industria, hanc nostram sententiam adhuc tueri hoc momento, quod scilicet peccatum sit infinitum, adeoque per meritum personæ finitæ reparari non possit ; quantumvis trita sit & communis apud Theologos hæc ratio ; siquidem, ut puto, dici non potest peccatum esse infinitum, uti & fusius ostendetur in Tractatu de peccatis.

Primò , quia si peccatum esset infinitum, paria & æqualia essent omnia peccata ; non est enim unum infinitum alio infinito majus : atqui nefas est prorsus dicere paria esse & æqualia omnia peccata : ergo peccatum proprie dici non potest infinitum.

Huic argumento ut respondeant adversarii, mirum in modum torquent se . Alii dicunt peccatum non esse quidem infi-

infinitum, ut actio est in genere entis, vel ratione malitiæ qua committitur, vel ratione maculæ quam imprimit; recte vero infinitum in genere moris, ut injuria & offensa in Deum.

Sed vana quidem est hæc responsio; inde enim sequeretur singula peccata esse æquales offensas, quandoquidem ea tenus peccata dici debent æqualia, quatenus sunt infinita; quis autem dixerit omnia in Deum peccata esse æquales offensas? homicidium non esse mendacio graviorem offensam?

Respondent alii adversus suam sententiam locum non habere illud argumenti genus, quia non contendunt peccatum esse infinitum intrinsece & in entitate, sed tantummodo extrinsece & objective, quatenus est injuria in Deum qui est infinitus.

At si in hunc duntaxat sensum dicant peccatum esse infinitum, jam caducum erit hoc argumentum, ut ostendatur purum hominem non potuisse Deo perfecte satisfacere; quia videlicet actus charitatis quem homo Dei gratia adjutus elicere potest, eodem plane modo infinitus est, extrinsece nimirum & objective; adeoque mera creatura per actum caritatis Deo poterit condigne & æquivalenter satisfacere. Ergo.

Secundo, si peccatum esset infinitum, quia est in Deum infinitum & infinitæ dignitatis, inde sequeretur peccatum veniale esse pariter infinitum & infinitæ gravitatis, est enim in Deum: atqui dici non potest peccatum veniale infinitum esse & infinitæ gravitatis; siquidem ei deberetur pœna infinita, quod dici nequit: ergo valde improprie dicitur peccatum esse infinitum.

Tertio, si qua esset ratio cur peccatum diceretur infinitum, maxime quia est offensa Dei infiniti, gravitas autem offensæ crescit pro gradu & conditione personæ læsæ: atqui offensa dici non debet infinita, ex eo quod veluti afficiat personam infinitæ dignitatis; nam eadem omnino foret mensura gravitatis peccati in Deum & ipsius divinæ majestatis; quo quidem absurdius fingi potest nihil. Neque est quod dicatur peccatum fore infinitum in suo genere, in genere peccati, in genere injuriæ; siquidem *infinitum* titulus est entis perfectissimi, vel modus summæ perfectionis, qui nonnisi Deo vel ejus perfectionibus tribui debet: quapropter purum hominem non potuisse perfecte Deo satisfacere, ex eo ostendi non debet quod peccatum sit infinitum, si emendate loqui sit animus.

Sunt etiam multi inter Theologos & quidem non infimi nominis, qui hanc thesim hoc fulciunt momento, quod ad perfectam satisfactionem requiritur ut sit ex propriis & indebitis; quod competere nequit satisfactioni a puro homine exhibitæ, quia purus homo neque ex propriis, neque ex indebitis satisfacere potest; siquidem quidquid boni in homine est a Deo acceptum habet.

Sed isti statum quæstionis non attigerunt; cum enim quæritur, an purus homo possit perfecte Deo satisfacere, is homo supponitur divinæ gratiæ auxilio adjutus & exornatus, adeoque non agere ex propriis & alias indebitis, hoc sensu quod plurima habet a Deo accepta: quapropter id unum potest in dubium cadere, an purus homo in illa hypothesi possit æquivalentem exhibere satisfactionem. His igitur omissis rationibus & momentis, præfatæ nostræ potius est adhærendum, utpote quæ veritati longe magis consona est.

Objicies. Ille accurate & condigne potest Deo satisfacere, qui potest Deo tantum reddere, quantum ei per peccatum ablatum fuit: atqui merus homo Deo non unitus hypostatice tantum Deo reddere potest quanto ei per peccatum fuit ablatum; si nempe per actum perfectæ caritatis ad Deum convertatur, sicut per peccatum ab eo fuit aversus, si pro actu infidelitatis det actum fidei: ergo.

Nego min. quia homo per actum caritatis & contritionis non reddit Deo honorem ablatum per peccatum, neque resti-

restitutio æqualis est debito; siquidem injuriæ gravitas, ut dictum est, reperitur ex dignitate personæ læsæ, quæ hic summa est; valor autem satisfactionis ducitur ex dignitate personæ satisfacientis, quæ vilis est comparate ad Deum, ut per se patet; adeoque purus homo quocunque actu vel etiam perfectæ caritatis, nunquam poterit Deo restituere honorem peccato ablatum; forsan poterit rem pro re ablata reddere, sed non poterit injuriam compensare.

Instabis. Actus finitus compensare potest offensam finitam: atqui ex concessis peccatum est offensa finita: ergo per actum caritatis tametsi finitum compensari potest injuria Deo illata.

Dist. maj. Si actus illi sunt ejusdem ordinis, C. si sint diversi ordinis, N. Tametsi igitur offensa esset finita, tamen per omnem actum finitum satisfactionis compensari non potest; quia an injuria per aliquam actionem compensari possit necne, judicari non debet penes rationem finitatis aut infinitatis, sed penes ordinem in quo sunt injuria & satisfactio; quapropter si plebeius alapam infligeret Regi, profecto nulla submissione posset tantam injuriam tametsi finitam compensare, quia satisfactio & injuria non sunt ejusdem ordinis; subjectio enim viri alcujus de plebe est infimi ordinis, & summa est injuria Regi facta a plebeio: adeoque licet fateamur peccatum non esse infinitum; non inde sequitur purum hominem posse pro eo expiando condignam exhibere satisfactionem.

Instabis. Tam actus charitatis fertur in Deum tanquam in objectum infinitum, quam injuria Deo illata: atqui actus morales ordinem suum habent ex objecto ad quod feruntur: ergo actus charitatis & offensa Dei sunt ejusdem ordinis.

Dist. min. Si sumantur ut actus, C. si sumantur ut injuria & ut satisfactio, N. Esto quod actus morales ut actu sunt, speciem suam & ordinem desumant ab objecto, tamen si spectentur vel ut offensæ, vel ut actus satisfactorii, de iis profecto aliter sentias, siquidem, ut fuse docuimus, ratio injuriæ ex dignitate personæ læsæ pensatur; satisfactio vero ex merito & excellentia personæ satisfacientis: ac proinde actus charitatis qui a puro homine exhiberetur in pretium satisfactionis, ordinem suum ac speciem non desumeret a Deo, quem respiceret ut objectum, sed a conditione & dignitate ipsius hominis satisfacientis: quæ vero dignitas, quæ excellentia in homine, si cum Deo conferatur?

Instabis. Inde sequi videtur ad perfectam satisfactionem pro injuria requiriut æquales sint in statu & dignitate persona læsa & persona satisfaciens; absurdum consequens; quantumvis enim valor satisfactionis æstimetur e dignitate personæ satisfacientis, non est tamen istud pensandum mathematice, quasi necessaria sit æqualitas in persona satisfaciente cum persona offensa; sed moraliter, ita ut attendatur ad alias satisfactionis circumstantias, & inæqualitas personæ satisfacientis non raro compensetur vel pœnæ gravitate vel actus merito. Et sane si rusticus offenso Regi vitam conservaret cum suo periculo, censeretur condigne satisfacere propter meritum actus, licet maxima sit inæqualitas personarum: ergo licet occurrat maxima inæqualitas Deum inter & purum hominem, tamen si homo pro levi aliqua inobedientia vitam cum sanguine in satisfactionem profunderet; censeri deberet illa actio condigne satisfactoria.

Dist. maj. Ut æquales sintin dignitate persona læsa & persona satisfaciens, secundum quid & secundum aliquam proportionem, C. simpliciter & secundum perfectam proportionem, N. Itaque non omnino quidem perfectam & absolutam æqualitatem exigimus inter personam læsam & personam satisfacientem; sed volumus ut intersit æqualitas secundum quid & fere perfecta, quia est in usu positum apud homines ut æstimetur potissimum satisfactionis valor ex dignitate personæ satisfacientis. Esto vero quod rusticus in al-

lato

lato exemplo censeatur injuriam Regi illatam compensare, quia is qui injuriam intulit alteri se digniori, potest nonnunquam compensare gravitate pœnæ id quod ipsi deest dignitatis personalis; tamen non inde sequitur purum hominem posse Deo perfecte satisfacere; quia constat longe majorem esse inæqualitatem Deum inter & purum hominem, quam inter rusticum & Regem, adeoque ex ejusmodi comparationibus nihil colligi potest.

Instabis. Purus homo divina gratia adjutus potest elicere actum caritatis quo mereatur vitam æternam: ergo potest elicere pariter actum quo Deo perfecte satisfaciat pro peccato commisso.

Nego conf. & par. Ratio disparitatis est quia actus charitatis quo justus meretur vitam æternam, meritum & valorem suum ducit a meritis Christi, non a dignitate ipsius justi Deum diligentis; neque enim, inquit Apostolus Rom. 8. cap. *Condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Unde mirum videri non debet, si homo per actum caritatis mereri possit vitam æternam; at caritatis actus, qui in pretium satisfactionis exhiberetur a puro homine, suum penitus valorem ab ipsius satisfacientis dignitate traheret; adeoque ejusdem ordinis esse nunquam posset cum injuria Deo illata; præterea in satisfactione nulla debet esse acceptatio, pretium ex se debet esse æquivalens: at, cum dicuntur justi Deo satisfacere pro peccatis suis & mereri vitam æternam, id intelligitur solum fieri propter acceptationem Dei, qui intuitu meritorum Christi bona opera justorum acceptat: scilicet plura requiruntur ad satisfactionem quam ad meritum, & quod hic potissimum spectari debet, ad veram & accuratam satisfactionem consideranda est personæ satisfacientis dignitas, non autem in operibus meritoriis.

Quæres utrum purus homo posset Deo perfecte satisfacere pro peccato veniali.

Respondeo nec posse purum hominem perfecte & accurate Deo satisfacere pro peccato veniali; idque ex iis principiis maxime colligitur, quæ superius a nobis adducta sunt. Cum enim ordo & gradus injuriæ desumatur potissimum ex dignitate personæ læsæ minima injuria Deo illata censeri debet esse in ordine superiori, comparate ad quemcumque puri hominis actum: adeoque non videtur purus homo satisfacere posse etiam pro peccato veniali.

At inquies, si ita esset de peccato veniali, profecto ei deberetur pœna æterna; nam si homo nunquam posset pro unico peccato veniali perfecte Deo satisfacere, Deus qui non tenetur in rigore justitiæ homini parcere, antequam divinæ justitiæ satisfecerit, poterit pro illo peccato veniali pœnam æternam repetere; absurdum consequens, quia peccatum veniale non meretur nisi finitam aliquam pœnam, & in eo differt a mortali: ergo saltem pro peccato veniali homo satisfacere potest.

Dist. maj. Ei deberetur pœna æterna, si Deus ageret summo jure, C. si non ageret cum hominibus summo jure, N. porro peccatum veniale non meretur quidem pœnam æternam, si Deus non supponatur agere cum hominibus summo jure, & juxta ordinem rerum ab ipso constitutum; quia Deus utique voluit pro illis levioribus peccatis homines non incurrere damnationem æternam; sed si Deus vellet agere cum hominibus summo jure, illi profecto nec ipsis peccatis venialibus expiandis pares unquam forent; injuria enim tametsi levis, ordinis est superioris comparate ad satisfactionem quanta exibeatur a puro homine; siquidem, ut sæpius a nobis dictum est, injuriæ gravitas desumitur potissimum e dignitate personæ læsæ, comparate ad vilitatem personæ satisfacientis; equidem certum est æstimari quoque injuriæ qualitatem e materia ipsa & objecto, uti & ex aliis circunstantiis; in peccato autem veniali levem admodum esse materiam, sed ex eo tantum se-

sequitur pro culpæ tenuitate levem fore pœnam, non autem pro illo condigne satisfacere posse meram creaturam.

Utrum Christus Dominus condigne & accurate pro nobis satisfecerit.

QUæstio non agitatur hoc loco adversus Socinianos, qui quidem, ut jam monuimus, docent nonnisi figurate & metaphorice dici posse Christum pro peccatis nostris satisfecisse, hoc Socinianorum systema quam impium tam absurdum refutabimus infra.

Nunc movetur controversia inter Theologos, quorum in tuto est hac in parte fides, consentiunt enim Christum vere & sufficienter satisfecisse, sed disputant utrum illius satisfactio fuerit ad strictos Juris apices, & juxta conditiones veræ ac rigorosæ satisfactionis superius allatas: partem negantem tenent Scotus, Durandus, Gabriel & alii nonnulli cæteris contrarium sentientibus. Revera circa leges & conditiones veræ satisfactionis tricari potius videntur, quam circa rem ipsam, illorum tamen opinionem confutabimus, vel eo nomine, quod conformis non sit Scripturis, quæ passim satisfactionem Christi appellant justitiam, & quod allata superius satisfactionis definitio, Christi satisfactioni competat: itaque sit

CONCLUSIO.

Christi satisfactio fuit vera, condigna, & accurata.

Probatur 1. ex Scripturis. Psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio* Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ*, &. cap. 5. *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum*. 1. Petr. 1. *Nos redemptos non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati*. 1. Corint. 6. *Empti estis magno pretio*. Ad Coloss. 2. *delevit quod adversus nos erat chirographum*. Ubi satisfactio Christi dicitur copiosa, superabundans, in ostensionem justitiæ, justitia, emptio cum ipsius Christi sanguine facta, quæ quidem accuratam satisfactionem sine ulla debiti remissione manifeste redolent.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Cyrillus Jerof. catech. 13. *Non erat simplex homo*, inquit, *non erat Angelus tantum, sed Deus Incarnatus non tanta erat peccantium iniquitas, quanta pro illis mortuis justitia, non tantum nos peccavimus, quantum ille juste egit*.

Item. S. Chrysost. hom. 10. in Epist. ad Rom. *Multo plura quam debemus persolvit Christus, an tanto plura quanto stillam exiguam immensum pelagus excedit*: S. August. lib. 13. de Trin. cap. 14. *Placuit Deo*, inquit, *ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus sed justitia vinceretur*. Quibus accedunt sanctorum Patrum testimonia paulo ante adducta, qui docent puram creaturam non potuisse condigne Deo satisfacere pro peccatis hominum.

Probatur 3. ratione; scilicet satisfactio est redditio voluntaria æquivalentis, ex propriis, alias indebitis, ad alterum: atqui satisfactio Christi fuit ejusmodi.

Primo quidem fuit redditio voluntaria, nam in pretium satisfactionis Christus dedit semetipsum, obtulitque se in mortem; atqui redditio hæc fuit voluntaria; ait enim ipse Christus Joan. 10. *quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam; nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, & potestatem habeo iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi a Patre meo*. Ergo redditio fuit voluntaria.

Secundo fuit æquivalens, nam satisfactio quæ fuit infiniti pretii, infiniti valoris fuit ad compensandam injuriam Deo illatam maxime æquivalens: atqui satisfactio Christi fuit infiniti pretii, infiniti valoris; siquidem valor & pretium satisfa-

tisfa-

tisfactionis pro injuria, pensatur potissimum ex dignitate personæ satisfacientis, quia, ut diximus, persona satisfaciens dat seipsam in pretium, seipsam deprimit: atqui in satisfactionem Christi persona satisfaciens, est infiniti pretii; est enim persona Verbi divini: ergo fuit æquivalens.

Tertio, satisfactio Christi fuit ex propriis; nam suis actionibus, orationibus, jejuniis, passione & morte ipsa satisfecit Christus: atqui erant illa omnia Christo propria, in ea jus habuit singulare, quippe ea ut sua libere obtulit Deo in pretium redemptionis nostræ: ergo satisfactio Christi fuit ex propriis.

Quarto, Christus satisfecit ex indebitis; nam his satisfecit Christus, quæ gessit & quæ passus est ad redimendum genus humanum; sed illa omnia erant prorsus indebita; siquidem nulla ex lege tenebatur Christus ea præstare, nulla ex lege v. g. tenebatur circuncidi, jejunare quadraginta diebus & noctibus, flagellationem pati & mortem ipsam subire: ergo satisfecit ex indebitis.

Denique satisfactio Christi fuit ad alterum; nam satisfactio exhibita Deo ab eo qui Deus est & homo simul; est ad alterum: atqui fuit ista satisfactio exhibita Deo, ab eo qui Deus est simul & homo: ergo fuit ad alterum.

Objicies satisfactionem Christi non fuisse æquivalentem: illa enim satisfactio non est æquivalens, cui aliquid deest: atqui satisfactioni Christi aliquid defuit, ex Apostolo Coloss. 1. *adimpleo*, inquit, *ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*. Ergo Christi satisfactio non fuit æquivalens.

Dist. maj. Cui aliquid deest ex parte sui, ratione valoris & pretii, C. ex parte alterius, N. porro deerat quidem Passioni Christi ex parte ipsius Apostoli qui adimplebat in carne sua quod erat adimplendum, sed nihil deerat Passioni Christi ex parte sui, defectu scilicet sufficientis pretii & valoris: scilicet plena quidem & integra fuit Passio Christi quoad meritum & valorem; sed restat ut nobis ipsis hoc meritum per bona opera & virtutum exercitium applicemus; quod quidem his verbis significat Divus Paulus, *adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea*.

Unde sic loquuntur Patres Tridentini, sess. 14. cap. 8. *Neque vero*, inquiunt, *ita nostra est satisfactio hæc quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis nihil possumus, ex eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis nostra gloriatio in Christo est in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre*. Quare per nostras satisfactiones, per bona opera nostra non tantum non imminuitur plenitudo satisfactionis Christi, sed & magis commendatur, quia opera nostra vim suam satisfaciendi habent ab ipsius Christi satisfactione & meritis.

Instabis. Ejus meritum non est sufficiens, qui, precibus postulat acceptationem sui doni; nemo enim petit precibus illud pro quo condignum solvit pretium; atqui Christus suis precibus postulat acceptationem suæ satisfactionis, ut testatur Apost. Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia*. Ergo non offerebat Christus pretium ex parte sui condignum.

Dist. maj. Qui postulat acceptationem sui doni propter ipsius pretii insufficientiam, & ad obtinendam debiti remissionem, C. qui postulat alia ex causa, N. porro Christus preces Deo Patri non fundebat, ut aliquam obtineret debiti remissionem, quasi condignum & æquivalens pretium non obtulisset, semetipsum enim dedit, quod pretium infinitum est; sed alia ex causa identidem postulabat a Deo Patre salu-

salutem generis humani, tum ut suam erga Patrem summam obedientiam significaret; tum eximium orandi exemplum nobis subministraret: adde quod ejuscemodi preces pars non minima sunt satisfactionis Christi.

Instabis. Christus satisfecit per suas actiones: atqui ejuscemodi actiones, utpote quæ finitæ essent & finiti valoris, compensare non potuerunt injuriam Deo illatam per peccatum scilicet infinitum, infinitæ gravitatis: ergo.

Nego min. Siquidem, ut diximus supra, valor satisfactionis repetitur ex dignitate personæ satisfacientis. Ad probat. vero dist. actiones Christi erant finitæ quoad entitatem, C. quoad valorem, N. Itaque duo spectari possunt in operibus satisfactoriis, entitas operis, & valor operis, sicut in moneta duo distinguuntur, materia monetæ, & valor voluntate Principis ipsi monetæ impositus: revera si actiones Christi satisfactoriæ spectentur quoad entitatem, quoad suum materiale & physicum, erant illæ nostris plane similes, erant finitæ & limitatæ; sed si spectentur, quoad suum valorem, quem nempe, necessario trahebant ex dignitate personæ satisfacientis, profecto erant infinitæ, valorem enim suum trahebant a dignitate Christi satisfacientis.

Instabis. Si actiones quarum entitas est finita, essent valoris infiniti, forma infinita reciperetur in subjecto finito: atqui forma infinita recipi non potest in subjecto finito: ergo.

Dist. maj. Forma infinita moraliter reciperetur in subjecto finito, C. infinita physice, N. nihil absurdi est autem quod forma infinita moraliter recipiatur in subjecto finito, tunc enim non attenditur ad subjecti capacitatem.

Instabis. Supponit illa responsio actionem esse infinitam, quæ procedit a persona infinita: atqui hoc falsum est: siquidem creatio mundi finita est, tametsi sit actio Dei infiniti: ergo.

Dist. maj. Actionem satisfactoriam, C. omnem omnino actionem, N. id unum igitur affirmamus pro actione satisfactoria eam nempe esse infinitam, quæ fit a persona infinita; quod sane non contendimus locum habere in quavis alia actione. Cujus discriminis ratio est, quod in satisfactionem spectetur potissimum dignitas personæ satisfacientis, quæ seipsam offert in pretium, seipsam deprimit, & cujus proinde pretium est infinitum, quando persona satisfaciens est infinita.

Instabis. Si plebejus solveret centum nummos, ejusmodi solutio seu satisfactio non minus foret æstimanda, quam similis solutio facta a Principe: ergo satisfactio non desumit suum valorem ex dignitate personæ satisfacientis.

Dist. conf. Satisfactio pecuniaria, C. satisfactio honoris, N. ratio discriminis satis superque intelligitur ex dictis.

Instabis. Valor satisfactionis repeti non potest a dignitate personæ divinæ satisfacientis, quin persona divina ipsa satisfecerit: atqui persona divina ipsa satisfacere non potuit: ea enim persona non potuit satisfacere, quæ non potuit se subjicere: atqui persona divina non potuit se subjicere: ergo valor satisfactionis repeti non debet a dignitate personæ satisfacientis.

Nego min. & ad probat. dist. min. Non potuit se subjicere seorsim a natura humana, C. unita naturæ humanæ quam assumpsit, N. persona quidem divina per se & seorsim a natura humana, non potuit se subjicere; sed potuit unita cum natura humana: atque id sufficit, ut dicamus simpliciter Deum fuisse subjectum humiliatum, exinanitum, ut loquitur Apostolus Philipp. cap. 2. *qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens . . . humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*.

Instabis: Illa satisfactio non est infinita, qua dari potest major: atqui satisfactione Christi dari potuit alia major, si nempe Christus majora & diutius passus fuisset: ergo satisfactio Christi non fuit infinita.

Dist. min. Alia dari potest major exten-

tensive, C. major intensive, N. Satisfactionem majorem extensive appello eam, quæ per alias plures actiones exhibita fuisset, quod sane fieri potuit; sed alia esse non potuit satisfactio major intensive, hoc est, quæ per nobilius pretium rependeretur; Christo enim, qui se Deum & hominem obtulit in pretium, nobilius excogitari potest nihil.

Objicies, satisfactionem Christi non esse ex propriis, siquidem satisfecit Christus per suas actiones: atqui actiones Christi non erant ei propriæ; nam illæ actiones non erant Christo propriæ, quæ erant sub dominio trium personarum Sanctiss. Trinitatis: atqui actiones Christi erant sub dominio trium personarum Sanctiss. Trinitatis; quippe quæ erant actiones creatæ, ab ipsa humanitate Christi elicitæ: ergo satisfactio Christi non fuit ex propriis.

Solent respondere actiones Christi fuisse quidem subjectas dominio Dei, quantum ad suam entitatem, utpote quæ creata sit & finita, non autem si sumantur quoad suum valorem qui infinitus est, ipsaque, ut ajunt, Verbi persona.

Verum quam inutile sit ad hanc responsionem confugere, ex eo maxime liquet, quod verissimum sit actiones Christi non ideo minus ei fuisse proprias, quod Dei dominio subjicerentur: præterquam quod præfata responsio innumeras secum trahere videatur ambages, a quibus nonnisi infinitis distinctiunculis expedire se possunt Theologi; quamobrem ut brevius quidem & clarius huic difficultati faciamus satis.

Nego min. Ad probat. nego maj. & dico actiones Christi non idcirco minus ei fuisse proprias, quod fuerint subjectæ dominio Sanctissimæ Trinitatis; nam illæ actiones non dicuntur esse sub dominio Sanctissimæ Trinitatis, nisi quia sunt actiones creatæ, finitæ, utpote quæ sint ab ipsa humanitate elicitæ; atqui ejuscemodi actiones non minus propterea sunt Christo propriæ; quia universim loquendo actiones sunt alicujus agentis propriæ, cum ab eo eliciuntur per propriam voluntatem agente, se determinante; neque huic proprio agentis dominio quidquam officit aut ordinarius Dei concursus, aut etiam in ordine ad illas actiones insolita & prævia motio; unde quælibet actio libera hominis sui juris est, censetur ei propria, quantumvis constitutus sit sub dominio Dei, aut concurrentis aut etiam prædeterminantis: ergo tametsi fateamur actiones Christi, quas in pretium redemptionis nostræ Deo Patri obtulit, subjectas fuisse dominio totius Trinitatis ad illas concurrentis aut promoventis, non minus ob eam rem dici debent Christo propriæ. Scilicet actiones sunt alicui propriæ, cum per propriam ejus voluntatem eliciuntur, cum proprium & peculiare in illas habet dominium, cum ad illas libere se determinat: atqui per propriam suam voluntatem libere ad suas actiones determinavit se Christus Dominus, libere voluit circuncidi, libere jejunabat, libere passus est innumera supplicia, mortemque ipsam; atque adeo hæc omnia ei propria fuerunt, & minime communia sanctissimæ Trinitati; ita ut dici non possit jejunasse, orasse, mortem subiisse, aut Patrem, aut Spiritum Sanctum: ergo actiones Christi fuerunt ei propriæ.

Instabis. Non satisfit ex propriis, ubi solutio fit ex bonis creditoris: atqui actiones quas exhibuit Christus, erant ex bonis Dei, erant a Deo acceptæ: totum enim valorem suum ducebant ex unione hypostatica, quæ fuit gratia Christi humanitati concessa. ergo satisfactio Christi in rigore non fuit ex propriis.

Dist. maj. Ex bonis creditoris simpliciter & ex omni parte, C. secundum quid & ex aliqua parte tantum. N. porro Christus satisfecit quidem per actiones quæ ab unionis hypostaticæ gratia suum ducebant meritum; sed quæ tamen non erant ex omni parte bona Dei creditoris; siquidem illæ actiones erant peculiariter a Christo, quemadmodum si mercatori dentur centum nummi, isque alios mille sua industria comparaverit, erunt profecto isti mille

le nummi bonum illius proprium, quo uti poterit mercator ad solvendum debitum.

Objicies, Christi satisfactionem non fuisse ex indebitis. Siquidem Christus satisfecit per suas actiones: atqui tunc satisfaciebat ex bonis Deo creditori debitis alio titulo; suas enim actiones ad Deum referre tenebatur titulis obedientiæ, justitiæ, gratitudinis: ergo satisfactio Christi non fuit ex indebitis.

Dist. min. Referre tenebatur hypothetice, C. absolute, N. revera Christus tenebatur lege justitiæ & quidem rigorosa suas omnes actiones ad Deum referre ex hypothesi quod suas voluerit aut simpliciter elicere, aut in pretium redimendi generis humani Deo dare & offerre; sed absolute loquendo non tenebatur elicere; erant enim singulæ in plena ejus potestate, erant fere omnes supererogationis; siquidem poterat non circumcidi, non pati, non mori, oblatus est quia ipse voluit; adeoque, cum per actiones suas satisfecit, profecto satisfecit ex indebitis.

Respondent alii recte quidem potuisse Christum satisfacere per illos actus submissionis qui ad Deum titulo vel gratitudinis vel justitiæ pertinebant; quia, inquiunt, boni actus nostri quantumvis præcepti possunt esse meritorii, adeoque & satisfactorii. Verum, ut diximus initio istius disputationis, accurata in rigore satisfactio fieri debet ex bonis non debitis; standum igitur primæ responsioni.

Objicies, satisfactionem Christi non esse ad alterum. Siquidem ea satisfactio non est ad alterum, quæ est Dei ad Deum; atqui satisfactio Christi est Dei ad Deum, namque in Christo unica est, ut mox dicemus, persona Verbi, natura humana in eo non est persona, & qui Christum diceret alterum respectu Dei, aperte faveret Nestorianismo duplicem introducens in Christo personam: ergo satisfactio Christi non est ad alterum.

Responderi non potest Christum satisfecisse ad alterum, in quantum Patri æterno tantum satisfecit, ut nonnulli inscite admodum & absurde arbitrati sunt; quia nempe, cum injuria toti Trinitati per peccatum fuerit illata, necesse fuit ut ad totam similiter Trinitatem dirigeretur Christi satisfactio: quapropter.

Dist. maj. Quæ est Dei simpliciter ad Deum, C. quæ est Dei hominis ad Deum, N. porrò satisfactio Christi est Dei hominis ad Deum; Deus autem homo est alter moraliter a Deo precise, quantumvis in Deo homine non sit distincta persona quatenus homo est; duplicem enim includit naturam, Deus autem precise unam tantum.

Quæres an satisfactio Christi fuerit actus justitiæ propriæ dictæ.

Respondeo affirmative. Primo, quia id aperte evincitur ex Scripturæ & sanctorum Patrum testimoniis quæ a nobis mox adducta sunt, in quibus venisse dicitur Christus ad ostentionem justitiæ divinæ, & ipse dicitur justitia Secunda, quia earum conditionum quæ ad justitiam veri nominis exiguntur, nulla desideratur in satisfactione Christi; est enim æquivalens, ex propriis, ex indebitis, & ad alterum, ut ostensum est.

Objicies; ea satisfactio non est in rigore justitiæ seu, ut aiunt, ad strictos juris apices, quæ supponit acceptationem ex parte Dei; eatenus enim ibi est gratuita remissio, est aliqua gratia; adeoque non servatur strictum jus: siquidem constat juxta justitiæ leges, eam ipsam personam debere satisfacere, ubi agitur de reparanda injuria, quæ injuriam intulit: atqui satisfactio Christi supponit acceptationem ex parte Dei qui lubenter passus est, ut Christus innocens pro hominibus reis satisfaceret; ergo servatum non est strictum jus in satisfactione Christi.

Dist. maj. Quæ supponit acceptationem intrinsecam, C. extrinsecam N. Acceptatio intrinseca ea est, qua qui læsus fuit jusque habet exigendi satisfactionem, permittit ut non omnino æquale prætium rependatur; acceptatio vero extrinseca ea est, qua sinit, ut in locum personæ quæ læsit, alia persona subrogetur,

quæ

quæ satisfaciat, quod quidem in hoc negotio præstitum est: porro acceptatio intrinseca cum rigorosa justitia consistere quidem non potest, recte vero acceptatio extrinseca; & ratio discriminis est, quia ad accuratam justitiam satis est, quod tantum reddatur quantum ablatum est; satis est, quod non fiat remissio debiti: atqui posita sola acceptatione extrinseca, tantum redditur in ejuscemodi satisfactione quantum fuerat ablatum, nullaque fit remissio debiti: ergo cum acceptatione extrinseca servatur strictum jus.

Vel dici potest in ista occasione servatam quidem non esse strictam justitiam ex parte hominum, quia benignissime cum ipsis egit Deus, cum eos ab onere satisfactionis quam debebant & cui persolvendæ erant impares gratuito liberavit; at nihilominus fuisse ex parte Christi accuratam & stricto jure satisfactionem, quod unum hic ostendere animus est.

Objicies. Censent Philosophi post Aristotelem non esse justitiam filii ad Patrem, neque servi ad Dominum; atqui Christus fuit respectu Dei & filius & servus: ergo.

Dist. maj. Ubi filius & servus non habent propria jura, distincta bona, C. ubi habent propria jura & distincta, N. at Christus propria habuit bona, & jus peculiare in suas actiones ut supra ostensum est.

Objicies. Ille non satisfecit ex justitia, qui satisfecit ex mera misericordia: atqui Christus satisfecit ex mera misericordia, ad id neutiquam obligatus: ergo non satisfecit ex justitia.

Dist. min. Ex mera misericordia erga homines, C. erga ipsum Deum, N. Christus igitur qui vadem se ac sponsorem præbuit pro hominibus, egit cum illis ex summa misericordia; sed Deo tamen juxta strictæ justitiæ leges debitum persolvit pretium; unde justitia & misericordia obviaverunt sibi hoc in negotio,

Instabis. Ille non satisfecit etiam erga Deum ex justitia, qui non operatus est ex obligatione justitiæ, atqui Christus non operatus est, aut passus quæ pertulit ex obligatione justitiæ; non tenebatur enim satisfacere pro peccatis hominum; ac nequidem etiam prout se vadem & fidejussorem constituerat pro hominibus; siquidem postquam vadem & fidejussorem se constituit, non potuit contrahere aliam obligationem ab ea quam contraxerant ipsi peccatores: atqui peccatores non contraxerant obligationem satisfaciendi Deo ex stricta justitia: namque non contraxerant obligationem reddendi quod quidem reddere penes ipsos non fuit; nemo enim tenetur ad impossibile: atqui non fuit in potestate hominum satisfacere ex stricta justitia, ut superius demonstratum est: ergo Christus non satisfecit ex justitia servata erga Deum.

Nego maj. Et dico satisfactionem Christi fuisse ex stricta justitia; tametsi non ageret Christus ex obligatione, hoc est ex motivo adimplendæ justitiæ: cum enim dicimus Christum pro hominibus satisfecisse in rigore justitiæ; sensus est eum Deo id totum reddidisse, quod homines debebant; ita ut non potuerit Deus quicquam aliud juste reposcere saltem quoad spectat valorem satisfactionis.

Vel negari potest minor; Christus enim agebat ex obligatione justitiæ, non ea quidem qua ipse teneretur, quippe nihil debebat, nullum contraxerat debitum; sed eo quod obligatio in hominibus fuerit, pro quibus ipse sua summa liberalitate satisfaciebat.

Quod vero additur homines per peccatum non contraxisse obligationem satisfaciendi ex stricta justitia, quia utique non possunt ita Deo satisfacere summo jure: id omnino & aperte falsum est; debitum enim contrahunt quod persolvere non possunt: atque in eo nihil est quod adeo insolens videri de-

debeat : nam perſæpe contingit inter homines, ut debitis onerentur, quibus perſolvendis omnino impares ſunt, & quæ tamen ſolvere tenentur ex juſtitia.

De cauſa meritoria Incarnationis.

QUæſtio movetur de Patriarchis antiqui Teſtamenti de B. Virgine Maria, & de Chriſto ipſo, quod quidem ut breviter, quoad fieri poterit, pertractemus, non abs re erit duplex meriti genus diſtinguere, unum de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno eſt opus bonum, cui ex juſtitia debetur merces & præmium. Meritum vero de congruo, eſt bonum opus, cui nonniſi ex decentia debetur præmium.

Eſt præterea notandum duo hic conſiderari a Theologis in Incarnatione; nempe ſubſtantiam, ut aiunt, Incarnationis, & circunſtantias Incarnationis; quibus poſitis quæritur,

Utrum ſancti Patriarchæ meruerint Incarnationem.

SAncti Patriarchæ veteris Teſtamenti non meruerunt Incarnationem quoad ſubſtantiam de condigno, ſed de congruo: ita ut tamen quaſdam ejuſdem Incarnationis circunſtantias meruerint, ſi non de condigno, ſaltem de congruo; Hic quatuor probanda nobis incumbunt.

Primo, Patriarchæ veteris Teſtamenti non meruerunt Incarnationem de condigno, idque manifeſte evincitur.

1. Ex Scripturis, quæ paſſim docent Incarnationem eſſe opus divinæ gratiæ, divini amoris, neutiquam vero eam meritis hominum aſcribunt, Lucæ 2. *Per viſcera miſericordiæ Dei viſitavit nos*, &c. Joan. 3. *ſic Deus dilexit mundum*. Titi 3. *apparuit gratia Dei*. Unde S. Auguſtinus Sermone 174. de verbis Apoſt. hæc ſcribit de Chriſto, *Eum de cælo ad terram non merita noſtra bona ſed peccata duxerunt.*

2. Ratione, quia Patres antiqui non potuerunt ſuis operibus finitis mereri, id quod eſt infiniti pretii, infinitæ dignitatis atque ordinis plane ſuperioris; atqui incarnatio donum eſt infiniti pretii, infinitæ dignitatis ordiniſque plane ſuperioris quolibet bono opere finito & limitato: ergo Patres antiqui Teſtamenti non meruerunt de condigno Incarnationem.

Secundo, meruerunt de congruo Incarnationem etiam quoad ſubſtantiam; quia, ut conſtabit ex iis quæ a nobis mox dicentur, meruerunt Pariarchæ Incarnationem quoad circunſtantias ſaltem de congruo; atqui eodem plane modo meruerunt Incarnationem ipſam quoad ſubſtantiam, quæ enim argumenta uſurpantur a Theologis, ut evincant Patriarchas meruiſſe Incarnationem, quoad circunſtantias, eadem demonſtrant illos meruiſſe Incarnationem quod ſubſtantiam; ideo enim Patriarchæ meruerunt Incarnationem, quia deſiderarunt & petierunt eam: atqui certum eſt eos ipſammet Incarnationem in ſe deſideraſſe, petiiſſe & obtinuiſſe, nec ſolum ejus accelerationem aliaſque circunſtantias; ergo.

Tertio, Sancti Patriarchæ meruerunt de congruo nonnullas Incarnationis Verbi circunſtantias; idque nititur autoritate S. Thomæ qui q. 2. art. 11. in fine corporis, hæc ſcribit. *Ex congruo tamen meruerunt ſancti Patres Incarnationem deſiderando & petendo; congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos qui & obediebant*. Quamobrem conſtat ex Geneſ. 22. cap. meritum eſſe Abrahamum, ut ex ſe oriretur Chriſtus, *quia feciſti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo unigenito propter me .... benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Eadem facta fuerat promiſſio Davidi Pſal. 131. *Juravit Dominus David veritatem*

& non

& non frustrabitur eum de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et ita post modum aliorum votis annuit Deus, qui Messiam ardenter poposcerant, Isaiæ 51. *cito veniet salus tua*. Habacuc. 2. *veniens veniet & non tardabit*. Daniel. 9. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt*, quæ quidem haud infirma sunt ad stabiliendum hoc ipsum quod nunc propugnamus Patriarchas antiqui Testamenti meruisse Incarnationem de congruo.

Quarto denique, Patriarchæ non meruerunt Incarnationis circunstantias de condigno: quia, tametsi eorum votis & postulationibus annuere videatur Deus in præfatis Scripturæ locis; tamen aliquod inter eos Deumque pactum ea de re intercessisse, ut suis precibus Incarnationis accelerationem aut alias circunstantias obtinerent, nec leviter innuitur, quod tamen necessarium foret, ut censerentur meruisse de condigno.

Utrum B. Virgo meruerit Incarnationem.

Constat B. Virginem non meruisse Incarnationem quoad substantiam; at eam potuisse mereri quoad circunstantias; quidni enim idipsum ei tribuemus, quod antiquis Patriarchis concessum fuisse diximus? Jam vero controversia hic peculiaris movetur de maternitate Dei, & quæritur an illam suis meritis consecuta fuerit B. Virgo Maria.

CONCLUSIO.

B. Virgo non meruit de condigno maternitatem Dei, meruit autem de congruo: duæ sunt conclusionis partes.

Probatur prior pars. B. Virgo non meruit de condigno eam dignitatem, quæ suis bonis operibus non erat debita: atqui maternitas Dei non erat bonis operibus Mariæ debita; siquidem si maternitas Dei debita fuisset bonis Mariæ operibus; vel id jure summo, vel ex divina ordinatione profectum fuisset: sed neutrum dici potest; nec jure summo, nec ex divina ordinatione iis debebatur maternitas Dei; non quidem summo ex jure, erant enim inferioris longe ordinis comparata cum excellenti maternitatis Dei dignitate; neque vero ex divina ordinatione, quippe non apparet Beatæ Virgini maternitatem Dei pollicitum fuisse Deum; unde turbata est ipsa in sermone Angeli sibi hanc maternitatem annunciantis: ergo B. Virgo non meruit de condigno maternitatem Dei. Atque id satis aperte significavit Angelus, cum Mariam salutans allocutus est his verbis, *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Luc. 1.

Probatur vero posterior pars conclusionis; tum e Scripturis, tum ex sanctis Patribus.

E Scripturis quidem, quæ illum honoris gradum docent concessum, fuisse B. Virgini intuitu ejus humilitatis, Lucæ 1. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, inquit ipsa B. Virgo: paulo ante dixerat Elizabeth, *beata quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei a Domino*.

Tum e sanctis Patribus. Ambrosio qui lib. 2. de Virgin. Mariam appellat *dignam ex qua Dei filius nasceretur*. S. Epiph. hæres. 48. *quomodo*, inquit, *audent impetere impollutam Virginem, quæ digna facta est habitaculum fieri filii Dei, & electa ex multis millibus quod vas & habitaculum dignum esset*. S. Damasceno qui lib. 4. 15. eandem Virginem vocat *sanctum, admirabile, ac summo Deo dignum templum*. Idem docet S. Bernardus Serm. 5. de Assump. *quæ vel Angelica puritas*, inquit, *virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri & habitaculum filii Dei*.

Quibus accedunt nonnullæ præces Ecle-

clesiæ, canit enim tempore Paschali, *Quia quem meruisti portare*; & alibi in quadam oratione, *ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur*. Ergo B. Virgo meruit saltem de congruo maternitatem Dei.

Objicies. Principium meriti non cadit sub meritum: sed maternitas fuit principium meriti in B. Virgine: ergo.

Primum, dist. maj. Principium meriti intrinsecum & formale, C. efficiens & extrinsecum, N. sensus igitur propositionis toties decantatæ de præsenti loco est, principium intrinsecum meriti, hoc est, illud quod est veluti pars ipsius actionis meritoriæ, non cadere sub meritum; quo sensu prima gratia, quæ est veluti pars primæ actionis meritoriæ, & quidem necessaria; cum nemo possit opus meritorium elicere sine gratia; non cadit sub meritum: at non repugnat principium meriti remotum & extrinsecum, cadere sub meritum, atque ita Incarnationem, quæ remote fuit causa meritorum B. Virginis & Patriarcharum, sub ipsorum tamen meritum cadere; nil vetat enim Deum propter Incarnationem & merita Christi ipsis dedisse gratias quarum beneficio meruerint eandem Incarnationem saltem de congruo.

Secundo, nego min. Siquidem maternitas non fuit principium meriti in B. Virgine; prius enim fuit meritum, prius fuerunt bona opera meritoria, sanctitas, humilitas, &c. in B. Virgine, quam ipsa fieret mater Dei.

Objicies. Quod Deus efficaciter decrevit dare B. Virgini ante prævisa ejus merita, illud non meruit B. Virgo: atqui Deus efficaciter decrevit dare maternitatem B. Virgini ante prævisa ejus merita, quia quando Deus efficaciter decrevit dare B. Virginis gratias disponentes ad maternitatem; tunc efficaciter decreverat ei conferre maternitatem: efficax enim volitio mediorum oritur ex efficaci volitione finis: atqui Deus efficaciter decrevit dare B. Virgini gratias disponentes ad maternitatem ante prævisa ejus merita: nempe decrevit ei dare ante prævisa merita sanctitatem & immunitatem a Peccato originali: ergo efficaciter decrevit Deus ei dare maternitatem ante prævisa merita.

Nego maj. Licet enim Deus efficaciter decreverit dare B. Virgini Maternitatem divinam ante prævisa ejus merita; tamen inde non sequitur illam non meruisse hanc maternitatem: quemadmodum, licet prædestinatio hominum sit ante prævisa eorum merita, ut docuimus, tamen electi suis meritis consequuntur vitam æternam.

Utrum Christus meruerit Incarnationem.

ETSI hoc pacto proponitur quæstio apud Theologos, tamen non movetur, ut per se patet, nisi de humanitate Christi & quæritur, utrum hæc numero humanitas quæ unita est hypostatice Verbo divino, atque ad id fuit præ cæteris electa, hunc honorem suis bonis operibus meruerit.

CONCLUSIO.

Humanitas Christi nec de condigno, nec de congruo meruit unionem hypoticam cum Verbo divino.

Probatur. Si humanitas Christi meruisset unionem hypostaticam, vel per opera antecedentia, vel per subsequentia: atqui neutrum dici potest: primo quidem humanitas Christi non meruit unionem hypostaticam, antequam Verbo uniretur, docet enim fides Catholica humanitatem Christi nequidem unico instanti præextitisse unioni hypostaticæ; quod autem non existit, operari non potest, adeoque mereri; ergo humanitas Christi non meruit unionem hypostaticam per opera antecedentia ipsam unionem.

Secundo, nec meruit unionem hypostati-

staticam per opera subsequentia; nam id intelligeretur eo sensu quod Deus prævidens futura bona opera ipsius Christi, decrevisset illorum intuitu per anticipatam solutionem dare eidem humanitati unionem hypostaticam: atqui hoc ipsum affirmare, manifeste contrarium videtur Scripturis, sanctis Patribus & rationi.

1. Scripturis, quæ absolute incarnationem sic ad Dei gratiam & liberalitatem referunt, ut omne verum meritum quod in ipsam influxerit, videantur excludere, ut supra ostendimus.

2. Sanctis Patribus, quorum ad instar unus adducetur August. qui lib. de prædest. SS. cap. 15. hæc scribit: *est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse salvator, qui ut hoc esset, quibus tandem suis aut operum aut fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo est, comparavit? ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus.*

3. Demum rationi; scilicet principium meriti saltem intrinsecum & proximum non potest cadere sub meritum: atqui unio hypostatica cum Verbo fuit in humanitate Christi principium formale, intrinsecum & proximum cujuslibet in eo insidentis meriti, ut fatentur omnes. Ergo humanitas Christi non meruit unionem hypostaticam per bona opera ipsius Christi, nec de condigno, nec de congruo.

Neque obstant quicquam nonnulla Scripturæ loca quæ videntur asserere humanitati Christi datam fuisse divinitatem intuitu meritorum ipsius; ut cum dicitur Psal. 44. *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis;* ubi vox *propterea* meritum indicare videatur. Sic & Apocal. 5. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere divinitatem*. Hæc enim & similia Scripturæ testimonia non de unione ipsa hypostatica, sed de Christi exaltatione ejusque nominis amplificatione intelligi debent, juxta illud Philippens. 2. *Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.*

Quærunt hic multi Theologi, an Christus saltem mereri potuerit, per opera subsequentia unionem hypostaticam. Verum ejuscemodi vanis & futilibus *de passibili*, ut aiunt, quæstionibus discutiendis operam nostram & oleum perdere animus non est, nec otium.

Quotuplex sit in Christo persona.

PRiusquam personæ unitatem in Christo stabiliamus, non abs re erit ut puto, nonnulla præmittere de Nestorio Patriarcha Constantinopolitano, qui primus erecto vexillo duas in Christo personas publicare ausus est.

De Nestorio.

IS Germanicia oriundus Syriæ oppidulo, monasticam primum vitam professus est, teste Evagrio, ac deinde presbyter factus populi docendi provinciam suscepit, ut erat lingua promptus & sermone disertus. Tantis autem cum artibus illud sibi injunctum munus gessit, ut incredibilem populi gratiam & favorem brevi captaverit: adeo ut mortuo Sisinnio quanquam peregrinus Antiochia accitus fuerit, ut sedem Constantinopolitanam occuparet; anno 428. ordinatus est Episcopus cum plausu omnium & gratulatione.

Vix autem Constantinopolitano in throno sedem fixerat Nestorius; cum hæresim dudum animo conceptam, palam disseminare cœpit, ope cujusdam Anastasii Presbyteri, quem Antiochia secum adductum consiliorum participem adhibebat, tum & cujusdam Dorothæi Episcopi qui ad tentandos plebis animos publice ausi sunt pronuntiare B. Virginem Mariam non esse Deiparam.

Ubi

Ubi vox illa audita eſt, magnos in populo tumultus excitavit, quos non modo non repreſſit Neſtorius, ſed & eadem ſparſa in publicum doctrina & impietate adauxit, ſicque vulgata ſua hæreſi tum in Homiliis quas ad populum habuit, tum in Epiſtolis quas ad amicos ſcripſit, catholicam pacem fœde turbavit.

Id cum ad aures Cyrilli Alexandrini Patriarchæ veniſſet, Epiſtolas ſcripſit ad Monachos Ægyptios, tum vero ad Theodoſium Imperatorem, ut illos adverſus emergentem hæreſim præmuniret. Quin & cum Neſtorium accepiſſet priorem ſcripſiſſe ad Cœleſtinum Papam, litteras & ipſe dedit ad eundem ſummum Pontificem, quibus ſtatim ex Synodo reſpondit Cœleſtinus, præcipiens ut Neſtorium, niſi intra decem dies hæreſim ejuraret, omnium Epiſcoporum communione eſſe rejectum declararet.

Cyrillus in executionem mandatorum Pontificis convocatis ex univerſa Ægypto Epiſcopis, Epiſtolam ſcripſit ad Neſtorium, cui duodecim adjunxit anathematiſmos, ut latam a Cœleſtino ſententiam ei denuntiaret. At Neſtorius iſtud impatienter ferens, duodecim & ipſe anathematiſmos condidit Cyrillianis reſpondentes, cauſamque ſuam ad generale Concilium deduxit. Habitum eſt Epheſi anno 431. ad tempus præſtitutum advenerunt Epiſcopi, ſolus Joannes Antiochenus cum ſuis Orientalibus, Neſtorio ut faveret, de induſtria moras nectens non adfuit: pridie tamen diei, quo prima inita eſt Patrum ſeſſio, miſſi ſunt Epiſcopi ad Neſtorium, qui hunc ad Synodum invitarent, quibus reſpondit deliberaturum ſe, & ſi ita videbitur, affuturum.

Igitur celebrata eſt Synodus Junii die 21. & ſeptem actionibus abſoluta. In prima cum iterum citatus Neſtorius ſiſtere ſe noluiſſet, de communi omnium ſententia damnatus eſt, & omni epiſcopali dignitate privatus; cui ſententiæ ſubſcripſerunt Epiſcopi ſupra ducentos, ac poſtmodum ipſe Joannes Antiochenus, qui tandem poſt multas altercationes in legitimam Neſtorii condemnationem cum ſuis Orientalibus conceſſit. At Neſtorius Antiochiam reverſus in monaſterio ſuo, iterum multos hinc & inde & Epiſtolis & colloquiis tentavit corrumpere; unde juſſu Theodoſii in Oaſim relegatus eſt, ubi miſerrime vitam finiit linguam vermibus exeſa.

His præmiſſis quæ ſpectant hiſtoriam Neſtorii quam compendioſe texuimus, ſequitur, ut clare, & quoad fieri poterit, aperte ſtabiliamus in quo maxime ſita fuerit illius hæreſis, quo melius poſtea Chriſtianæ fidei dogma circa unitatem perſonæ in Chriſto intelligatur.

Ac primo quidem Neſtorium in eo erraſſe, quod Chriſtum negaret eſſe vere Deum, conſubſtantialem Patri, falſo contendunt multi Theologi; is enim Paulum Samoſatenum, Arium & Photinum ubique inſectatur, ac præſertim Serm. 12. verbis tam diſertis, ut ea paulo attentius legenti nullus ſuper ea re dubitandi ſuperſit locus. Negavit quidem eum eſſe vere Deum, qui eſt Emmanuel; quia, cum duas arbitraretur in Chriſto eſſe perſonas, in ejus mente & modo loquendi Deus non erat homo, nec homo Deus: at non ideo Chriſtum dicere refugiebat.

Secundo & Neſtorium intemperantius meo quidem judicio accuſare videntur, qui dicunt eum ſenſiſſe humanitatem Chriſti unioni cum Verbo præextitiſſe; adeo ut Chriſtus ante homo fuerit quam Deus: ſiquidem hoc ipſum quod docet Eccleſia de tempore unionis aperte tradit Sermonibus 3. 4. & 13. tum Epiſt. ad Cœleſtinum ſummum Pontificem & anathematiſmo nono; ſcilicet Deum jam tunc, cum operaretur Spiritus ſanctus in utero Virginis, hoc eſt, in ipſa humanitatis formatione cum ea fuiſſe conjunctum.

Qua-

Quapropter liquido constat quæstionem a Nestorio motam pertinere ad solum unionis modum, quo ambæ in Christo naturæ copulantur; contendebat autem Nestorius moralem solummodo fuisse istam unionem inter Deum & hominem, velut inter duas personas, quod modo ostensuri sumus. Atque libentius prolixiorem ea de re præmittemus disquisitionem: quod nonnulli, tum veteres, tum & ætatis nostræ scriptores, Nestorium ejusque doctrinam posse etiam hac in parte ab omni errore vindicari arbitrati sunt. In eos sit

CONCLUSIO.

Nestorius aperte docuit duas esse in Christo personas.

Probatur. Ille sensit & docuit duas esse in Christo personas, qui alium esse in Christo qui Deus est, & alium qui homo est; qui censuit Incarnationem esse duntaxat unionem moralem, & qui demum negant expresse B. Virginem Mariam esse Deiparam. Atqui tria hæc aperte & manifeste docuit Nestorius.

Ac primo quidem docuit eum qui Deus est in Christo non esse hominem, & eum qui homo est non esse Deum. Sermone 1. *Non per seipsum Deus est, in utero figuratus est*. Sermone 7. *Non per seipsum Deus est, quod creatum est a Spiritu sancto*. Idem docet in anathematismis quos adversus S. Cyrilli capitula composuit. Nam v. g. anathematismo quinto, sic loquitur: *Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei filium audet dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit*, & Anath. 7. *Si quis hominem qui in Virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus est, & non magno propter unitionem eum qui est naturaliter unigenitus, Patris unigeniti appellatione confiteatur participem factum, anathema sit*.

Eandem ob causam iisdemque fultus principiis refugiebat dicere Nestorius Deum natum, infantem, trimestrem, passum & mortuum. Sermon. 1. *Incarnatus est quidem Deus*, inquit, *sed non est mortuus; sed illum in quo incarnatus est, suscitavit*. Serm. 4. *Ego natum & mortuum Deum, & sepultum adorare non queo*. Serm. 7. *mortalem enim vivificatricem deitatem appellant, & in theatricas fabulas Deum Verbum audent deducere, tanquam idem sit pannis involutus & mortuus*. Quippe qui alium qui homo est; adeoque aliam Verbi divini & hominis aliam personam.

Secundo, voluit Nestorius non esse inter Deum & hominem in Christo nisi unionem moralem; affirmavit enim Dominicæ Incarnationis mysterium in eo totum consistere, quod Verbum in homine habitaverit, velut in templo; sitque homo Deitatis instrumentum. Sermone 3. hæc leguntur, *alius quidem Deus Verbum est, qui erat in templo quod operatus est Spiritus, & aliud templum præter habitantem Deum. Templi est morte dissolvi; in habitantis autem templum, id ut resuscitet proprium est*. Serm. 1. *non peperit creatura increabilem, sed peperit hominem deitatis instrumentum*. At templum & instrumentum non habet nisi unionem moralem cum ea re, cujus est templum & instrumentum. Atque hinc Nestorius Incarnationem solebat appellare inhabitationem, assumptionem, & quamcumque a Christo repellebat unitatem, nisi quæ foret secundum gratiam, vel honorem, vel effectum.

Tertio, negavit Nestorius B. Virginem dici debere Deiparam. Sermone 1. *audiant hæc*, inquit, *qui in dispensationem Dominicæ Incarnationis cæcati non intelligunt; neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, qui sicut modo cognovimus, in nobis invicem frequenter sciscitantur*. θεοτόκος, inquit, *id est puerpera Dei sive genitrix Dei Maria, an autem ἀνθρωποτόκος, id est hominis genitrix*

trix? habet matrem Deus? ergo excusabilis gentilitas matres Diis subintroducens...... non, vir optime, Maria peperit Deum; quod enim de carne natum est, caro est. Epist. 1. ad Cœlestinum. *Siquis autem hoc nomen θεότοκον propter natam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non propter parientem proponat, dicimus quidem hoc vocabulum in eam quæ peperit non esse conveniens. Oportet enim veram matrem de eadem esse essentia, qua est ex se natum; ferri tamen posse propter ipsam considerationem, & quod solum nominetur de Virgine hoc Verbum propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa, non quia ipsa sit mater Dei Verbi; nemo enim antiquiorem se parit*.

Huic momento quod ex propriis ipsius Nestorii verbis depromitur, accedit autoritas quamplurimorum fide dignissimorum, qui in Nestorium insurrexerunt ante celebrationem Concilii Ephesini; tum & decretum ipsius Concilii a quo damnatus est ut hæreticus; denique, & unanimis consensus eorum, qui Patrum Ephesinorum definitioni subscripserunt.

Primo quidem proferri merito potest eorum autoritas, qui præcesserunt Concilium Ephesinum: teste Socrate, lib. 7. cap. 31. cum Anastasius Presbyter de mandato Nestorii in Ecclesia Constantinopolitana palam docuisset Mariam a nemine Deiparam vocari debere, *hæc verba omnium animos tam Clericorum quam Laicorum magnopere conturbarunt*. Spargenti errorem suum Nestorio magnis animis restiterunt omnes, Laici, Presbyteri & Episcopi, Proclus Ciziccenorum Episcopus habuit pro Deipara Virgine contra Nestorium orationem panegyricam. In eum aperto marte pugnavit Cyrillus Alexandrinus, Epistolis, anathematismis. Accessit & Cœlestinus Summus Pontifex, qui non modo Epistolis, sed & solemni decreto in Romana Synodo emisso anno 430. errores Nestorii confixit, in eumque depositionis pœnam pronuntiavit, nisi intra decimum a denunciatione diem resipisceret. Atque tum adversus communem Ecclesiæ doctrinam sentire se noverat ipse Nestorius ut testatur Sermone his verbis, *dicerem plura, nisi hoc subintrasset animum meum, quod Ecclesiæ Doctoribus videor contraria disputare*. Et merito quidem, mox enim demonstraturi sumus constantem ac perpetuam fuisse omnium Patrum sententiam ab ipsis Apostolorum temporibus, & antequam emergeret Nestorii hæresis, B. Virginem Mariam esse Deiparam.

Secundo, lata est in Nestorium ut hæreticum sententia ab universali Concilio Ephesino, *deprehendentes*, inquiunt Patres, *partim ex litteris commentariisque ipsius, partim, e sermonibus quos nuperrime in hac Ephesinorum Metropoli habuit, quique testimoniis comperti sunt, illum impie sentire ac prædicare ... igitur Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum eandem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo Sacerdotum consortio alienum esse definit*.

Tertio, huic Concilii decreto adversus Nestorium ultro subscripserunt omnes & singuli Catholici, ita

Vincentius Lirinensis commonit. c. 17. *Nestorius*, inquit, *contrario Apollinari morbo dum sese duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos esse vult filios Dei, duos Christos*.

Theodoretus l. 4. hæret. fab. c. 12. ubi de Nestorio, *primus autem*, inquit, *initæ novitatis gradus fuit, non oportere sanctam Virginem quæ Dei Verbum peperit, quod ex ea carnem suscepit, Deiparam confiteri, sed Christiparam duntaxat*.

S. Leo magnus Epist. 97. ad Leonem Augustum. *Anathematizetur ergo*, inquit, *Nestorius, qui B. Virginem Mariam non Dei sed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis aliam faceret deitatis*. Quod idem prorsus docent

cent Cassianus lib. 5. de Incarnat. Evagrius lib. 1. hist. cap. 2. Liberatus in Breviario cap. 4. Leontius lib. de sectis act. 4. Facundus Hermian. l. 1. & alii passim. Itaque plane non intelligo qua fronte tentare audeant adhuc nonnulli Nestorium excusare, imo & absolvere; quasi reipsa pro veritate steterit, soloque verbo lapsus sit.

Objicies. Ille reipsa non erravit qui disertis verbis profitetur unam esse in Christo personam: atqui Nestorius diserte profitetur unam esse in Christo personam Epistola ad S. Cyrillum tom. 3. Conc. pag. 324. *quia enim*, inquit, *mortis facturus erat mentionem, ne quis hinc Deum Verbum patibile esse colligeret, subjungit nomen hoc Christus, quod utramque naturam patibilem & impatibilem in unica persona denotat*. Ep. II. ad Cœlestinum de Christo sic loquitur, *Et utramque naturam, quæ per conjunctionem summam & inconfusam in una persona unigeniti adoratur*. Epistola ad Alexand. Hieropolitanum, *non duas*, inquit, *personas unam personam facimus, sed una appellatione Christi duas naturas simul significamus*. Hoc idipsum indicat S. Cyrillus, ubi loquens de Nestorianis scribit lib. de recta fide c. 12. *postremo ambobus simul perinde ac uni congruere tradunt, ratione nimirum conjunctionis, ut ipsi loquuntur, in unam illos personam colligantis*. Ergo non peccavit quidquam Nestorius contra fidem, qui nempe nimio fidei studio in Arium & Apollinarem qui naturas in Christo confundebant, eas apprime distinxit, neutiquam vero personas.

Dist. min. Unam ait esse in Christo personam, unam unitate morali, C. unitate physica, N. Nestorius igitur unam personam dicebat unitate morali, hoc est, unitate autoritatis, honoris, dignitatis, vel & nominis; Deus enim & homo in ejus mente uno continebantur vocabulo Christi: Christus porro unus erat moraliter, nomine, & dignitate; sed Nestorius non dicebat unam personam unitate physica, idque ex eo invicte demonstratur.

1. Quod talem unionem admiserit inter Deum & hominem in Christo, qualis est inter conjuges seu inter templum & habitantem in templo: sed inter duos conjuges, inter templum & eum qui habitat in templo, reperitur distinctio personarum, ut per se patet: igitur.

2. Quod aperte docuerit alium esse Deum in Christo, & alium esse hominem, & præterea Deum non esse natum, passum, mortuum, quod similiter duas inducit personas.

3. Quod diserte negaverit Mariam esse Deiparam: quæ tria tam certo constant ex scriptis Nestorii superius citatis, ut id nemo nisi cæcutire volens, in dubium revocare possit.

Unde ergo, inquies, nomen personæ usurpat Nestorius, qui si unitatem solummodo moralem, juris, & dignitatis admisisset; dicere potuisset Christum esse unum; at non dixisset unam personam?

Respondeo, aut hanc ipsi excidisse vocem; aut eum existimasse ex persona Dei & persona hominis in eodem Christo exsurgere tertiam quandam personam, quæ una est per compositionem; aut denique, quod mihi verisimilius esse videtur, fucum facere voluisse subdolum hunc hæreticum, ut coram Cœlestino excusaret se, verbisque in speciem Catholicis sui erroris virus tegeret.

Instabis. Ille existimavit unam esse in Christo personam unitate physica, qui expresse testatur non esse in Christo duos filios, non esse in Christo alterum & alterum, mens enim ex legitima sententia cujuspiam Scriptoris melius innotescere non potest, quam ex propria ipsius interpretatione: atqui Nestorius expresse testatur non esse in Christo duos filios, non esse in Christo alterum & alterum, Sermone 2. *Christus*, inquit, se-

secundum quod est Christus indivisus est, & filius secundum quod est filius indivisus est, non enim habemus duos Christos, vel duos filios; neque est apud nos primus Christus & secundus; neque alter & alter; neque iterum alter filius & iterum alter filius, sed idem ipse est duplex non dignitate sed natura. Ergo.

Dist. min. Duos non esse filios moraliter, C. physice, N. scilicet Deum & hominem in Christo putabat unum more conjugum, qui tamen non sunt quid unum nisi moraliter, & quemadmodum templum & inhabitator templi; non autem unum unitate physica: ajebat enim hominem esse Deo unitum, nec omnino ferre poterat, quod homo diceretur Deus, vel Deus homo; denique mentem ipse suam eo loci aperit abunde Nestorius his verbis, *idem ipse est duplex, non dignitate, sed natura*, ubi solummodo negat esse in Christo duplicem dignitatem; ratus videlicet Deum & hominem ita uniri, ut unus ex iis resultet Christus; unus inquam nomine, jure, dignitate. Profecto ille non admisit unum in Christo filium unitate physica κατὑπόστασιν, qui centies inclamavit alium esse Deum, alium esse hominem, alium qui in sinu Patris ab æterno genitus est, & alium qui in utero matris formatus est: atqui Nestorius, &c. ergo.

Hinc ita loquuntur Nestoriani in suo symbolo: *Neque duos filios aut duos dominos dicimus, quandoquidem unus est tantum per essentiam filius, nempe Deus Verbum cui conjunctus hic est homo Dei comparticeps; consors enim est appellationis & honoris filii, ac essentialiter quidem Dominus est Deus Verbum, cui hic copulatus particeps est honoris: ideo & duos filios nec duos dominos dicimus*. Unde Facundus Herm. loco citato hæc ait, *duos filios licet non verbis, rebus tamen volebat inducere*.

Instabis. Ille sincere docuit Christum esse unum unitate physica & ratione personæ, qui solummodo naturarum distinctionem propugnavit: atqui solam naturarum distinctionem, deitatis videlicet & humanitatis, propugnavit Nestorius; ubique enim semper clamavit se aliud quicquam non intendere, quam Arii & Apollinarii qui naturas confundebant, impietatem evertere: ita Ep. 2. ad Cœlestinum. *Multus etiam nobis labor hic celebratur, dum elaboramus eruere sordidissimam impietatem pessimæ opinionis Apollinarii & Arii de Ecclesia Dei, nescio enim, quemadmodum quidam de Ecclesiasticis quandam contemperationis imaginem ex deitate & humanitate unigeniti concipientes, ægrotent ægritudine prædictorum hæreticorum, dum & corporis passiones audent superfundere deitati unigeniti ... & utramque naturam confundunt*. Sermone 12. *Damna eos qui dicunt secundum Apollinarii & Arii sensum Dei genitricem, & ego una tecum clamo θεότοκον*. Ergo id unum laboravit Nestorius, ut duplicem in Christo naturam contra Arium & Apollinarem introduceret; unde visus est in speciem introducere duas personas, quas revera in Christo non admittebat.

Nego min. & ad probat. dist. ant. Et ipse aliunde impegit in oppositum errorem, C. secus, N. Solemne est hæreticis omnibus, ut palam profiteantur se in aliquem errorem insurgere, quo tamen prætextu suum proprium vel de industria, vel incaute disseminant; sic Ariani Verbum Dei Patri Æterno consubstantiale negare se jactitabant, ne in Sabellianismum viderentur deflectere; Sabellius Patrem & Filium hypostasi non distinguebat, ne, inquiebat, plures Deos introduceret; quis vero propterea Arium & Sabellium ab omni hæreseos labe vindicabit? Quapropter mirum videri non debet si Nestorius, quo nemo unquam vafer magis & subdolus extitit, in solam Arii & Apollinarii impietatem insurgere se profiteatur. Neque propterea purus ab omni errore censeri debet,

quip-

quippe qui ne deitatem cum humanitate confunderet, Deum ab homine distinxit persona & hypostasi.

Instabis. Ille admisit in Christo veram unitatem physicam secundum personam, qui communicationem idiomatum & attributorum, quæ profecto in unitate personæ fundatur, lubenter amplexus est: atqui Nestorius communicationem idiomatum lubens amplexus est, ut constat ex Epist. ad Cyrillum quæ legitur tom. 3. Concil. pag. 325. *Rectum Evangelicæque traditioni consentaneum est*, inquit, *ut Christi corpus divinitatis templum esse confiteamur; illudque nexu adeo sublimi divinoque & admirabili ipsi conjunctum, ut dicamus divinam naturam ea sibi vindicare, quæ corporis alioqui sunt propria: verum propter hanc appropriationem divino Verbo ascribere nativitatem, passionem, mortem, &c.* ergo.

Dist. min. Communicationem idiomatum improprie dictam, C. proprie dictam, N. forte Nestorius non ita abhorruit ab aliqua improprie dicta communicatione idiomatum quæ ex unitate nominis, honoris & dignitatis quam admittebat Deum inter & hominem, flueret; sed veram & proprie dictam communicationem idiomatum non tulit, quæ esset mutua de se invicem prædicatio naturarum aut proprietatum utriusque naturæ; quia vitio semper vertit Catholicis, quod Deum affirmarent natum, passum, mortuum, ut ostendimus; atque id manifeste declarat in eadem ista Epist. ad Cyrill., his verbis: *Verum propter hanc appropriationem divino Verbo ascribere nativitatem, passionem, mortem, cæterasque carnis proprietates id demum, mi frater, mentis est aut Ethnicorum more vere errantis, aut sane insani Apollinaris morbo aut alio etiam graviori;* quo quidem testimonio nihil desiderari potest illustrius ad mentem Nestorii super ea re confirmandam.

Objicies. Nestorium rectam fidem secutum esse, & solis vocibus a cæteris Catholicis vel etiam sanctis Patribus discrepare, multa evincunt testimonia Veterum ipsi coætaneorum & fide dignissimorum.

Ac primo proferri potest Judicium Jonnis Antiocheni, eique conjunctissimorum totius fere Orientis Episcoporum; is autem Epistola ad ipsum Nestorium quæ extat 1. p. Concilii Ephes. hæc scribit: *Si enim mens tua eadem sapit & sentit quæ sancti Patres, Ecclesiæque Doctores, nam hoc, domine mi, & ex multis & ex communibus amicis de te accepimus, quorum vereris pium sensum convenienti voce publicare? . . . quis quæso reprehendat, si ea quæ sentis, libere exponas?* Suum vero Antistitem secuti sunt hac in parte Episcopi totius Orientis, qui Nestorii causam susceperunt.

Secundo, & idem testatur Acacius Beroæ Episcopus, qui Epist. ad Cyril. non modo ab errore vindicat, sed & multos Constantinopoli venientes idem affirmare scribit. *Quanquam*, inquit, *multi tum a Clero ascripti, tum plebeii quoque ex urbe Constantinopolitana Antiochiam & ad nos usque venientes defendere videntur, quod dictum est; ajunt enim in sensu nihil continere quod vel Apostolicæ doctrinæ adversetur, vel fidei a sanctis Patribus in Nicæa .... neque graveris verbum elapsum in eorum gratiam qui hauserunt.*

Tertio, in medium adduci potest Theodoretus qui Epist. 2. ad Alexand. Hierap. hæc scribit. *Jam tuæ sanctitati prædixi, quia si Domini mei venerabilis & sanctissimi Episcopi Nestorii fuerit dogma damnatum, nec ego cum his, qui hoc faciunt, communicabo.* Et Epist. ad Andræam Samosat. *Exigit autem Aristolaus*, inquit, *subscriptionem factæ dudum damnationis, & ut anathemazetur sancti Episcopi dogma Nestorii. Scit autem vestra Sanctitas, quod si quis indiscrete doctrinam anathematizet ejusdem*

ſanctiſſimi & venerabilis Epiſcopi, *idem eſt ac ſi pietatem anathematizare videatur*.

Quarto, accedit teſtimonium Socratis hiſtorici qui hæc ſcribit de Neſtorio lib. 7. cap. 32. *Neſtorius apud complures venit in opinionem*, *quod Dominum ſimplicem hominem eſſe diceret*, *quodque Pauli Samoſateni & Photini dogma in Eccleſiam introduceret; atqui de hac re tanta concertatio tantaque tempeſtas commota eſt*, *ut œcumenico Concilio opus fuerit*. *Ego vero dum ejus libros luſtro*, *hominem imperitum reperio*.. *Nec tamen mihi videtur imitari Paulum Samoſatenum aut Photinum & Dominum omnino ſimplicem hominem dicere*, *ſed ſolam Deiparæ vocem tanquam larvam reformidare*.

Denique Diodori Tarſenſis & Theodori Mopſueſteni hac in materia fides, genuinam Neſtorii doctrinam aperire poteſt, ipſis enim apprime inhæſit. At Facundus utrumque catholicæ fidei fuiſſe vindicem retinentiſſimum probat dedita opera ſuis libris pro defenſione trium capitulorum: atque id ex eo potiſſimum conficit, quod laudentur ut Catholici a ſanctis Patribus, & in ſinu Eccleſiæ diem ultimum obierint. Igitur fidem faciunt coætanei Scriptores revera non erraſſe Neſtorium.

Reſpondeo vaniſſima eſſe, nec quidquam ponderis habere illa teſtimonia, ſi cum iis conferantur quæ in Neſtorium allata ſunt, videlicet cum Monachis, Presbyteris, Epiſcopis, Patriarchis qui in emergentem ejus hæreſim illico inſurrexerunt; ſi cum autoritate Cœleſtini ſummi Pontificis, Concilii Romani & Generalis Epheſini, denique cum omnibus Scriptoribus Eccleſiaſticis qui ad hunc uſque diem Neſtorium Eccleſiæ fulminibus attritum & impiam ejus doctrinam execrati ſunt. Quibus adde merito ſuſpectam haberi teſtium illorum de Neſtorii doctrina fidem, qui vel ex inſcitia Neſtorio adhærebant, qui perplexe & ambigue loquebantur; vel de induſtria illius verba in benigniorem partem interpretari amabant, quo facilius ejus animum flecterent.

Et quidem id maxime locum habet de Joanne Antiocheno, quia tunc temporis cum præfatam ſcripſit Epiſtolam nondum ei conſtans & comperta erat Neſtorii fides, de ſola voce moveri dubitationem, ut jactitabat ipſe Neſtorius, ex inſita ſingulari amicitiæ propenſione præjudicavit, vel cum eo mollius agere voluit œconomiæ gratia; ut amicum revocaret ab errore. Unde inutilem & fruſtra tentatam videns excuſationem Neſtorii Joannes tandem Catholicam in pace Eccleſiarum fidei confeſſionem edidit.

Idem plane reſpondetur de Acacio, cujus pariter ſuſpectum merito cenſetur teſtimonium utraque ex cauſa, & quod dubiæ ſit ipſe fidei, & certæ in Neſtorium propenſionis.

Quid vero cauſam Neſtorii juvat Theodoreti judicium? quem nemo neſcit ſingulari amicitia cum eo conjunctum, & qui contra Eccleſiæ judicium Neſtorio pertinacius adhæſit: his adde Theodoretum tandem Neſtorii hæreſim ejuraſſe in Concilio Chalcedonenſi, eumque inter hæreticos annumeraſſe l. 4. hæret. fabul. c. 12. ubi ſic de Neſtorio loquitur: *Primus initæ novitatis gradus fuit*, *non oportere ſanctam Virginem quæ Dei Verbum peperit*, *quod ex ea carnem ſuſcepit*, *Deiparam confiteri*, *ſed Chriſtiparam duntaxat*, *cum tamen antiquiſſimi orthodoxæ fidei prædicatores*, *juxta traditionem Apoſtolicam*, *Deiparam docuerint nominare*, *& credere Domini matrem*.

Socratis autem teſtimonium non me movet, qui quidem Hiſtorici non Theologi partes aggredi debet, quamobrem integrum quod de Neſtorio ejuſque cauſa judicium fert, ex omni parte falſum eſt, dum ſcilicet hominem imperitum eſſe ait, eumque hoc nomine excuſat, quod Chriſtum non diceret ſimplicem hominem ut Paulus Samoſatenus & Photi-

ti-

tinus, tum etiam quod Verbi divini personam non abstulerat; quæ quidem ostendunt manifeste Socratem nec ipsum quæstionis statum attigisse.

Denique extra rem omnino est Diodorum Tarsensem & Theodorum Mopsuestenum in defensionem Nestorii adducere, utrumque enim fatemur ejusdem impietatis reum, Diodorus quidem l. 1. contra Synusiastas apud Marium Mercatorem hæc scribit: *Perfectus ante sæcula filius, perfectum quod ex David assumpsit, filius Dei filium David. Dices mihi, duos igitur filios prædicat, duos filios David non dico, non enim dixi Deum Verbum filium David, sed neque duos filios Dei secundum substantiam, nec enim dico duos ex substantia Dei, cum dico Deum Verbum ante sæcula habitasse in genito ex semine David.* Magnæ quidem autoritatis fuit Diodorus quarto sæculo ob assertam Verbo divinitatem adversus Arianos, qui Tarsi factus Episcopus omnium Catholicorum ac præsertim SS. Athanasii, Basilii & Epiphanii laude & amicitia commendatus est fatendum est tamen multa ipsi excidisse in mysterium Incarnationis, & quibus Nestorio prælusisse merito censetur, quidquid super ea re dicat Facundus; scilicet Diodori aliunde clarissimi doctrinam de Incarnatione non excusant coætanei Scriptores his quæstionibus nondum agitatis.

Atque hoc idipsum de Theodoro Mopsuesteno dixeris, qui cum Diodori auditor fuisset, multa etiam adversus Incarnationem & rectæ fidei contraria effutiit; is quidem, quoad vixit, a nemine hæreseos cujuscumque vel erroris accusatus est, sed imo omnium suæ ætatis clarissimorum virorum præconiis celebratus, quia nondum examini subjecta fuerant ejus opera: verum cum postea in gravem Catholicorum offensionem adducerentur, tandem jure damnata sunt in Concilio generali quinto. Testes itaque hujusce farinæ in defensionem Nestorii adhibere, quid aliud tandem est, quam aliquem velle purum criminis ex eo ostendere, quod sui erroris habuerit aut socios aut duces his vero præsuppositis.

Asseritur in Christo unica persona.

PRobatur quia jure dicitur una in Christo persona, si reipsa idem qui Deus est, in eo sit etiam homo, & vicissim qui homo est sit etiam Deus; non potest enim unum de alio prædicari in recto, ut ajunt, nisi sit eorum unum idemque suppositum: atqui eundem esse in Christo qui Deus est & homo, manifeste constat ex Scripturis & sanctis Patribus.

E Scripturis quidem Joan. 1. *Verbum caro factum est*, id est homo, Verbum est homo, & ut aliis verbis dixerunt Patres Nicæni, *homo factus est*. Joan. 3. cap. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo*, & 8. cap. *antequam Abraham fieret, ego sum*. Matth. 16. *Quem dicunt homines esse filium hominis? respondet Petrus, Tu es filius Dei*. Rom. 9. cap. *ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Ad Philipp. 2. *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus*. Ephes. 4. cap. *qui descendit ipse est & qui ascendit super cœlos, ut impleret omnia*. In quibus locis idem plane dicitur Deus & homo, idem est Verbum & homo, idem est filius Dei & filius hominis, idem est qui erat in forma Dei & seipsum exinanivit, cui demum eidem passim attributa contraria, divina scilicet & humana ascribuntur, unde personæ unitas clare & evidenter eruitur.

Probatur 2. ex sanctis Patribus qui ante Nestorii ætatem vixere.

S. Igna-

S. Ignatio qui Epist. ad Ephes. hæc scribit, *Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria secundum dispensationem Dei ex semine David*.

S. Irenæo asserente lib. 3. cap. 18. *Unum & eumdem esse Verbum Dei & hunc esse unigenitum, & hunc incarnatum esse pro salute nostra Jesum Christum Dominum nostrum*.

Mox vero Dionysio Alexand. Epist. ad Paulum Samosat. quem ex eo arguit quod in Christo *duas hypostases & duas personas asseveraret, immo duos Christos, duos filios*.

Quæ eadem habet S. Athanas. Libello de Incarn. *sicut homo*, inquit, *persona est una & animal unum spiritu & carne concretum, ita Christus intelligi unus debet esse & non personæ duæ*.

S. Gregor. Nazianz. orat. 31. *Non duo factus*, inquit, *sed unum ex duobus fieri sustinens. Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit & quod est assumptum. Naturæ duæ in unum concurrentes, non duo filii*.

Item S. Hilar. lib. 9. de Trin. his verbis idem docet. *Sed si Christus & homo & Deus est, & neque cum homo, tum primum Deus, neque cum homo, tum non etiam & Deus; neque post hominem in Deo non totus homo, totus Deus, unum atque idem necesse est dictorum ejus Sacramentum esse, quod generis*.

S. Ambros. lib. de Incarnat. cap. 5. *Non enim*, inquit, *alter ex patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex patre, aliter ex Virgine*. Qui eadem prorsus habet lib. 5. de fide & lib. de obitu fratris.

S. August. eandem non in uno loco profitetur fidem, Enchir. c. 35. *Christus Jesus*, inquit, *Dei filius & Deus & homo est, Deus quia est Dei Verbum, homo quia in unitatem personæ concessit anima rationalis & caro*. Idem docet lib. de corrept. & grat. cap. 11. *Deus*, inquit, *naturam nostram, id est animam rationalem, carnemque hominis Christi suscepit susceptione singulariter mirabili, ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset, ut ipse & Verbum quod sine initio est, una persona esset*. Idem docet lib. 3. in Maximinum, & in Ps. 108.

Sequitur S. Hieron. in cap. 1. Epist. ad Ephes. *Non quo alius assumptus homo & alius sit sermo qui assumpserit, sed quo unus atque idem, pro varietate causarum, nunc sublimis, nunc humilis prædicetur*. Ita & Cyrillus Alexand. Theodotus Ancyranus, Proclus, Paulus Emissenus & alii qui in Nestorium scripserunt, vel Synodo Ephesinæ ultro consenserunt.

Accedit quod publica Ecclesiæ monimenta hoc idipsum confirmant. 1. Symbolum Apostolor. in quo hæc leguntur. *Et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. Ubi ille idem Deus dicitur simul & natus ex Maria. 2. Symbolum Nicæn. idem declarat his verbis, *Deum de Deo... propter nos homines nostramque salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus est*. Quod utrumque Symbolum ante Nestorii tempora editum, fuit deinceps approbatum in sequentibus Conciliis generalibus; adeo ut male feriati ingenii haberi debeat iste Hæresiarcha, cum hoc nostrum Ecclesiæ dogma ausus est oppugnare.

Objicies cum Nestorio. Tametsi Christus sit Deus & homo, ea tamen duo apprime distinguntur in Scripturis; modo enim Christus dicitur Deus, modo dicitur homo; aliquando filius Dei & aliquando filius hominis; atque, inquiebat ille, eundem non esse qui sit Deus & homo, ex eo manifeste evincitur, quod quæcumque in scripturis Christo tribuuntur quæ humanitatis sunt, vel infirmitatem redolent; de Deo nunquam simpliciter, sed vel de Christo, vel de Jesu, vel de Domino, vel de filio

ho-

hominis prædicantur, sic Matth. 1. *Liber generationis Jesu Christi filii David ... Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est* JESUS, *qui dicitur Christus;* & cap. 2. *surge & accipe* puerum *& matrem ejus, & fuge in Ægyptum*. Joan. 8. *quid me quæritis occidere* hominem *qui vera locutus sum vobis*. Matth. 28. *venite, videte locum ubi positus erat* Dominus. Joan. 20. *tulerunt* Dominum *meum*. Galat. 1. *alium Apostolorum vidi neminem nisi Jacobum fratrem* Domini. Actorum 17. *in* viro *definivit Deus suscitans eum a mortuis*. Quibus testimoniis alia prorsus innumera possent adjungi, in quibus Christus sub nominibus viri, hominis, Domini, Jesu, vel Christi designatur, numquam vero sub titulo Dei; cum scilicet commemorantur ejus nativitas, passio, mors, resurrectio, quæ ad mortalem attinent; quod palmare fuit Nestorii argumentum. Unde tolerare non poterat istas locutiones, *Deus natus*, *Deus passus*, *Deus mortuus*; cum solus homo sit natus passus & mortuus.

Dist. ant. Christus modo dicitur in Scripturis Deus, modo dicitur homo; at inde colligendum est solummodo duplicem in eo esse naturam, C. duplicem personam, N. hæc itaque diversa nomina & diversæ proprietates ostendunt duplicem esse in Christo naturam, nimirum divinam & humanam, non autem duplicem personam; quia ut recte observavimus, idem qui in Scripturis dicitur Deus, dicitur quoque homo in recto, nec tantum dicitur esse hominis, vel ad hominem, vel cum homine, vel in homine, sed homo; quod quidem apte fieri non potest, nisi unica sit persona pro utraque natura.

Hinc inscite prorsus præfata Scripturæ loca congerit Nestorius, quasi nempe ea Deo nunquam tribuantur quæ humana sunt; siquidem hoc idipsum manifeste evincitur ex aliis innumeris Scripturæ testimoniis, in quibus Verbum dicitur caro factum, eum ipsum esse qui descendit de cœlis & qui ascendet; Deum seipsum exinanivisse, & cætera id genus, quæ ostendunt multa simpliciter de Deo dici quæ humanitatis sunt. Atque id præterea expresse declarant alia Scripturæ testimonia Actor. cap. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo*. 1. Joan. 3. *in hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit*. Ibi Deus dicitur mori in utroque testimonio.

Quod autem in objectis locis Christus designetur potius sub nominibus hominis, filii hominis, viri, Jesu, Domini, &c. quam sub nomine Dei; inde factum est, quod nasci, fugere in Ægyptum, pati, mori & resurgere, ad naturam humanam attineant, licet sint ejusdem personæ quæ Deus, qui cum sibi naturam humam tanquam propriam asciverit, debet ipse dici natus, passus & mortuus.

Instabat Nestorius, templum & inhabitans templum persona differunt: atqui in Christo Deus est in homine velut inhabitans templum juxta illud Joan. 2. *Solvite templum hoc*, inquit Christus, *& in triduo suscitabo illud*. Quo loco Scripturæ adducto exclamat Nestorius quaternione 29. *Nunquid ego duplicem quemdam Christum solus appello, & non semetipsum & templum solubile & Deum se nunquam suscitantem? quod si Deus erat qui solvebatur, o Ariane, quod sane in ejus caput blasphemium convertatur, oportuerat dicere, Solvite Deum istum & in triduo suscitabitur*: ergo Deus & homo in Christo differunt persona.

Dist. maj. Templum proprie & inhabitans templum persona differunt, C. templum metaphorice sumptum, N. porro ad summum humanitas Christi non homo dici potest improprie & in sensu quodam metaphorico templum divinitatis, sed istud dici non potest in sensu

pro-

proprio, ut per se patet, adeoque ex illo argumento Nestorii nihil quicquam colligi potest. Quod spectat testimonium Joannis adductum, profecto intelligi debet de corpore Christi quod erat aliquo sensu templum animæ; non de homine qui sit Dei templum & ab eo in persona distinctus; siquidem corpus nostrum recte dicitur in nobis templum animæ, nec ideo censetur persona distincta.

Hinc colligitur quid respondendum testimoniis nonnullorum Patrum qui ejusccmodi utuntur locutionibus, ubi de Christo loquuntur, ut unionem duntaxat moralem inter naturam divinam & humanam videantur admisisse; adeoque existimasse Deum & hominem duas esse in Christo personas. Sic Eusebius lib. 4. demonst. Evang. humanitatem appellat divinitatis *instrumentum*. San. Athan. orat. 5. divinitatis *templum*. S. Greg. Nazianz. orat. 5. Christum nominat hominem *deificatum*. S. Basil. lib. de Spiritu sancto c. 5. & alii nonnulli Christum appellarunt *deiferum*. Scilicet instrumentum & templum metaphorice dictum acceperunt, in quantum divinitas aliquo sensu habitare videtur corporaliter in humanitate; ita ut tamen idem ille sit, qui Deus est & homo; quemadmodum licet anima hominis vulgo dicatur esse in corpore, velut in domo, vel ut in carcare; tamen unius plane sunt suppositi, nec duæ sunt personæ. Adde quod illi Patres mox citati scripserunt ante exortam Nestorii hæresim, qui proinde in iis quæ ad unitatem personæ attinent, non ita caute locuti sunt, ut moris est apud Scriptores Ecclesiasticos.

Objicies celeberrimum S. Chrysostomi locum qui in caput 1. Epist. ad Hebr. Homil. 3. ad hæc verba Pauli *ad filium autem, thronus tuus Deus in sæculum sæculi; virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus, &c.* hæc scribit, *hic etiam & Judæos & Pauli Sanosateni sectatores & Arianos & Marcellum & Sabellium percussit & Marcionem. Quomodo vero? Judæos quidem, eundem duo ostendens & Deum & hominem*, vel juxta editionem Veronensem, *ostendens duas personas* δύο πρόσωπα, *& Deum & hominem; alios vero Samosateni dic asseclas, dum hæc dicit de æterna substantia & increata essentia... Contra Marcellum vero quod sint hæ duæ personæ distinctæ secundum hypostasim. Contra Marcionistas quod divinitas non ungitur sed humanitas.* Ubi diserte pronunciat Chrysostomus duas esse in Christo personas, tum vero eas esse distinctas secundum hypostasim.

Huic testimonio quod Chrysostomi Scholiastas & interpretes vehementer torsit, duo potissimum inter alia responderi solent.

Primum est, Chrysostomum hic accipere improprie & late nomina personæ & hypostasis, quo sensu rebus frequenter tribuuntur, quæ licet per se unum idemque suppositum, tamen variam speciem induunt, variasque habent naturas, tum voces istas πρόσωπον κατ' ὑπόστασιν idem eo loci valere atque οὐσίαν καὶ φύσιν *essentiam & naturam*: ita respondet Flaminius Nobilius qui sæculo proxime elapso in omnia divi Chrysostomi opera adnotationes edidit.

Verum multis ex causis non placet ista interpretatio. 1. Quia nomen hypostasis sumit semper Chrysostomus pro persona, non pro natura & essentia; atque quod in hac re peremptorium est, licet illud affirmari non posset de vocabulo *hypostasi*, tamen hocce nomen προσώπου nec a Chrysostomo nec ab alio quovis e veteribus pro essentia vel natura fuit unquam adhibitum. 2. Quia neque Nestorius nec ejus asseclæ Joannes Antiochenus, Theodoretus, & alii in causæ suæ patrocinium vocaverunt unquam Chrysostom. quod sane non omisissent, si in Christo dixisset δύο πρόσωπα, duas

duas personas. 3. Quia in aliis locis quæ sumus mox adducturi, clare & aperte Chrysostomus duas docet in Christo esse personas, ita ut illum Nestorio prælusisse, vel quicquam favisse cogitari non possit.

Altera præfati loci interpretatio est Dounæi Angli, Halesii, & aliorum qui putant sermonem ibi non esse de uno Christo, sed de Patre & Filio, quorum profecto voluit Chrysostomus distinctas esse personas, quam sententiam lubenter amplectimur.

1. Quia id manifeste cum scopo & serie disputationis Chrysostomi consentit hæc interpretatio, scilicet dum exponit Epistolam ad Hebræos, stilum identidem divertens ad confutandas hæreses, hic duabus propositionibus objectis agit in Judæos & Marcellum Sabelliumque; in prima adversus Judæos, & in secunda adversus Marcellum: porro quoad primam propositionem duplex fuit Judæorum error, alter quod Deus una esset persona non plures personæ, alter quod Jesus esset merus homo non Deus; unde hoc testimonio demonstrat Chrysostomus duas divinitatis personas Patrem & Verbum, *propterea unxit te Deus, Deus tuus*. Ubi Deus Pater alloquitur Deum filium; & simul ostendit S. Doctor Deum & hominem esse Christum quem Deus Pater ibi nomine compellat, & cujus humanitatem unctam esse significat; quo fit ut in ista propositione *ostendens duas personas Deum & hominem*, non loquatur Chrysostomus de duabus Christi personis, sed de personis Patris & Filii in Trinitate. Quod vero spectat secundam propositionem in qua Marcellum oppugnat Chrysostomus, certum est ibi sermonem esse de personis Patris & Filii, tum quia Marcellus potissimum Sabellianismi accusabatur, unde merito scribit S. Chrysostomus, *contra Marcellum vero quod sint hæ duæ personæ distinctæ secundum hypostasim*; tum quia illud pronomen *hæ* in ista propositione demonstrat Chrysostomum de iisdem personis loqui, de quibus hoc ipsum dixerat paulo ante contra Judæos. Quapropter series & scopus disputationis manifeste probat non de uno Christo sed de Patris & Filii personis sermonem fieri in præfatis propositionibus sancti Chrysostomi.

Secundo idem ex eo maxime colligitur, quod eadem verba tum Prophetæ tum Apostoli tanquam luculentum argumentum adhibuerunt Patres, ut distinctionem personarum in Deo probarent. Ita S. Cyprianus lib. 2. testimoniorum adversus Judæos cap. 6. Origenes lib. 1. contra Celsum. Euseb. Cæsar. lib. 4. demonst. Evang. c. 15. S. Hier. Epist. 140. quæ est ad Principiam. S. August. in Psal. 44. quibus adde Theophilactum & Theodoretum Chrysostomi exscriptores in hunc plane sensum ejus verba explicasse comment. in c. 1. Ep. ad Hebræos; ac denique ipsum Chrysostomum sui ipsius interpretem qui alibi homilia nempe 30. de incomprehensibili natura Dei hæc eadem verba, *propterea unxit te Deus Deus tuus, & Thronus tuus Deus in sæculum sæculi*, a Propheta & Apostolo usurpata ut Patrem & Filium significent, expresse docet. *Visne propterea*, inquit, *ubi Deum Patrem & Deum filium nominet junctis personis accipere? audi cum David Prophetam, tum Apostolum Paulum. Sedes tua Deus in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus. Paulus rursus hoc idem allegat & suæ sententiæ testimonium adhibet, cum dicit: Et ad Angelos quidem dicit, qui facit Angelos suos Spiritus, ad filium autem thronus tuus, Deus in sæculum*.

Tertio demum rem nostram conficit, quod unicam ubique in Christo personam & subsistentiam aperte docuerit Chrysostomus; id inter alia multa testatur diserte Epistola ad Cæsarium Mona-

nachum Synusiastam, *pium*, inquit, *& valde pium, Christum qui morte circundatus est confiteri in divinitate perfectum, unum filium unigenitum non dividendum in filiorum dualitatem, habentem tamen in semetipso indivisarum duarum naturarum minime confusas proprietates, non alterum & alterum (absit) sed unum & eundem Dominum Jesum Christum Dei Verbum carne amictum & ea non inanimata & sine mente, ut impius Apollinaris dixit. Istis mentem intendamus, fugiamus eos qui dividunt. Nam etsi duplex natura veruntamen indivisibilis & indissipabilis unitio quam in una filiationis confitemur persona & una subsistentia*. Quo testimonio invicte demonstratur Chrysostomum ab errore Nestorii longe alienum fuisse, adeoque in præfata homilia non de uno Christo sed de Patre & Filio sermonem fecisse.

Quapropter ejus rectam in hac parte fidem prædicarunt Cyrillus Epist. ad Clericos Constantinopolitanos, ubi loquens de Nestorio ait: *Numquid est eloquentior Joanne?* Cœlestinus Pontifex Epist. ad Clerum populumque Constantinopolitanum, ubi differens de iis qui hactenus sedem hanc tenebant, *prædicabant*, inquit, *illi apud vos non duos Christos sed unum Christum, eundem nimirum Deum verum & hominem*. Quæ eadem habet Cassianus lib. 7. de Incarnatione Christi contra Nestorium cap. 30.

At inquies, verisimile non est Chrysostomum de distinctis Patris & Filii personis agere, nec minimam quidem Patris mentionem injecisse, quemadmodum nec Spiritus sancti: cum enim personarum distinctionem probare volunt autores non duas tantum, sed tres simul personas appellare solent.

Respondeo 1. Hic tres distincte personas non appellari a Chrysostomo, & penitus omitti Spiritum sanctum; quia explicat locum Davidis & Apostoli, *propterea unxit te Deus, Deus tuus, &c.* in quo non nisi duæ designantur personæ Patris & Filii his nimirum vocibus, *Deus, Deus*. Cum præterea abunde confutati censeantur Judæi, si ostendatur Christum esse Deum & a Patre in persona distinctum. 2. Satis superque Patrem divinum indigitat Chrysostomus sub nomine Dei ungenitis, quem uncto secundum humanitatem Christo comparat: atque inde postquam dixit *duas esse personas*, addit *Deum & hominem*, hoc est Patrem ungentem & Verbum unctum ut hominem.

Cæterum non possumus ex omni parte absolvere Anonymum quemdam, qui in gallica sua interpretatione homiliarum divi Chrysostomi, sic differit in huncce locum p. 276. *S. Paul confond les Juifs en leur montrant qu'il y a deux personnes en J. C. Dieu & l'Homme... il confond Marcel en montrant que les deux personnes qui sont en J. C. sont subsistantes par elles-memes & separees entre elles*. In qua interpretatione vir ille, cætera Catholicus, ut ipse duabus Epistolis postmodum professus est, profecto dormitavit; iniquum est enim, ut ostendimus, divum Chrysostomum Nestorianæ impietatis reum facere, quod nec ipsi Nestorianismi defensores unquam tentarunt: qua vero de causa voces in varios sensus catholicos flexiles, ad unum determinat qui aperte hæreticus est, plane ignoro; suæ pudeat incogitantiæ.

Objicies. Si unica esset in Christo persona, hæc propositio *unus de Trinitate passus est* damnata non fuisset: atqui hanc propositionem in Monachis Scythiæ damnavit cum omnibus fere Catholicis Hormisdas summus Pontifex: ergo falsum est unicam esse in Christo personam.

Dist. min. Propter odiosum sensum qui ipsi affingebatur, C. eo quod ipsa sit reapse falsa & erronea, N. scilicet præfata propositio, quæ de se maxime Catholica est, quippe quæ solum significat filium Dei, qui unus est de Trinitate, passum esse in carne, eaque ante

Eu-

Eutychianorum tempora fuit aut integra, aut ex parte saltem apud sanctos Patres usitata, postmodum exorta Eutychianorum factione, qui ex illa propositione unam esse in Christo naturam, divinam scilicet quæ passa est, inferebant, jam tum velut eorum errori affinis reputata est. Unde cum circa annum 520. Scythæ quidam Monachi hancce propositionem contenderent esse veram & maxime orthodoxam, habiti sunt propterea a plerisque Catholicis Eutychianæ perfidiæ defensores; atque de illis scripsit Hormisdas summus Pontifex ad Possessorem Africanum Præsulem tanquam de seditiosis, novitatum amatoribus, qui jacientes diabolicæ zizaniæ nefanda semina, pacem Ecclesiasticam perturbabant. Verum propositionem nonnisi habita ratione temporum explosam, in se vere Catholicam esse ex eo abunde evincitur, quod eam postea recepetit Ecclesia universa, ut patet ex quinta Synodo can. 4. & 5. ex Joanne II. summo Pontifice, tum in Epistola ad Justinianum Imperatorem, tum in Ep. ad Senatores. Ex Ep. Pelagii II. ad Childebertum Francorum Regem, ex testimoniis S. Fulgentii lib. de fide ad Petrum c. 13. Ferrandi Diaconi in Epistola ad Anatolium, Facundi Hermia. l. 1. quibus addi possunt autores quos in sui defensionem adducebant Monachi, scilicet Proclus in Ep. ad Armenos, sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 36. & lib. 2. de Trin. cap. 10. Ex quibus certo colligitur veram & maxime Catholicam esse istam propositionem *unus de Trinitate passus est*.

Idem similiter judicandum est de hocce Trisagii additamento, *qui crucifixus est pro nobis*. Scilicet Trisagium Hymnus fuit in Orientali Ecclesia sic cantari solitus die Parasceves, *Sanctus Deus Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis:* cui postea Petrus Fullo inter Eutychianos coriphæus addidit, *qui crucifixus ex pro nobis miserere nobis*. Ut inde colligeretur totam Trinitatem, adeoque divinitatem pro nobis passam esse; sed modo admissa, modo repudiata fuit isthæc Trisagii appendix pro vario qui ipsi affingebatur sensu, quippe quæ Catholica est prout ad solum Christum applicatur, hæretica vero prout de tota Trinitate intelligitur. Plura hic de istis congerere nostri non est instituti, consulantur Scriptores historiæ Ecclesiasticæ.

Objicies. Si unica esset in Christo persona quæ nempe esset Verbi divini, B. Virgo Maria deberet ac posset dici Mater Dei: atqui B. Virgo Maria dici non potest Mater Dei nisi valde improprie & metaphorice: ergo sunt in Christo duæ personæ.

Nego min. & dico B. Virginem Mariam vere & proprie dici Matrem Dei; quod ut melius intelligatur, rem ex professo & pro gravitate argumenti fusius tractabimus: quapropter sit.

CONCLUSIO.

B. Virgo Maria vere dici debet Deipara seu Mater Dei.

Probatur 1. ex Scripturis, in quibus non modo Christus, vel homo, vel filius hominis dicitur natus ex Maria, sed & expresse Deus ipse. Joan. 1. cap. *Verbum caro factum est*. Roman. 1. ait Apostolus *filium Dei factum esse ex semine David secundum carnem*. ad Galatas cap. 4. *misit Deus filium suum factum ex muliere*. At Verbum, filius Dei filius quem misit Deus, ipse Deus est non homo Deo unitus; igitur expresse docent Scripturæ Deum ex muliere esse natum & factum; quis vero præter Nestorium cum Scriptura loqui exhorruerit?

Secundo, idem docuerant veteres pene omnes ac singuli ante Concilium Ephesinum.

S. Ignatius Martyr Epist. ad Ephesios, *Deus noster*, inquit, *Jesus Christus a Maria in utero gestatus est ... Deus in immortali veraque vita & ex Maria & ex Deo*.

S. Justinus dialogo cum Tryphone ait, *Deum qui genitus est homo per Virginem*.

S. Irenæus lib. 3. c. 31. *Verbum existens ex Maria quæ adhuc erat Virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis.*

S. Dionysius Alexandr. Epist. contra Paulum Samosatenum, *una*, inquit, *sola Virgo filia vitæ genuit vivens Verbum & subsistens .... Christum incarnatum e sancta Virgine & Dei genitrice Maria.*

Tertullianus lib. de carne Christi c. 17. *ante omnia*, inquit, *commendata est ratio quæ præfuit, ut Dei filius de Virgine nasceretur.*

S. Athanas. orat. 4. contra Arianos, *itaque divinæ Scripturæ scopus iste est & formula propria, ut duplicem agnoscamus in ea de Salvatore loquendi rationem; nimirum eum filium fuisse semper & esse Deum, qui sit Verbum & splendor ac sapientia Patris; tum postea propter nos eundem illum assumpta carne de Virgine Dei genitrice Maria hominem esse factum.*

S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 4. *crede hunc*, inquit, *unigenitum Dei filium .... ex sancta Virgine ac Spiritu sancto esse genitum.*

S. Greg. Nazianz. Epist. 1. ad Cledonium in eos invehitur *qui Dei genitricem Mariam esse non existimant.*

S. Hieron. lib. contra Helvidium. *Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus.*

S. Chrysost. homil. 2. in Matthæum, *Valde auditu mirum & inusitatum est*, inquit, *Deum inaccessum & ineffabilem, & qui mente comprehedi nequit ac Patri æqualem, per uterum venisse virgineum & ex muliere gigni voluisse.*

S. August. Enchir. c. 37. *Idem namque*, inquit, *Jesus Christus filius Dei unigenitus, id est unicus Dominus noster, natus est de Spiritu sancto & Virgine Maria.*

Quapropter non immerito hæc scribit Cyril. Alexan. lib. de recta fide c. 9. *Porro autem vocem hanc* Deipara *veteribus Patribus quorum sanctimoniam & fidei integritatem admiramur, nec non omnibus qui eos deinceps huc usque sunt secuti per universum, ut ita dicam; terrarum orbem, familiarem esse ostendendum existimavi.* Cui suffragatur ipse Joannes Antiochenus Epist. ad Nestorium his verbis, *etenim nomen hoc* θεότοκον *nullus unquam Ecclesiasticorum Doctorum repudiavit*: qua igitur fronte, qua temeritate ausus fuerit Nestorius contra tam apertam Scripturæ & sanctorum Patrum doctrinam, negare B. Virginem esse Deiparam, plane non video.

Instabis. Ea dici non debet Dei genitrix quæ non genuit divinitatem: atqui certum est Mariam non genuisse divinitatem: nemo enim, inquiebat Nestorius, genuit se antiquiorem: ergo dici non debet Dei genitrix.

Nego maj. ut enim Maria dici possit Dei genitrix, necesse non est ut ipsam pepererit divinitatem per se, quasi eam e nihilo extraxerit, satis est vero quod ei homini initium dederit qui aliud nunquam fuit suppositum quam Deus: inde enim sequitur Deum fuisse genitum, non quidem absolute sed in carne; eatenus enim fuit genitus quatenus factus est homo; non quod, ut volebat Nestorius, tò *homo* solum in Christo non tò *Deus* fuerit genitus, sed quia ille homo genitus, semper fuit Deus.

Instabis. Ex eo colligi non debet Mariam esse Dei genitricem, ex quo sequitur tantum aut illam esse genitricem hominis, aut esse genitricem Christi; atqui, ex eo quod Maria genuerit hominem qui semper fuit Deus, vel Deo conjunctus etiam in unitate suppositi, sequitur tantum aut illam dici posse genitricem tò hominis in Christo, quippe quæ proprie peperit humanitatem; aut illam esse matrem totius Christi, quia quæ dat esse uni parti, censetur totius parens, denominationes enim sunt suppositorum; unde Ma-

Maria dici poterit Christipara, non autem Deipara. Quod quidem apposito illustrari potest exemplo; mulier nempe in humano partu ex eo quod corpus filio suo suppeditaverit, dici quidem potest mater ceu causa istius corporis quod revera & proprie effinxit, tum etiam recte dicitur parens totius, parens filii puta Petri, quia unam ex partibus dedit, nempe corpus; sed a nemine dicetur mater animæ quam norunt omnes: ergo a pari tametsi B. Virgo Maria genuerit hominem & de suo suppeditaverit humanitatem Christi, tamen non poterit dici nisi valde improprie & metaphorice mater Dei; non Deipara sed tantum Christipara.

Nego min. & dico recte colligi Mariam esse vere & proprie Deiparam, ex eo quod genuerit hominem qui semper fuit Deus propter rationes mox adductas. Ad exemplum vero allatum nego paritatem; ratio discriminis est, quia anima in homine non est suppositum, non est persona, Deus vero in Christo est suppositum, est persona: at secundum omnes Philosophos terminus generationis est suppositum geniti, suppositum dicitur genitum, quantumvis utraque natura ejusdem suppositi per se non sit genita: siquidem denominationes sunt suppositorum; quo fit ut licet in vulgari partu humano mulier non possit dici parens vel genitrix animæ, tamen Maria in mysterio Incarnationis dici debet Mater Dei.

At inquiebat Nestorius sermone primo, *Ergo excusabilis gentilitas matres diis subintroducens*.

Respondeo alium nos non introducere modum loquendi de Deo incarnato cui matrem tribuimus, quam qui ab autoribus sacris, sanctis Patribus & Conciliis retro fuit usurpatus; unde nihil est quod in hoc gentilitatem sapiat, deinde hoc argumento exularet distinctio personarum propter hanc fidei Christianæ cum Paganismo affinitatem, quod sane vel ab ipsius Nestorii mente prorsus alienum est.

Quotuplex sit in Christo natura.

Inter eos qui adversus perpetuam & constantem Ecclesiæ fidem, unicam in Christo esse naturam professi sunt, merito recensere possumus. 1. Paulum Samosatenum & Photinum veteres hæreticos, hodieque Socinianos qui Christum docent purum esse hominem, in quorum impietatem abunde scripsimus in Tractatu de SS. Trin. 2. Apellem, Marcionem, Manichæum aliosque ejusdem furfuris, qui specie tenus naturam humanam a Deo susceptam, aut Christi corpus e cœlesti materia delibatum existimarunt; hos autem paulo post impugnabimus ubi de ipso Christi corpore agetur. 3. Arianos qui Verbum divinum animæ instar Christo esse dixerunt; tum vero Apollinaristas qui paulo subtilius non tamen verius mentem & animam separantes, solam posteriorem Christo vindicabant, mentis vice Verbum eidem fuisse affirmantes, hoc delirium mox confutabimus cum veram in Christo animam esse ostendetur. 4. Denique eos qui duas ante unitionem naturas ultro fatebantur, sed post adunationem unam tantum admittebant, cujus sectæ coriphæus fuit Eutyches quem impræsentiarum debellare aggredimur.

Eutyches igitur Constantinopoli Presbyter & Archimandrita, qui pro asserenda contra Nestorium fide Catholica strenue dimicaverat, quibusdam Cyrilli Alexandrini verbis, ut nonnulli conjiciunt, perperam intellectis, in alium ex adverso contrarium errorem deflexit, acerrime contendens unam esse in Christo naturam; ob id ab Eusebio Dorilæi Episcopo monitus primum sed frustra, delatus est ad Flavianum Patriarcham Constantinopolitanum, qui tum præerat Concilio Constantinopolitano an. 448. Ibi cum sese stitisset Eutyches, licet sa-

favore fretus Chrysaphii Eunuchi qui eum e sacro fonte susceperat, & qui multum gratia valebat apud Imperatorem, ex Concilii sententia omni sacerdotali dignitate privatus est. Missa sunt ad Leonem summum Pontificem Acta Synodalia qui ea rata habuit.

Interim de injuria sibi illata conquestus Eutyches, novum Ephesi indictum est super ea re Concilium generale quod celebratum est anno 449. Ibi Constantinopolitanæ Synodi, in qua damnatus fuerat Eutyches, acta relecta sunt jubente Dioscoro Alexandrino Eutychis patrono & Concilii præside, tum vero omnia contra fas ac per vim acta sunt; Flavianus Constantinopolitanus qui primas tenere debuisset, adfuit ut reus non suo loco nec ut Judex; introductus est Eutyches; Eusebius vero illius accusator non est admissus; lata est depositionis sententia in Flavianum & Eusebium, quasi Eutychem injuste exauctorassent; cui sententiæ inviti omnes Episcopi subscribere coacti sunt. Flavianus ab illo judicio provocavit, qui propterea oppressus a Dioscoro *cæsus & multis injuriis affectus*, inquit Liberatus, *dolore plagarum migravit ad Dominum*. Statim vero Eutyches ab omnibus in integrum restituitur.

Rebus ita perturbatis moritur Theodosius Imperator, cui successit Marcianus Princeps religiosissimus, qui post adeptum Imperium rei christianæ studiose invigilans, generalem Synodum cogere decrevit. Celebrata est Chalcedone an. 541. Ibi acta latrocinii Ephesini rescissa sunt, damnatus Eutyches, & certa rataque fidei forma edita est, qualem mox descripturi sumus.

Quis vero fuerit sensus Eutychis, quid sibi vellet delirus iste & versipellis Hæresiarcha, cum unicam in Christo esse naturam docebat, non est profecto facile dictu, ista quidem mihi de eo posse merito affirmari videntur.

Primo quidem ea fuit ejus confessio quam in Constantinopolitana Synodo coram Flaviano edidit, *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unitionem, post unitionem vero unam naturam confiteor*. Quod quidem cum revocare noluisset, illico depositus est, ut legitur in act. 1. Concil. Chalcedonensis, unde Flavianus in Epistola ad Leonem Eutychis dogma in hunc modum explicat: *ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri J.C. duas naturas esse divinitatis & humanitatis; post unitionem vero, unam naturam factam*.

2. Theodoretus in Dialogo secundo Eutychianum ita pronunciantem introducit, ut divinitate sola manente humanam dicat absorptam esse naturam. Nam sciscitanti Catholico, *quomodo post unitionem unicam agnosceret, utrum ex ambabus, unam esse conflatam, an altera manente extinctam putaret alteram*; respondet Eutychianus, *Ego divinitatem ajo mansisse, ab hac vero absorptam esse humanitatem*. Cujus rei adducit postea exemplum ejusmodi, *ut si in mare mellis gutta fundatur; nam gutta illa statim evanescit aquæ maris immista*.

3. Carnem Christi ex Virgine negabat esse sumptam Eutyches, ut testatur Flavianus Epist. ad Leonem, *aiebat enim*, inquit, *Virginem quidem quæ eum genuit secundum carnem, consubstantialem nobis esse, ipsum autem Dominum non suscepisse ex ea carnem consubstantialem nobis, & corpus Domini non esse quidem corpus hominis, humanum vero corpus esse quod est ex Virgine*. Quod quidem idipsum referunt Virgilius lib. 3. contra Eutychen, Theodoretus lib. 4. hæret. fabul. c. 13. Fulgent. in respons. 4. ad Ferrandum, & S. Leo Epist. 25.

Atque in hunc sensum intellexisse Eutychem id quod docebat unicam esse in Christo naturam facilius crediderim; tum quia hujusce erroris frequentius accusatur ab autoribus coætaneis; tum quia in Eutychianos multi insurgunt velut in Antropomorphitas, quasi omnem a Chri-

ſto removentes humanitatem, exiſtimarent idipſum quod videbatur & palpabatur eſſe divinitatem, quæ apparebat hominibus ſub ſpecie humana quæ tamen non erat natura humana; tum denique quia in id potiſſimum incumbunt Scriptores, ut Entychianis oſtendant eam quæ in Chriſto aſpectabilis eſt naturam eſſe a divinitatem diſtinctam, remanere in Chriſto etiam poſt aſcenſionem in cœlos, &c. quod feliciter præ cæteris executus eſt Theodoretus in ſuis dialogis. Verum utut ſit de modo quo mentem. ſuam & deliria interpretatus fuerit Eutyches, quæ utpote incerta varie traduntur ab authoribus, id unum conſtat illum pertinacius profeſſum fuiſſe unicam in Chriſto naturam in quem proinde ſit

CONCLUSIO.

Duæ ſunt in Chriſto naturæ realiter diſtinctæ, divina ſcilicet & humana.

Probatur 1. ex Scripturis quæ Chriſtum ubique Deum & hominem prædicant, eique varias & diverſas Dei & hominis proprietates aſcribunt, Joan. 1. *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.... & Verbum caro factum eſt.* Ad Philippenſ. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo.* Quo demum pertinent ea omnia loca, in quibus Chriſtus dicitur filius Dei, æternus, unus eum Patre, hinc enim ipſi aſſeritur natura divina, & alia in quibus dicitur, filius hominis, natus, paſſus, mortuus, ſuſcitatus; hinc enim eum certo fuiſſe hominem evincitur: igitur duæ ſunt in Chriſto naturæ vere diſtinctæ & inconfuſæ.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus qui ante exortam Eutychis hæreſim ſcripſerunt.

S. Ignatius Epiſt. ad Epheſ. *unus*, inquit, *medicus eſt carnalis & ſpiritualis, factus & non factus in homine Deus, in morte vita æterna, ex Maria & ex Deo; primum paſſibilis & tum impaſſibilis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus.* S. Irenæus lib. 5. cap. 14. *ſi non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet.*

S. Ambroſius lib. 2. de fide cap. 4. *Servemus*, inquit, *diſtinctionem divinitatis & carnis, unus in utraque loquitur Dei filius, quia in eodem utraque natura eſt. Et ſi idem loquitur, non uno ſemper loquitur modo. Attende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis paſſiones, quaſi Deus loquitur quæ ſunt divina, quia Verbum eſt, quaſi homo dicit quæ ſunt humana, quia in mea ſubſtantia loquebatur.*

Atque ne incaſſum hic repetamus quæ alibi leguntur, conſule cæterorum Patrum teſtimonia quibus oſtendimus in Tractatu de SS. Trinitate Chriſtum eſſe vere Deum, & quæ paulo infra adducemus, ubi eum eſſe vere hominem, & habuiſſe verum corpus & animam demonſtrabitur.

Probatur 3. ex definitionibus Conciliorum. Ita quidem Concilium Nicænum quod Chriſtum vere Deum Patri æterno conſubſtantialem definit, eumque poſtea pronuntiat verum eſſe hominem, *qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis & incarnatus eſt:* ſed longe clarius adverſus Eutychem Concilium Chalcedonenſe his verbis declarat, *Chriſtum Dominum noſtrum eundem perfectum in Deitate & eundem verum, eundem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, ante ſæcula, quidem de Patre genitum ſecundum Deitatem, in noviſſimis autem diebus eundem propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei genitrice; ſecundum humanitatem unum eumdemque Chriſtum filium, Dominum, unigenitum in dua-*

duabus naturis inconfuse immutabiliter, indivise inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ.

Probatur denique ratione; siquidem ideo, ut puto, dicebat Eutyches unicam esse in Christo naturam, quia volebat id omne quod erat in Chisto vel etiam aspectabile, esse divinitatem ipsam, nihil esse in eo humanitatis; neque enim existimare potuit vel naturam divinam conversam fuisse in humanam, vel humanam in divinam: atqui constat id omne quod erat in Christo, non fuisse ipsam divinitatem; tum quia ex Scripturis & Patribus Christus est verus homo; tum quia admittunt in Christo veram unionem, unitionem, incarnationem, mixtionem, &c. quæ omnia in illo Eutychis systemate rejici debent: ergo duæ sunt in Christo naturæ.

Objiciebat Eutyches illud Joan. 1. *Verbum caro factum est;* quæ verba, ille inquiebat, conversionem veram significant, sicut cum aqua dicitur facta vinum in nuptiis Canæ: ergo unica est in Christo natura.

Dist. ant. Verbum caro factum est per unionem, assumptionem, C. per veram conversionem, N. certe si locus iste indicat conversionem, ex eo colligi debet Verbum fuisse mutatum in carnem; atqui nunquam ipsi Eutychiani dixerunt Verbum fuisse in naturam humanam conversum, sed naturam humanam in Verbo absorptam, ut mellis gutta in mari absorbetur: ergo in mente S. Joannis Verbum caro factum est, per unionem, assumptionem humanitatis, non per conversionem. Unde etiam addit Evangelista, *Et habitavit in nobis;* quæ vox *habitandi* duarum Christi naturarum differentiam & distinctionem aperte exprimit; quemadmodum ex illis Scripturæ verbis, *Ego in Patre, & Pater in me est*, jure infertur personarum Sanctissimæ Trinitatis distinctio; quia nemo dubitat quin vox *mansionis* personarum differentiam significet.

Atque his & similibus momentis utuntur Patres, ut ostendant præfatum S. Joannis locum de unione Verbi cum natura humana esse intelligendum non de mutatione.

S. Ignatius Epist. ad Trallianos, *vere genitus est ex Deo & Virgine, non tamen eodem modo, nec enim idem sunt Deus & homo; vere corpus assumpsit, quippe Verbum caro factum est.*

Novatianus in libro de Trinitate c. 16. sic explicat illa verba, *Verbum caro factum est:* ut sit *assumere hunc hominem qui est post omnem creaturam, & sic cum illo & in illo habitare in nobis, ut neque homo Christo subtrahatur, neque divinitas negetur.*

S. Epiphanius Hæresi 77. *Cum enim*, inquit, *ita loquitur* Joannes, *Verbum caro factum est, non sic accipi debet tanquam Verbum in carnem conversum fuerit, & ipsum caro fuerit, vel in carnem mutata sit divinitas. Verum cum divinitate propriam sibi humanitatem assumpsit.*

S. Ambrosius lib. de Incarn. c. 6. hæc verba Joannis, *Verbum caro factum*, explicat ex istis quæ statim subjicit Evangelista, *& habitavit in nobis*. Quatenus inquit S. Doctor, *illud Verbum quod carnem suscepit, hoc habitavit in nobis, hoc est in carne habitavit humana, & ideo Emmanuel dictus est, hoc est nobiscum Deus.*

Similiter S. Chrysostomus homil. 2. in Joan. *ut intelligas*, inquit, *ob id unum scriptum esse, factum est ne apparentem speciem suspiceris audi ut in sequentibus orationem suam repurgat, ac pravam illam suspicionem evertit. Quid enim subjicit? Et habitavit in nobis, tanquam sic te alloqueretur, vide ne quid absurdi suspiceris ex illa voce* factum est, *non enim mutationem illam immutabilis illius naturæ significavi, sed habitatio-*

nem

nem & commorationem. Porro & quod habitat non idem est cum eo quod habitatur, sed diversum.

S. Fulgentius lib. de Incarnat. cap. 10. *Verbum*, inquit, *dignatum est caro fieri, ut caro posset Verbi, hoc est Dei, nomine nuncupari.* Nam S. Joannes Damascenus manifeste eandem amplectitur interpretationem lib. 3. cap. 11. *Incarnari*, inquit, *est uniri carni, Verbum autem carnem fieri, idem est atque ipsam Verbi hypostasim sine ulla mutatione factam esse carnis hypostasim.*

Et diserte quidem Petrus Abælardus lib. 4. introd. *Cum dicitur*, inquit, *Deus fieri caro vel Deus homo esse, ut divina substantia humanæ sociari in personam unam intelligatur, non illa effici, cui sociatur. Sicut nec anima hominis caro fit, cui unitur, nec in ejus naturam convertitur,*

Ad comparationem vero in objectione adductam facilis est responsio; satis superque enim intelligitur aquam fieri vinum per conversionem cum impossibile sit Deum fieri hominem per conversionem. Sicut autem homo dicitur fieri sanus, non quia in sanitatem vertitur, sed quia sanitatem acquirit; sic Verbum dicitur caro factum esse, quia sibi carnis naturam univit. Diserta est præsenti argumento valde accommodata hæc regula quam tradit sanctus Cyrillus Alexand. in Dialogo de uno Christo adversus ejusmodi ineptias & comparationes: *Cum de Deo mentio fit* inquit, *si ab aliquo Verbum factus est dicatur, nonne imperitum ac valde impium est putare mutationem aliquam illa voce significari potius, quam alia quapiam interpretari ratione, ut ad eum prudenter sensum redigatur, qui quam maxime sit immutabili Dei naturæ congruens & consentaneus?*

Objicies celeberrimum illum S. Cyrilli Alexand. locum quem in suas partes trahebant Eutychiani in quo nempe dixerat in Christo esse unam naturam Dei Verbi incarnatam, in priore nimirum Epistola ad Successum. *Post unitionem* inquit S. Cyrillus, *non dividimus a se mutuo, neque in duos secamus filios illum qui unus est & individuus: sed unum dicimus filium, & quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Quod quidem confirmat exemplo sumpto ex unione corporis & animæ, quæ sint duæ naturæ, unum tamen facta unione constituunt hominem. In secunda ad Successum Epist. hoc idem dictum quod noverat ab Orientalibus improbatum, magno studio propugnat, *utroque manente*, inquit, *& intellecto in naturali proprietate, eo modo quem verbis explicare effarique non possumus, unitum Dei Verbum unam nobis ostendisse filii naturam, sed incarnatam.* Idem docet Epist. ad Acacium Melinitensem, *dum ea*, inquit, *ex quibus unus est & solus filius ac Dominus Jesus Christus cogitatione intelligentiaque concipimus, naturas duas unitas esse dicimus, post unitionem vero, tanquam sublata jam in duo partitione, unam esse credimus filii naturam, verum inhumanitati & incarnati.*

Respondeo Eutychianis non favere ejusmodi Cyrilli propositiones, quia non dicit simpliciter unam esse in Christo naturam post unionem, sed unam esse Verbi naturam *incarnatam*, hoc enim aperte docet duas esse naturas, alteram Verbi incarnati, alteram carnis a Verbo assumptæ. Ita verba Cyrilli exponunt S. Maximus martyr in expositione quarumdam vocum de Christo usurpari solitarum. Eulog Alexand. apud Photium cod. 230. Joannes Maxentius lib. contra Acephalos, Petrus Diaconus, lib. de Incarn. cap. 2. Maximus martyr in opusculo. Facundus Hermianensis lib. 6. pro defensione trium capitulorum, & ipse demum Cyrillus qui Epist. 2. ad Successum sic fidem suam ab adversariorum criminatione vindicat, *si enim cum unam diximus naturam, non statim adjunxissemus incarnatam forte probabilitate non careret eorum sermo; sed quoniam humanitatis perfectio & substantiæ nostræ manifestatio illata est per id quod dictum est,*

est, *Incarnati*, *desinant confidere super baculum arundineum*. Quibus præsuppositis nec minima in Cyrillum cadere potest erroris umbra & suspicio. Quapropter cum in Synodo Ephesina, cujus acta referuntur act. 1. Concilii Chalcedonensis, Eutyches nomine Cyrilli & sententia gloriaretur, eique dictum fuisset, ut quemadmodum ille sic ipse quoque confiteretur unam naturam Verbi incarnatam, noluit hanc confessionem edere. Quapropter doctrina S. Cyrilli super hoc negotio nedum hæretica censeri debet, quin potius a tribus Conciliis generalibus solemniter fuit approbata a Concilio Ephesino, cui partim præfuit ipse Cyrillus; a Concilio Chalcedonensi ubi Epistolæ ejusdem Cyrilli ad Nestorium referuntur ac laudantur; denique a Concilio quinto generali, quod ex eo potissimum scripta Theodoreti condemnavit, quia doctrinam S. Cyrilli ejusque anathematismos oppugnabat.

Instabis. Non tantum ait Cyrillus unam esse naturam, sed negat expresse, duas esse naturas; quid vero aliud docuit Eutyches?

Dist. ant. duas esse naturas divisas, separatas, C. duas naturas simpliciter, N. in hunc sensum intelligenda esse Cyrilli verba evincitur; 1. quia ipse ait Epist. 1. ad Succes. *non dividimus naturas a se mutuo* .... & Epist. ad Acacium, *tanquam sublata jam in duo partitione*, quæ ostendunt manifeste Cyrillum loqui de separatione non de distinctone 2. quia iis in locis scribit in Nestorium, qui naturas Christi non modo distinguebat sed & contendebat divisas ac seorsim subsistentes nullo proprie dicto ac substantivo nexu, sed & externo & improprie dicto copulatas. Quo fit ut Cyrillus dicat duas Christi naturas ita coaluisse, ut jam una sit natura Verbi incarnata; eo nempe sensu quod duæ non sint divisæ ac seorsim subsistentes, quod ambæ naturæ in unam hypostasim sint conjunctæ, hoc enim plane idem est ac naturam illam unam incarnatam asseverare.

Instabis. Ait S. Cyrillus eodem modo unam fieri naturam in Christo ex deitate & humanitate unitis; quomodo ex anima & corpore una fit natura humana, ita Epist. 2. ad Successum lib. de Incarn. cap. 7. dialogo de uno Cristo, &c. atqui non aliud profecto docebant Eutychiani: ergo.

Dist. ant. eodem modo quoad aliqua, C. eodem modo quoad omnia, N. scilicet in eo sita est comparatio quod sicut ex anima & corpore unitis fit unus homo; ita ex divinitate & humanitate resultat unus Christus, una Christi hypostasis: unde ad personam spectat comparatio illa non ad naturam, audiatur Cyrillus lib. de Incarn. cap. 7. *nam sicut*, inquit, *corpus alterius est naturæ præter animam unus tamen ex utroque homo efficitur & vocatur; ita etiam ex perfecta Dei Verbi subsistentia & humanitate perfecta, non est Christus*, qua quidem explicatione nihil clarius desiderari potest.

Instabis. Epist. jam citata quæ est 2. ad Successum, ait S. Cyrillus naturas post unitionem sola cogitatione esse distinctas: ergo unam realiter admittit naturam in Christo.

Dist. ant. distinctas distinctione sumpta pro divisione, separatione, C. distinctione sumpta pro negatione identitatis, N. scilicet affirmat Cyrillus ea esse per solam cogitationem distincta, quæ ita physice & realiter unita sunt, ut ex iis unum coaluerit suppositum, una persona, quia nempe quæ sunt tanto nexu conjuncta & non sunt divisa, cum sensibus percipiantur ut quid unum, sola cogitatione distinguuntur non sensibus; quæ tamen sunt diversæ naturæ realiter distinctæ. Atque in hunc plane sensum capienda esse Cyrilli verba, ex eo invicte colligitur, quod idem ibi docet de anima & corpore in homine, qui profecto realiter distincta esse & distinctas naturas censebat: *sit rursus*, inquit, *nobis in exemplum homo nostri similis. duas namque in eo naturas intelligimus*, *unam*

unam animæ, alteram corporis. Sed cum sola discreverimus intelligentia & differentiam subtili contemplatione seu mentis imaginatione conceperimus, non tamen seorsim ponimus naturas, neque illis in totum per divisionem virtutem immittimus, sed unius hominis esse intelligemus; ita ut illæ duæ jam non sint duo, sed utraque animal unum absolvatur. Scilicet in mente & loquendi modo plurimorum veterum, perfectiones vel accidentia quæ uni subjecto insunt nonnisi cogitatione distingui dicuntur, licet inter se discripent & sint maxime distincta; quia nempe distinctionem mentis opponunt ei quæ fit per sensus ceu divisioni, non distinctioni reali majori vel formali Scotisticæ; atque hinc colligitur quanta sit, ut monuimus in Tractatu de Attributis, eorum oscitantia qui existimant antiquos Patres nullam distinctionem præter mentalem admisisse inter attributa divina; eo quod dicant ea distingui solum cogitatione.

Instabis. Ob id damnatus est Eutyches, quod hanc Cyrilli sententiam amplecteretur & usurparet: ergo non erat orthodoxa.

Nego consequentiam, ratio autem discriminis est, qui Eutyches unam asserebat naturam in Christo etiam post unionem Verbi divini cum humanitate, duasque naturas vere & proprie distinctas nusquam agnoscere voluit; sed S. Cyrillus unam tantummodo contendebat in Christo naturam, incarnatam scilicet, eo sensu quod duæ naturæ non sunt discretæ, divisæ, sed unum efficiunt suppositum; una enim natura incarnata idem est in ejus mente ac una persona; quibus accedit S. Cyrillum erroris hac in parte, accusatum, quasi nempe unam in Christo admitteret naturam, fidem suam optime vindicavit, duasque professus est naturas vere distinctas; quod nunquam confiteri voluit Eutyches.

An Christus recte dicatur compositus.

Variæ hic proponuntur quæstiones circa Christi compositionem, sed in iis pertractandis diutius non immorabimur, poterit enim quivis illas clare ac nitide dissolvere, si a vera & genuina compositionis notione non recedat, & aliunde hujusce Mysterii fidem, qua unam in Christo personam & duas naturas profitemur, firmissime teneat.

Quæres 1. utrum Christus naturam unam habeat ex duabus compositam.

Respondeo Eutychianum esse asserere unam esse in Christo naturam ex duabus compositam. Siquidem ex duabus naturis perfectis & completis semel unitis non resultat una natura composita: sed natura divina & humana quæ in Christo uniuntur, sunt perfectæ; Christus enim est perfectus Deus & perfectus homo; igitur non resultat una natura composita ex humanitate & divinitate unitis in Christo. Quapropter Christus nomen est personæ non naturæ, & nulla est nec appellari potest natura, quæ nec divina sit nec humana; unde par non est ratio Christi ex natura divina & humana compositi, & hominis ex anima & corpore conflati; scilicet natura humana quæ ex corpore & anima resultat veri nominis natura est, sed nulla resultat natura ex divinitate & humanitate unitis. Quod si dicatur resultare unam naturam Verbi incarnatam, ut ait S. Cyrillus, respondemus unam Verbi incarnatam dicere, tantumdem esse ac Verbum carnem esse factum, aut Christum duas habere naturas Dei & hominis.

Quæres 2. utrum Christus recte dici possit compositus.

Respondeo 1. affirmative si sermo sit de compositione metaphysica, in Christo enim diversæ sunt perfectiones metaphysicæ, diversa attributa; de hac autem compositione nulla movetur quæstio inter Theologos.

Respondeo 2. Christum recte quoque

 dici

dici posse compositum physice; is enim compositus est physice, in quo sunt entitates phisice & realiter distinctæ; atqui n Christo sunt entitates physice & reaiter distinctæ, nimirum divinitas & humanitas, quæ quidem humanitas componitur ipsa ex anima & corpore realiter distinctis, & diversæ sunt entitates separabiles; ergo Christus dici debet compositus etiam physice.

Quærunt vero nonnulli, an persona Christi dici possit composita.

Respondeo affirmative. Siquidem persona duas habens naturas recte dicitur ex iis composita: atqui persona Christi duas habet naturas, divinam scilicet & humanam: ergo recte persona Christi dicitur composita. Quod si pertendas ad compositionem proprie dictam requiri ut partes ex se ordinentur ad totum componendum, uti corpus & anima in homine; respondeo ejuscemodi non esse in Christo compositionem, sed aliam tamen & veram esse admittendam, quatenus nempe reperitur unio duarum naturarum realiter distinctarum.

Quæres an Christus dici debeat non modo ex duabus naturis, sed etiam in duabus naturis.

Respondeo 1. hac fidei professione *Christum esse ex duabus naturis*, abusos aliquando fuisse Eutychianos, quasi ex eo solum colligi deberet duas fuisse in Christo naturas ante adunationem. quæ tamen in eo non remanent post unionem factam; sicut Eucharistia fit ex pane & vino, quæ non remanent post consecrationem; quo quidem effectum est, ut magna cum cautione Catholici Christum dicerent *in duabus naturis*, ut testatur Evagrius lib. 2. hist. c. 5. & Leontius de sectis cap. 8.

Respondeo 2. sufficere tamen ad fidem nostram hac in parte, si Christus dicatur ex duabus naturis; id enim intelligitur eo sensu quod sit ex iis compositus, adeoque ex iis inconfuse manentibus.

Quæres an Christus dici possit duæ naturæ, divina & humana.

Respondeo non admodum accuratam esse illam propositionem quanquam reperiatur apud Augustinum Enchir. cap. 38. & S. Leonem Epist. 25. quia nempe indicare videtur duas esse naturas per se subsistentes, duas personas, quod Nestorianum est, qua ex causa similis propositio damnata est inter alias Joannis Hus in Concilio Constantiensi.

Quæres an possit quoque dici Christus constare ex tribus naturis, nempe divinitate, anima & corpore.

Respondeo istum loquendi modum esse maxime verum & catholicum, quia tres illæ substantiæ insunt revera Christo, ut optime observavit Synodus Toletana XV. unde a multis autoribus usurpata videtur tanquam utilis adversus Apollinaristas qui animam esse in Christo negabant. At meo quidem judicio longe accuratius loquetur qui duas esse in Christo naturas affirmabat, quia hæc est fidei professio contra Eutychianos; cum aliunde anima & corpus quæ duæ sunt substantiæ, unam naturam, humanam scilicet, componant.

De unione hypostatica.

UT quæ ad unionem hypostaticam Verbi divini cum natura humana pertinent, clarius tractentur, nonnullas ea de re instituemus quæstiones, ad quarum elucidationem præmitto e re Theologorum esse, sic loqui in ista materia, ut dum naturas in Christo secernunt, unitati personæ sedulo consulant, quæ duo præcipua sunt in isto mysterio fidei capita.

Quæres 1. utrum unio tribui debeat Verbo.

Resp. affirmative, quia Verbum recte dicitur unitum naturæ humanæ, sicut natura humana dicitur unita Verbo; siquidem, ut ait S. Thomas, unio & assumptio in eo differunt, quod unio fundat eandem denominationem in utroque extremo, secus vero assumptio: unde Verbum dici non potest assumptum, re-

cte vero dici potest unitum. Deinde non magis repugnat Verbum dici unitum quam incarnatum; sed Verbum recte dicitur incarnatum, nec natura humana dici potest incarnata: ergo Verbum recte dicitur unitum naturæ humanæ.

Quæres 2. quid sit illa unio; an sit modus proprie dictus respectu Verbi divini.

Resp. unionem hypostaticam esse modum certum quo Verbum Dei est unitum formaliter naturæ humanæ, adeo ut Verbum & natura humana, una sint hypostasis, una persona, & quidem modus afficiens & Verbum & naturam humanam. Siquidem illud est modus respectu Verbi & naturæ humanæ, quo posito Verbum alio modo se habet ac antea ut & ipsa natura humana; atqui posita unione hypostatica Verbum alio modo se habet ac antea; est enim unitum quod antea non erat, videlicet ante unionem: tametsi per ejusmodi unionem non mutetur; quia nihil inde perfectionis acquirit: ergo alio modo se habet Verbum per unionem; adeoque unio hypostatica est verus modus, minime tamen perficiens Verbum; quia perfectio non est Verbo fieri hominem. Deinde vero si unio, quam ultro fatemur non esse entitatem, non est saltem aliquis modus, quid sibi volunt Catholici, cum hæreseos nota inurunt Nestorium, eo quod diceret illam unionem non esse physicam & substantialem, sed moralem tantum? Quomodo unio hypostatica erit unio physica, substantialis, nisi sit aliquid? Quid vero erit nisi sit modus, non est enim substantia, non est entitas.

Quæres 3. quomodo distinguatur ille modus tum a Verbo, tum a natura humana.

Resp. modum illum distingui ab utroque extremo ea distinctione quæ propria est juxta Philosophos cuilibet modo, distinctione scilicet modali quæ reperitur inter rem modificatam & modum, inter quæ non est mutua separabilitas; qua nempe tametsi res modificata possit existere sine modo, tamen modus existere nequit sine re modificata. Illa porro distinctio est actu & ante omnem mentis operam, ut per se patet; nemine enim cogitante unio distincta est a Verbo, unio non est Verbum, Verbum non est unio; neque tamen unio dici debet entitas Verbo vel naturæ humanæ superaddita; siquidem modus rei non est res, modus entitatis non est entitas; in quibus tractandis diutius non immorabor; nemo enim hic erraverit, qui paulo attentius ad veram terminorum notionem & intelligentiam voluerit mentem applicare. Consule quæ diximus, ubi de distinctione attributorum Dei in tractatu de Attributis.

Quæres 4. utrum unio hypostatica sit substantialis; atque itidem naturalis.

Respondeo affirmative quoad utrumque caput; ac primo quidem unio hypostatica est substantialis; nam unio per quam resultat unum aliquod compositum subsistens, cujus duo extrema non moraliter tantum sed physice conjunguntur, dubio procul dici debet substantialis: atqui ejuscemodi est unio hypostatica Verbi divini cum natura humana; per eam enim resultat unum totum, unum suppositum; Deus enim & homo in Christo sunt unum suppositum; tum vero duo extrema unita, nempe Verbum Dei & natura humana non morali tantum amicitiæ aut gratiæ consociatione, sed vero & physico nexu conjunguntur: in eo enim precise errabat Nestorius, quod duo admitteret in Christo, Deum & hominem, quos unione morali tantum, adeoque accidentali, non substantiali conjunctos esse doceret: quemadmodum duo conjuges, vel templum & inhabitator templi uniuntur moraliter tantum & accidentaliter, non unione substantiali: ergo unio hypostatica in Christo dici debet substantialis.

Secundo eadem unio dici debet naturalis, prout nempe naturale idem est ac reale & physicum, opponiturque morali & accidentali, ad sensum mox adductum, ut

ut nempe salva teneatur fides contra Nestorium: sed illa unio naturalis non est, prout naturale opponitur supernaturali, ut per se patet.

Quæres 5. utrum unio hypostatica facta sit in natura vel in persona Verbi divini.

Respondeo 1. sensum hujus quæstionis non esse, utrum natura divina unita fuerit humanæ; nemo enim negaverit unionem factam esse inter duas naturas, naturam divinam unitam esse naturæ humanæ, sed quæstio est utrum unio facta fuerit immediate in natura vel in Verbo, tanquam in termino proximo, & immediato unionis hypostaticæ.

Respondeo 2. unionem hypostaticam non esse factam in natura divina sed in Verbo. Primo, non est facta in natura divina, quia si unio facta esset immediate in natura, si unio hypostatica esset immediate conjunctio duarum naturarum, divinæ & humanæ, non minus incarnati essent Pater & Spiritus sanctus, quam Filius; siquidem natura divina quæ esset proximus & immediatus unionis terminus, non magis ad filium quam ad Patrem & Spiritum sanctum pertinet; atqui hæreticum est affirmare Patrem fuisse incarnatum, ut definitum est adversus Sabellianos, Eutychianos & Theopaschitas: ergo unio facta non est in natura. Adde quod, si unio diceretur facta in natura, ex natura divina & humana unitis una diceretur esse natura per compositionem, sicut una resultat natura hominis ex anima & corpore unitis, quod manifeste Eutychianum est: contra vero, si unio dicatur facta in persona, non ideo una erit natura, sed unum suppositum in se habens duas naturas, quod maxime catholicum est: igitur unio hypostatica facta est in Verbo, non in natura divina.

Secundo, unio hypostatica facta est immediate in persona Verbi; cum enim illa unio non sit moralis & accidentalis, sed substantialis, immediate terminari debet vel ad naturam ipsam, vel ad subsistentiam: sed, ut modo ostendimus, non terminatur ad naturam: ergo unio hypostatica facta est in persona, quod ipsum his verbis definivit Concilium quintum generale can. 3. *Si quis non confitetur unitatem Verbi ad carnem animatam anima rationali secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt, anathema sit.*

Quæres sexto, quandonam facta fuerit unio hypostatica Verbi cum natura humana num aliquo temporis intervallo natura humana prius extiterit, quam Verbo uniretur.

Respondeo hoc primo instanti factam fuisse unionem hypostaticam, in quo existere cœpit natura humana in utero B. Virginis, quæ quidem doctrina ab omnibus & singulis Patribus consensu plane unanimi tradita fuit, & ab iis præsertim qui scripsere adversus Paulum Samosatenum, Photinum, vel etiam Nestorium, qui dicebant Christum fuisse prius hominem, quam fieret Deus.

Ita S. Athanasius qui lib. de Incarnat. sic habet, *Carnis adunatio cum divinitate Verbi ex utero facta est. Inde enim Verbum illam excitavit, adveniens e cœlo, non quidem ejusmodi, ut ante Verbi adventum extiterit.*

S. Epiphanius hæresi 77. *Ne qui fortasse crederent*, inquit, *quod primus extiterit homo, & venit Christus in hominem, ob idque divinum Evangelium primo loco posuisse Verbum, deinde professum esse carnem, quoniam Verbum caro factum est, non enim dixit, caro Verbum facta est, ut ostenderet primum Verbum e cœlo venisse, & in seipsum carnem subsistentem formasse ex utero sanctæ Virginis, atque omnem in se se perfecte naturam hominis expressisse.*

S. Augustin. in Enchiridio cap. 26. *Nunquid antea*, inquit, *fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, ut singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud esse homo quam Dei filius.* Et lib. de corrept. & gratia cap. 11. *Deus ergo*, inquit, *naturam*

ram nostram, *idest*, *animam rationalem*, *carnemque hominis Christus suscepit susceptione singulariter mirabili*, *vel mirabiliter singulari*, *ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis filius Dei sic esset ab initio*, *quo esse homo cœpisset*, *ut ipse & Verbum*, *quod sine initio est*, *una persona esset*.

S. Cyrillus Alexandrinus in Epist. 11. ad Nestorium: *Non enim*, inquit, *primum homo genitus est communis e sancta Virgine*, *atque ita demum Verbum in eum est illapsum*, *sed ex ipso utero copulatum carnalem generationem sustinuisse dicitur*.

Cassianus lib. 2. de Incarnat. cap. 7. *Quia Christus*, inquit, *totum erat quod Deus*, *omnis in ipsa statim hominis conceptione Dei virtus; omnis divinitatis venit plenitudo*. *Inde enim illi omnis divinitatis perfectio*, *unde & origo*. *Neque enim unquam sine Deo fuerat homo ille*, *qui utique hoc ipsum quod erat*, *a Deo ceperat*.

Theodoretus in dialogo 11. *Porro*, inquit, *si ne punctum quidem temporis interpositum est inter assumptionem carnis & unitionem*, *nec assumpta natura ante assumptionem & unitionem existebat*, *sequitur eandem rem significare vocabula ista incarnationis & unitionis*, *tum unam naturam fuisse ante unitionem sive incarnationem*.

Gelasius Papa idem docet initio libri de duabus naturis his verbis, *Ut utriusque naturæ ineffabiliter unitio*, *ab ipso suæ conceptionis exortu mirabiliter ac potenter existeret*, *nec in sancta Mariæ prorsus internis istius Sacramenti quidquam vel præcesserit*, *vel post secutum fuerit institutum*, *sed hujus magis simul effectum mysterii conceptus iste prævenerit*, *nec illic aliqua præveniente substantia perfectio unitionis accesserit*, *sed ab unitione perfecta potius utriusque substantiæ fuerit inchoatum*.

S. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum cap. 18. *Firmissime tene*, *& nullatenus dubites*, *non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis; priusquam susciperetur a Verbo*, *sed ipsum Verbum suæ carnis acceptione conceptum ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam*.

Leo Magnus serm. 8. de Natali Domini. *Partum*, inquit, *B. Virginis integre cogitemus ut carni animæque conceptæ virtutem Verbi nullo temporis puncto defuisse credamus*, *nec prius formatum atque animatum templum Corporis Christi*, *quod sibi superveniens vindicaret habitator*, *sed ipsum*, *& in ipso*, *novo homini datum esse principium*.

Gregorius item Magnus lib. 18. Moral. cap. 17. *Non purus homo conceptus*, inquit, *atque editus post meritum*, *ut Deus esset accepit*. *Sed nunciante Angelo*, *& adveniente Spiritu*, *mox Verbum in utero*, *mox intra uterum Verbum caro*. Quod idem alii omnes & singuli Patres docent, nulloque penitus excepto.

Appendix de communicatione idiomatum.

De communicatione idiomatum non obiter & perfunctorie, sed dedita opera tractamus, ut Theologiæ studiosis omne auferamus errandi periculum in examine & judicio ferendo circa innumeras propositiones quas in hac materia usurpare solent Theologi.

Ac primo quidem hanc communicationem idiomatum, quæ nihil aliud est quam mutua de se prædicatio utriusque Christi naturæ, manifeste constat in iis fundatam esse Scripturæ testimoniis, quæ eundem Christum esse testantur qui sit Verbum & homo, filius Dei & filius hominis, qui e cœlo venit, & in cœlum rediit, uno verbo quæ unitatem personæ in Christo probant, e quibus sequitur contraria plane de eodem prædicari merito posse.

Secundo & illam communicationem idiomatum non esse purum Theologiæ Scholasticæ fœtum, sed satis frequenter usurpatam ab antiquis Patribus juvat observare. Sic v. g. Origenes in Epist. ad Romanos, *Per indissolubilem*, inquit, *unitatem Verbi & carnis*, *omnia quæ carnis sunt*, *ascribuntur & Verbo*, *quomodo*

& quæ

& quæ Verbi sunt, prædicantur in carne. S. Gregorius Nyssenus in Epistola ad Theophylum, *Propter exactam*, ait, *unionem assumptæ carnis, & assumentis divinitatis, mutuo transferuntur vocabula, ut & humanum ex divino, & divinum ex humano dominetur*. Theodoretus ait dialogo tertio, *anitionem communia facere nomina*. Maximus disputatione cum Pyrrho communionem idiomatum fieri ait, *quando illa quæ utrivis Christi parti naturaliter competunt, vicissim alterius propria redduntur propter inexplicabilem unitionem, nulla unius in alteram, secundum naturalem rationem, mutatione confusioneque facta*. Quam profecto doctrinam frequentissime tradunt Cyrillus, Fulgentius, Vigilius & alii qui de Incarnatione adversus Nestorium vel Eutychen scripserunt.

Tertio annotandum venit, morem esse jampridem usitatum apud Theologos, ut quamplures variasque statuant regulas, ut veram hujus idiomatum communicationis notionem & naturam dilucidius tradant; duodecim proponit Petavius lib. 4. de Incarn. cap. 16. alii sex tantum producunt, pauciores alii; sed, meo quidem judicio, ejuscemodi regulas, quæ pro multitudine confusionem pariunt, adhibere omnino supervacaneum est; quippe sufficit, ut puto, si perfecte intelligatur accurata definitio communicationis idiomatum.

Communicatio idiomatum *est mutua de se prædicatio duarum Christi naturarum vel utriusque proprietatum facta in concreto*, ut cum dicitur v. g. *Deus est homo*, *homo est Deus*, vel *impassibilis passus est*, *natus in tempore æternus est*.

Dicitur 1. *prædicatio* naturarum vel proprietatum, non autem dicitur *Communio*, ut intelligatur ad communicationem idiomatum non requiri, ut attributa unius naturæ formaliter communicentur alteri, in quo quidem turpiter hallucinati sunt nostri temporis Ubiquistæ, omnia affirmantes divinitatis attributa non Christo solum, sed & ipsi humanitati communicata fuisse per quandam veluti transfusionem; ita ut humanitas ipsa, seu, quod idem est, Christus quatenus homo sit ubique, sit æternus, sit omnipotens, &c. quod est plane erroneum, quippe quod manifeste Eutychianismum redolet, qui naturas, earumdemque proprietates confundit; quapropter communicatio idiomatum non est communio eorumdem attributorum utrique naturæ, sed mutua *prædicatio* & naturarum & proprietatum utriusque naturæ de se invicem.

Dicitur 2. *Duarum Christi naturarum* ut intelligatur per communicationem idiomatum unam naturam de altera prædicari mutuo & reciproce, non vero totum de alterutra natura; unde recte quidem dicitur *Deus est homo*, & vicissim *homo est Deus*; sed licet dici possit *Christus est Deus*, vel *Christus est homo*, tamen dici non potest vicissim *Deus est Christus*, vel *homo est Christus*.

Additur 3. *Vel utriusque naturæ proprietatum*, quia qua ratione una natura de altera prædicari potest & dici potest *Deus est homo*, *homo est Deus*, eadem & proprietates unius naturæ prædicari potest de proprietate alterius; unde recte dici potest, *æternus est natus*, *natus æternus est*, quia utraque appellationum communio eodem nititur fundamento, quod modo sumus expósituri, videlicet unitate suppositi.

Dicitur 4. *Facta in concreto*, quia communicatio idiomatum habere locum non potest, si prædicatio fiat in terminis abstractis; unde dici non potest *divinitas est humanitas*, vel *humanitas est divinitas*, sed dici debet *Deus est homo*, *homo est Deus*.

Atque id præcipuum est totius hujusce de communicatione idiomatum doctrinæ fundamentum, scilicet non potest fieri mutua prædicatio duarum naturarum de se invicem, nisi propter unitatem suppositi, in quo sunt duæ illæ naturæ; siquidem una natura non potest formaliter esse altera, unde ut prædicentur de

se

se invicem, debent eo termino exprimi qui includat suppositum de quo fit prædicatio; sic enim una natura non intelligitur prædicari de alia, sed de subjecto seu supposito cui reipsa conveniunt; at omne concretum, ut per se patet, significat in recto suppositum ceu subjectum formarum quas exprimit; quamobrem in hoc Incarnationis mysterio, in quo quidem duæ naturæ reperiuntur substantialiter unitæ in eodem supposito; debent nomina significantia illas naturas; exprimi termino concreto; ut nempe indicetur non quidem naturas identificari, sed ad idem suppositum pertinere: unde cum dicitur *Deus est homo*, sensus est idem suppositum quod termino concreto *Deus* significatur esse quoque hominem, hoc est, idem suppositum habere divinitatem simul & humanitatem, juxta istud axioma logicum, *subjecta concreta propositionem supponunt materialiter*. Quod quidem intelligitur etiam de concretis adjectivis: nam album v.g. sonat in recto, non albedinem, sed eum qui est subjectum albedinis; ex quibus.

Collige primo falsas esse propositiones, quando fit reduplicatio super subjectum; quia cum fit reduplicatio attenditur ad naturam ceu formam, non ad suppositum; v. g. falsa est ista propositio *Christus quatenus homo, est Deus*, quia propter reduplicationem attenditur ad naturam humanam, quæ non potest esse ratio formalis cur Christus sit Deus; idemque est, ac si prædicatio fieret in abstracto.

Nec est quod dicas aliquas actiones Christo etiam ut Deo reduplicative tribui posse, ut mereri & satisfacere; dicitur enim Christus ut Deus mereri, ut Deus satisfacere, tametsi mereri & satisfacere sint actiones humanitatis. Respondetur facile ejusmodi attributa esse hominis simpliciter, neque Dei simpliciter, sed Christo convenire cum reduplicatione utriusque naturæ simul junctæ; Christus enim non dicitur mereri & satisfacere simpliciter, in quantum homo nec simpliciter in quantum Deus, sed in quantum homo simul & Deus; quapropter triplex attributorum genus distinguitur in Christo, alia quæ ipsi conveniunt ratione solius divinitatis, alia quæ ratione solius humanitatis, alia vero quæ ratione utriusque naturæ; de isto autem tertio actionum genere si agatur mirum non est quod propositiones fieri possint cum reduplicatione, siquidem pertinent ad utramque naturam.

Collige 2. Subjectum illarum propositionum quæ catholicæ sunt, *Deus est homo*, *homo est Deus*, primo & directe significare personam non naturam; unde sensus istius propositionis *Deus est homo* est, Deum Verbum esse hominem, non autem Deum Patrem vel Deum Spiritum sanctum, scilicet *concreta propositionum supponunt materialiter non formaliter*, sed natura est veluti forma & persona veluti subjectum materiale.

Cæterum cum innumeræ propemodum & variæ proferri possint hac in materia propositiones ambiguæ, de quarum sensu suboriri queat aliquis scrupulus; illud unum apprime observandum est, ut nulla efferatur propositio, quæ tametsi vera in rigore metaphysico, tamen ob usitatos Hæreticorum loquendi modos, possit ab iis in malam partem accipi.

Hinc Christus ut homo dici non debet *deifer* θεοφόρος, *deificatus*, *dominicus*, *divinus*, licet ista nonnulli e sanctis Patribus aliquando usurpaverint; quia nimirum favent aperte Nestorianis, quippe quæ adjective sumpta prædicantur de Christo ut homine; quasi esset in eo persona humana; unde August. hæc scribit lib. 1. retract. c. 19. *Non video utrum recte dicatur homo dominicus, cum sit utique Dominus. Et hoc quidem ut dicerem apud quosdam legi tractatores Catholicos; sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem, postea vidi non esse dicendum.*

Hinc etiam exulare debent istæ propositiones *Christus est creatura*, *Verbum est crea-*

creatura, *Christus incepit esse*, *Verbum incepit esse*, quantumvis propter communicationem idiomatum in rigore Theologico veræ sint, atque etiam frequenter a nonnullis Patribus usurpatæ; quia nempe eas in sensum hæreticum trahunt passim Ariani; unde proferri non debent simpliciter, sed cum addito, ita ut verbi gratia Christus dicatur creatura secundum naturam assumptam, non simpliciter & sine addito, ne sub omni respectu creatura dici censeatur. Neque urgeri debet verissimam esse istam propositionem *Verbum est natum de Maria Virgine*, ac proinde eadem ratione istam *Verbum incepit esse* non esse rejiciendam, cum aliunde eundem plane sensum ambæ præ se ferant; siquidem non male sonat prior propositio quæ manifeste intelligitur de nativitate Verbi ratione naturæ humanæ assumptæ; male autem sonat posterior, in qua Verbum absolute asseritur incepisse, ut docent Ariani.

Hinc denique sequitur veram esse hanc propositionem & usurpandam *Deus factus est homo*, Joannis enim 1. cap. *Verbum caro factum est*: neque tamen vice versa istam *homo factus est Deus*. Ne inducere videamur humanam in Christo personam quæ incarnationem præextiterit, ut sonat propositio: quantumvis a nonnullis Patribus cum Græcis tum Latinis fuerit usitata, ut constat ex S. Ambros. lib. 1. de Virginitate, S. Aug. lib. de Prædest. SS. cap. 1. siquidem in iis circunstantiis eam loquendi rationem usurparunt illi Patres, in quibus nulla suberat erroris Nestoriani suspicio; postulant vero leges prudentiæ, ut omnis tollatur æquivocatio, & vel a minima erroris specie sedulo caveant Theologi.

Utrum ex communicatione idiomatum immensitas competat humanæ Christi naturæ.

Eo insaniæ devenerunt Lutherus & nonnulli ex ejus asseclis, ut tanquam certum statuerint non omnes quidem sed plurimas tamen Dei proprietates cum humana natura in Christo communicatas; ita non earum solummodo appellationem sed & effectum formalem susceperit natura humana, quod quidem imprimis affirmant de immensitate Dei, existimantes humanam Christi naturam ubique esse proprie, per se, & formaliter, eo ipso quod a Verbo divino quod ubique est, assumpta fuit, eique hypostatice unita: qua ex causa Ubiquistæ appellari solent.

Observat Petavius lib. 10. cap. 7. hoc *ubiquitatis* vocabulum, velut sibi contumeliosum in colloquio cum Palatinis Sacramentariis habito repudiasse, & pro eo *majestatis* nomen usurpari maluisse, & sciscitantibus Palatinis, quodnam extaret in Scripturis testimonium ex quo probari posset *majestas hominis Christi*, *qua omnibus in locis rebus administrandis adesset*; responderunt, *his quidem verbis in Scriptura non reperiri hanc propositionem*, *humanitas Christi est ubique præsens*, *sententiam autem horum verborum illustribus & perspicuis Scripturæ testimoniis demonstrari posse*. Ad hanc autem ubiquitatis fabulam funditus evertendam sit.

CONCLUSIO.

Per unionem hypostaticam immensitas divina non est communicata naturæ humanæ; ita ut illi vere & proprie competat, illamque formaliter afficiat.

Probatur 1. ex Scripturis quæ hominem in Christo Domino per se ex natura sua circumscriptum, certo loco addictum, & non ubique præsentem manifeste docent; ibi enim v. g. Christus dicitur

citur natus in præsepio, fugisse in Ægyptum, in templo sedens cum Doctoribus; quando Evangelium prædicavit, modo erat in uno, modo in alio loco, quo tempore mortuus est Lazarus, Jesus aberat ab eo loco, ubi erat ille mortuus. *Gaudeo*, inquit Joan. 12. *propter vos ut credatis quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum*, unde Martha ibidem, *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Iterum Angelus Marci cap. 16. ait, *surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum*. Quæ quidem & similia, quæ prope innumera reperias in Scripturis, haud dubie indicant Christum non ubique fuisse, quandiu vixit sed in certo ac definito loco comprehensum.

Quibus adjungi merito possunt illa Scripturæ loca, ubi duæ asseruntur in Christo naturæ quæ suas certe sibi proprietates vindicant, qua enim ratione Christus est Deus, eadem est immensus & ubique; ex eo autem quod homo est, ea tenus certo in spatio finito & limitato continetur; ac proinde inepta est illa ubiquitatis doctrina.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui nullo excepto hunc errorem condemnarunt; seu cum immensitatem soli Deo astruunt; seu cum humanam Christi naturam certo loco addictam passim prædicant, ex innumeris eorum testimoniis quædam duntaxat selectoria proferam, ne in re alioquin parum necessaria tædio sim lectoribus, cætera legi possunt apud Petavium loco mox citato. S. Athanasius orat. de Incarnatione Verbi scribit, *non fuisse circumclusum corpore Verbum, nec in eo sic fuisse ut alibi non esset*. Et apud Theodoretum in dialogo 2. hæc Davidis verba in Psalmo 109. *sede a dextris meis*, explicat de Corpore Christi, negat vero ea intelligi posse de Deo, ipso, *nam*, inquit, *si ut loquitur Jeremias, Deus omnia continet, cœlum & terram ego impleo, quoniam in throno sedebit? itaque corpus est cui dicit, sede a dextris meis*.

S. Gregorius Nazianzenus in priore Epistola ad Cledonium ait eunde Christum *patibilem carne, impatibilem divinitate; corpore circumscriptum, incircumscriptum spiritu; eundem terrenum & cœlestem, visibilem & intelligibilem; comprehensibilem & incomprehensibilem*.

S. Hilarius lib. 10. de Trinitate probat dedita opera de divinitate non de carne intelligendum, quod ait Christus in cœlo se esse, *quod autem in cœlis est*, inquit, *naturæ semper manentis potestas est quæ initiata conditaque per se carne, non se ex infinitatis suæ virtute intra regionem definiti corporis coarctavit, spiritus virtute, ac Verbi Dei potestate, in forma servi manens, ab omni intra extraque cœli mundique circulos, cœli ac mundi Dominus non absuit*.

S. Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. in eundem finem hæc scribit, *Neque enim Deus de loco ad locum transit, qui ubique semper est. Ut homo est qui vadit, ipse qui venit. Denique & alibi dicit, surgite eamus hinc, in eo ergo vadit & venit, quod est commune nobiscum*.

S. Augustinus Epist. 57. hæc Christi Domini verba e Lucæ 23. *hodie mecum eris in paradiso* exponit, *non secundum id quod homo erat, sed secundum id quod Deus erat; homo quippe Christus*, inquit, *ille idem secundum carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat, Deus vero idem ipse Christus ubique semper est... secundum hominem namque in terra erat, non in cœlo ubi nunc est quando dicebat, nemo ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo, quamvis secundum id quod filius Dei erat, esset in cœlo, secundum id vero quod filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondumque ascendisset in cœlum*.

S. Chrysostomus homil. in quatriduanum Lazarum exponens illa Marthæ verba ad Christum, *Domine, si fuisses hic, infirma es o mulier*, inquit, *nescit modo mulier, Christum etiam corpore minime præsentem divinitatis adesse po-*

tentia, sed præsentia corporis vim præceptoris metitur.

Theodoretus dialogo 2. *Corpus Dominicum, incorruptibile quidem resurrexit, impatibile & immortale, ac divina majestate glorificatum & a cœlestibus adoratur virtutibus, sed nihilominus est Corpus priorem habens circumscriptionem.*

Et similiter S. Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 17. *Filius Dei tam autoritate divina quam SS. Patrum fideli veracique sententia secundum divinam naturam infinitus, immensusque probatur ubique præsens, omnia replens... quia vero idem filius Dei verus Deus natus de Deo Patre, verus homo pro nobis factus est ex homine, quæ fuerunt veræ divinitatis non amisit, & quæ sunt veræ humanitatis accepit. Unus idemque secundum carnem de matre temporaliter natus, qui secundum divinitatem de Patre permanet sempiternus, unus idemque homo localis ex homine qui est Deus immensus ex Patre, unus idemque secundum humanam substantiam absens cælo, cum esset in terra, & derelinquens terram, cum ascendisset in cœlum, secundum ascendisset in cœlum, secundum divinam vero immensamque substantiam nec cœlum dimittens, cum de cœlo descendit.* Quibus verbis nihil omnino ad evertendam Ubiquistarum fabulam clarius & illustrius desiderari potest.

Probatur etiam hæc catholica doctrina autoritate Conciliorum. Ac 1. proferri jure potest Concilium Chalcedonense, quod, uti jam observavimus, firmum censetur præbere argumentum adversus ubiquitatem humanæ Christi naturæ; quatenus adversus Eutychianos statuit duas esse in Christo naturas, quæ ambæ sint perfectæ, duæ inconfuse incommutabiliter, hoc est cum suis ac propriis dotibus; ita ut Christus quatenus Deus, sit Patri æterno consubstantialis, adeoque immensus & ubique præsens; & quatenus homo, sit nobis consubstantialis, proindeque certo loco & spatio affixus.

2. Et magis memorabile est quod legimus factum in Synodo septima generali act. 6. ubi cum lecta fuisset definitio Iconoclastarum his verbis; *Si quis incircumscriptam Dei Verbi substantiam & hypostasim, eo quod incarnata sit, studuerit materialibus coloribus, in imaginibus humana forma circumscribere, & non potius Deum ipsum profitetur, ut qui nihilominus post Incarnationem sit circumscriptus, anathema sit.* In hoc Hereticorum decretum sic insurgunt Patres Nicæni, & statuunt *illos esse deceptos, qui incircumscriptam divini Verbi naturam, cum circumscripta carne ab eo ab sumpta confuderint.*

Probatur demum rationibus nonnullis.

Prima est, quia nulla est ratio cur Lutherani velint unam potius quam aliam Dei proprietatem communicari formaliter humanæ Christi naturæ; eadem enim est ratio & natura cujuslibet attributi; unde si immensitas communicari potest, poterit quoque communicari æternitas; vel contra si absolute impossibile sit æternitatem Dei v. g. formaliter afficere naturam humanam Christi, idem quoque affirmari debet de immensitate: sed ultro fatentur Lutherani singula Dei attributa formaliter communicari non posse humanæ Christi naturæ, hanc enim communicationem idiomatum quam impugnamus, non admittunt ipsi nisi quoad omniscientiam, omnipotentiam, & immensitatem; fatentur Christum, quatenus homo est, non esse æternum, independentem, &c. igitur nulla omnino ex divinis proprietatibus formaliter communicari potest humanæ Christi naturæ, ita ut non ratione prædicationis cujusdam tantum ipsi competat, sed formaliter illam afficiat.

Secunda ratio est, quia manent in Christo post unionem hypostaticam duæ naturæ veræ ac proprie inter se distinctæ; quælibet ex illis perfecta est, & suas vindicans proprietates; unde tametsi Verbum sit unitum humanæ naturæ, suas proprias affectiones non amittit, manet semper æternum, infinitum, immen-

mensum, &c. igitur & humana Christi natura suas servare debet proprietates, ac proinde tametsi unita Verbo, remanet finita, certo spatio addicta, nec dici potest immensa.

Objicies. Deus est immensus, & ubique præsens; sed homo in Christo Deus est: igitur homo in Christo est omnipotens, & ubique præsens; ita Ubiquistæ qui fatentur naturam non commutatam esse in divinam, sed naturam humanam divinam duntaxat suas proprietates communicare; hinc sequitur, ut aiunt, alio modo hominem Christum sapientem, justum, omnipotentem, & ubique præsentem dici; quam Deum ipsum. Siquidem in Deo hæc commemorata omnia natura sunt, in homine autem Christo non essentia sed donum.

Dist. min. Homo in Christo Deus est per unionem cum supposito divino, & talis prædicari potest propter unitatem suppositi, C. per formalem communicationem divinitatis, ejusque proprietatem, N. Unde ad consequentiam idem dicendum, scilicet, homo in Christo est omnipotens & immensus, quatenus Deus est & propter suppositum divinum; non autem quatenus homo est, & ratione ipsius naturæ humanæ. Solutio patet ex dictis supra, cum abunde satis explicuimus communicationem idiomatum.

Quod hic addunt Ubiquistæ ultro fateri se hominem Christum non eo modo omnipotentem esse & immensum, quo Deus ipse immensus est & omnipotens; quoniam Deus ex seipso, & ab omni æternitate illa possidet, homo vero gratuito quodam munere & in tempore idem obtinuit.

Hoc certe ab omni ratione alienum est; vel enim illam minorem & participatam immensitatem, quam ajunt communicatam naturæ humanæ, creatam esse intelligunt vel increatam. Si dicant illam immensitatem esse creatam, turpiter sane hallucinantur; non enim ulla esse potest creata immensitas, uti nec ulla æternitas creata, & præterea quæstio hic non est de creata quadam immensitate, sed de ipsa immensitate Verbi divini, an per unionem hypostaticam communicata fuerit formaliter humanæ naturæ. Si dicant illam immensitatem esse increatam, igitur admittunt attributa divina increata alia aliis majora, quod plane stolidum & impium est.

Objiciunt Ubiquistæ. Cui omnia data sunt, huic nihil denegatum est: sed Christo homini omnia data sunt ex Scripturis: nihil ergo illi denegatum est a Deo. Cum igitur, inquiunt, inter cæteras partes majestatis, hæc quoque non sit postrema, ut pro ratione & natura dexteræ Dei ubique præsens sit, sequitur eam Christo homini non negatam, sed vere etiam communicatam esse.

Dist. min. Omnia data sunt Christo homini; ita ut ipsi Christo competant ratione unionis hypostaticæ & propter suppositum, C. quasi quæ sunt propria divinitatis humanitati insint, eamque formaliter afficiant, N. Quamobrem Christus dicitur sedere ad dexteram Dei ratione suppositi, non ratione naturæ humanæ præcise, quatenus nimirum natura humana Christi unita est Verbo divino, cujus est sedere ad dexteram Patris; ipsa tamen humanitas hoc sibi non vindicat, quasi Deo sit æqualis.

Objicies. Quando duo uniuntur intime, physice, eorum unum non potest esse sine alio: sed divinitas & humanitas uniuntur intime & physice in Christo, ergo nullibi est divinitas sine humanitate: ac proinde humanitas ubique est, uti & ipsa divinitas.

Nego maj. Ejusmodi enim propositio generalis locum habere non potest nisi inter ea quæ identificantur, & falsum est ex iis quæ uniuntur, unum latius non patere quam aliud; nam quodlibet hominis membrum v. g. unitur intime & physice animæ rationali tamen anima latius patet quolibet membro, quandoquidem anima est in qualibet corporis parte; oculus v. g. non est ubicunque est anima, licet ipsi physice & intime uniatur; ac proinde tametsi per unionem hypostaticam Verbum divinum & natura humana intime

time & nexu arctissimo uniantur, minime sequitur naturam humanam ubique esse, uti & Verbum ipsum Dei.

De duabus Christi naturis separatim consideratis.

POstquam ostendimus adversus Eutychianos duas esse in Christo naturas, divinam & humanam, easque perfectas inconfuse & incommutabiliter; superest ut de iis quæ privatim unicuique competunt, paulo fusius disseramus. Ac primum quæ de Divinitate dicamus jam nulla suppetunt hoc loco; quæ enim ad illam pertinent, ea dudum omnia exhausta sunt in Tractatu quem de Christi divinitate exaravimus Tom. 2. qui est de SS. Trinitate: quapropter restat ut de iis quæ ad naturam humanam spectant, pro ratione instituti nostri disputemus. Cum autem duæ sint præcipuæ partes naturæ humanæ, corpus nempe humanum & anima rationalis, de utraque parte, & de iis quæ ad ipsas pertinent, sigillatim agendum est.

Circa humanum Christi corpus nonnulla quæruntur. Primo, an Verbum Dei assumpserit verum corpus nostro consubstantiale, veram carnem, non phantasticam.

Secundo, an corpus Christi fuerit passibile.

Tertio; an Verbum Dei immediate assumpserit sanguinem, eique fuerit hypostatice unitum.

Quarto, utrum in triduo mortis unio hypostatica Verbi cum carne Christi defierit.

Quinto demum, an Christus fuerit corpore formosus.

An Verbum Dei assumpserit verum vel phantasticum corpus.

AB ipsis Apostolorum temporibus, & in quovis deinceps Ecclesiæ sæculo exstiterunt Hæretici, qui fictam duntaxat & umbratilem fuisse in Christo carnem contenderunt; ita videlicet Simon Magus, tum ejus discipulus Saturninus, vel Saturnilus, Basilides, Valentinus; Cerdo, Marcion, atque omnium pestilentissimus Manes sive Manichæus, qui teste Augustino lib. de hæres. cap. 46. volebat *Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora, liberandas: nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse; ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur.*

His ascribi possunt Priscillianistæ, qui referente S. Leone Epist. 93. *Chistum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quandam illusionem ostentata videri volunt quæ vera non fuerint, sequentes dogma Cerdonis atque Marcionis, & cognatis suis Manichæis per omnia concordantes.*

Ad quam denique classem revocari merito possunt Eutychiani, qui quidem, ut supra observavimus, Christum dicebant purum Deum, non vere hominem; ita ut vel id quod in Christo erat aspectabile, divinum esset, vel ipsa divinitas; in quem sensum verisimiliter eos diximus suum perversum dogma propugnasse de unica in Christo natura. Itaque sit in omnes istos hæreticos.

CONCLUSIO.

Verbum Dei, non aereum, non phantasticum, sed verum corpus, veram, non phantasticam carnem assumpsit.

Probatur ex Scripturis, quæ singulis ferme paginis tradunt, seu Christi ortum & genealogiam exhibeant, Matthæi 1. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est Jesus qui vocatur Christus.* Rom. 1. *qui factus est ei ex semine David secundum carnem:* Seu carnem nominatim in Christo prædicent, Joan. 1. *Verbum caro factum est.* 1. Joan. 4. *In hoc cognoscitur Spiritus Dei; omnis spiritus qui confitetur Christum in carne venisse ex Deo est.* Lucæ 22. *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa*

ossa non habet, sicut me videtis habere, & cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Hebræorum 2 *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem:* Seu Christum simpliciter dicunt hominem, Joan. 8. *Nunc quæritis me interficere hominem*. Act. 2. Petrus Judæos alloquens vocat Jesum *virum approbatum a Deo*. 1. ad Timoth. 2. *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus:* Seu denique vitam Christi integram exhibeant, quem videlicet docent natum in infirmitate in cunis vagientem, octavo die circumcisum, fugientem in Ægyptum; esurientem, fatigatum ex itinere, non habentem ubi reclinet caput, passum, mortuum & resuscitatum, quæ omnia cum Christo passim tribuantur in toto historiæ evangelicæ decursu, eos profecto dementiæ convincunt, qui aut effigiem solam hominis adumbratam, aut corpus ex æthereo cœlove decerptum in Christo esse, mentiri non dubitarunt.

Probatur 2° ex sanctis Patribus.

Ex S. Ignatio Epist. ad Trallianos his verbis: *Obturate igitur aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vere natus est, edit & bibit, vere persecutionem passus est sub Pontio Pilato, vere crucifixus & mortuus est, videntibus celestibus, terrestribus, subterraneis, qui & vere resurrexit a mortuis resuscitante ipsum Patre ipsius*.

Ex S. Irenæo lib. 5. adversus hæreses cap. 1. *Vani enim sunt*, inquit, *qui putative dicunt eum apparuisse, non enim putative hæc, sed in substantia veritatis fiebant, si autem cum homo non esset, apparebat homo, neque quod vere erat, perseveravit, hoc est Dei Spiritus (quoniam invisibilis est Spiritus) neque veritas quædam erat in eo, non enim illud erat quod videbatur... ostendimus autem quoniam idem est putative dicere eum visum, & nihil ex Maria accepisse. Neque enim esset vere sanguinem & carnem habens, per quam non redemit, nisi antiquam plasmationem Adæ in semetipsum recapitulasset*.

Ex Tertulliano, qui ex integro de carne Christi libro Christum demonstrat veram habuisse carnem contra Basilidem, Valentinum, Apellem, & Marcionem cap. 5. hæc scribit: *Nonne vere crucifixus est Deus? nonne vere mortuus, ut vere crucifixus? nonne vere resuscitatus, ut vere scilicet mortuus? Falso ergo statuit inter nos scire Paulus tantum Jesum crucifixum; falso sepultum ingessit; falso resuscitatum inculcavit; falsa est igitur & fides nostra, & phantasma erit totum quod speramus a Christo... sed hæc quomodo illa vera erunt, si ipse non fuit verus, si non vere habuit in se quod figeretur, quod moreretur, quod sepeliretur & resuscitaretur, carnem scilicet sanguine suffusam, ossibus structam, nervis intextam, venis implexam, quæ nasci & mori novit*.

Ex S. Epiphanio adversus Basilidem, qui Christi loco Simonem Cyreneum passum esse somniabat. *Si in crucem*, inquit, *Simon ille Cyrenæus est sublatus, non igitur per Chistum parta nobis est salus, sed per Simonem; nec jam per Christum mundus salvum fore se sperare debet, utpote qui minime sit passus. Neque enim salutis esse causa Simon potest, purus utique ac purus homo neque quicquam amplius*.

Probatur 3. nonnullis rationibus, quas inter innumeras propemodum alias legimus apud veteres sanctos Patres.

Prima est, quia si non fuerit verum corpus in Christo, vera caro, manifeste fefellit nos Christus, cum dixit se passum, se fatigatum ex itinere, se jejunasse: mentiti sunt & ipsi Evangelistæ, cum eum dixerunt factum hominem, circuncisum, flagellatum, mortuum, & suscitatum; siquidem is non habuerit nisi larvam & phantasma corporis: atqui dicit ipse Christus, *Ego sum veritas*, mentiri nec fallere potuit; tum nec mentiri potuerunt Evangelistæ, aliter nihil erit certi in eorum scriptis: ergo fuit verum corpus Christo.

Secun-

Secunda eſt, quia Deum vere factum fuiſſe hominem, veramque non phantaſticam aſſumpſiſſe carnem; nec eo indignum, nec ipſi impoſſibile eſt, ut initio hujuſce Tractatus a nobis oſtenſum eſt: quamobrem nonniſi ſtulte admodum in ſenſus metaphoricos detorqueri poſſunt tot Scripturarum teſtimonia, in quibus aſſeritur Chriſtus homo, natus in carne, paſſus, mortuus, ſepultus, &c.

Tertia denique ratio eſt, quia non minus proprie Chriſtus dicitur homo quam Deus: atqui non dixerint hæretici quos hic impugnamus, Chriſtum non eſſe vere Deum, aliter totus erit phantaſma, totus larva; ergo verus eſt homo, verum habens corpus, veram non phantaſticam carnem.

Objicies. Chriſtus dicitur in Scripturis in ſimilitudinem hominum factus & inventus ut homo, ad Philipp. 2. *In Chriſto Jeſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo:* ergo non eſt verus homo.

Nego conſeq. Chriſtus enim dicitur in ſimilitudinem hominum factus, non quod non habeat niſi larvam & imaginem humanam, ſed quia homo eſt ſimilis cæteris hominibus, verus homo ut cæteri homines: 1. quia ibidem dicitur accepiſſe formam ſervi, hoc eſt naturam humanam. 2. Quia Deus dicitur hoc in myſterio exinaniviſſe ſeipſum; at non ſemetipſum exinaniviſſet ſola ſpecie & larva hominis ſuſcepta. 3. Quia infinita ſuppetunt alia ejuſdem Apoſtoli teſtimonia, in quibus aſſeritur Chriſtum fuiſſe in carne, ex ſemine Abrahæ, mortuum & ſuſcitatum e mortuis: ergo.

Inſtabis. Qui miſſus eſt in ſimilitudinem carnis, non habuit veram carnem: atqui Filius Dei miſſus eſt in ſimilitudinem carnis ad Roman. 8. cap. *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*, ergo non habuit veram carnem.

Diſt. min. In ſimilitudinem carnis peccati, C. carnis ſimpliciter, N. Ridicule profecto objicitur iſte locus; Filium enim dicit Apoſtolus miſſum in ſimilitudinem carnis peccati, quia revera caro quam aſſumpſit non erat caro peccatrix: ſed non dicit eum fuiſſe miſſum in ſimilitudinem carnis ſimpliciter, quaſi caro ejus fuiſſet ſolum phantaſtica. Ita Tertull. lib. de Carne Chriſti cap. 16. *Nam & alibi in ſimilitudine inquit carnis peccati fuiſſe Chriſtum, non quod ſimilitudinem carnis accepit quaſi imaginem corporis & non veritatem, ſed ſimilitudinem peccatricis carnis vult intelligi.*

Inſtabis. Qui non fuit ſimilis aut conſubſtantialis primo homini, non fuit verus homo: atqui Chriſtus ex eodem Apoſtolo non fuit primo homini conſubſtantialis, immo vero penitus ab eo diverſus, 1. Corint. cap. 15. *Primus homo factus eſt de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis:* ergo non habuit verum corpus.

Diſt. min. De cœlo cœleſtis ratione divinitatis, C. ratione humanitatis, natus eſt in utero Mariæ Virginis operante Spiritu ſancto, *quod ex te naſcetur ſanctum erit:* idem illud corpus fuit octavo die circunciſum, vitamque egit mortalem: adeoque non fuit e cœlo delapſum, & conſequenter cœleſtis dicitur Chriſtus ratione divinitatis, ut cum Joan. 3. dicitur deſcendiſſe de cœlo: vel ſi velis id de ipſa humanitate interpretari, cœleſtis appellabitur propter cœleſtina dona, cœleſteſque animi dotes, non autem propter naturæ aut ſubſtantiæ humanæ a noſtra diverſitatem.

Inſtabis. Qui carnem reprobavit veram non tribuit Chriſto carnem: atqui carnem reprobavit Apoſtolus ibidem his verbis, *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt:* ergo.

Diſt.

Dist. min. Carnem reprobavit, id est mala carnis opera, C. id est naturam & substantiam carnis, N. ita scilicet Tertullianus lib. de Resurrectione carnis cap. 50. *Apparet hinc quoque carnem & sanguinem nomine culpæ non substantiæ arceri a Dei regno*.

Instabis. Christus ipse Matth. 12. profitetur se non esse proprie natum, se nullam habere matrem, nullos fratres: *Dixit autem ei quidam, Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te; at ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater & soror & mater est*: ergo.

Nego ant. atque ad hujus loci interpretationem adduco verba Tertulliani lib. de carne Christi, c. 7. hæc dicentis; *Sed quoties de nativitate contenditur, omnes qui respuunt eam ut præjudicantem de carnis in Christo veritate, ipsum Deum volunt negare esse natum, quod dixerit, Quæ mihi mater & qui mihi fratres? Audiat igitur & Appelles... primo quidem nunquam quisquam annuntiasset illi matrem & fratres ejus foris stare, qui non certus esset & habere illum matrem & fratres, & ipsos esse quos tunc nunciabat, vel retro cognitos, vel tunc ibidem compertos, licet propterea abstulerint hæreses ista de Evangelio, quod & creditum patrem ejus Joseph fabrum, & matrem Mariam, & fratres & sorores ejus, optime notos sibi esse dicebant qui mirabantur doctrinam ejus: sed tentandi gratia nuntiaverant ei matrem & fratres quos non habebat... indigne usus est hoc dicto ad percutiendam importunitatem ab opere revocantium! Cæterum ad negandam nativitatem alius fuisset locus & tempus & ordo sermonis, non ejus qui posset pronunciari etiam ab eo cui & mater esset & fratres. Cum indignatio parentes negat, non negat sed objurgat... quale ergo erat, si docens non tanti facere matrem aut fratres quanti Dei verbum, ipse Dei verbum nuntiati matre & fraternitate desereret? negavit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere. Sed alias figura est Synagogæ in matre adjuncta, & Judæorum in fratribus incredulis. Foris erat in illis Israel, discipuli autem novi intus audientes & credentes & cohærentes Christo Ecclesiam delineabant, quam potiorem matrem & digniorem fraternitatem, recusato carnali genere nuncupavit*. Quo quidem Tertulliani testimonio ad rem aptius proferri potest nihil.

Objicies. Filius Dei præmatura quadam Incarnatione apparuit olim Patriarchis antiqui Testamenti, carnem induit, locutus est eis ore ad os, & cum iis conversatus est in terris, inquit Propheta Baruch: atqui tamen vera non fuit ab eo assumpta caro, nec propterea censetur fucum fecisse hominibus: ergo licet diceretur veram non fuisse Christi carnem, non propterea Deus censeretur fefellisse homines. Scilicet, ut ajebant Eutychiani, voluit in utroque Testamento identidem apparere hominibus sub hac vel illa specie vel imagine; modo sub specie rubi, modo sub specie hominis: at quemadmodum non apparuit Moysi sub specie rubi ardentis, assumpta & unita sibi vera natura rubi, ita similiter apparuit ut homo in novo testamento speciem præ se ferens personæ humanæ, non tamen assumpta physice natura humana.

Respondeo 1. circa apparitiones Filii Dei in veteri Testamento factas, non unam fuisse omnium antiquorum Patrum mentem.

Quidam existimarunt Filium Dei apparuisse in vera carne assumpta, ita Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 9. his verbis: *Ideoque & ipse cum Angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, sed nondum natæ, quia nondum morituræ, sed & discentis jam inter homines conversari*.

Alii arbitrati sunt Filium Dei appa-

fuisse tantum in humana specie, sed non in vera carne. Sic S. Chrysost. hom. 58. in Genes. *Filius Dei*, inquit, *& cum Jacob luctatus est Abrahæ*, *ut jam tum nobis ab initio demonstraret aliquando se hominis assumpta forma universam naturam humanam ex tyrannide diaboli erepturum, & ad salutem perducturum esse; verum tunc quia principium adhuc & proœmium agebatur apparenti duntaxat specie unicuique se illorum ostendebat*. Et sanctus Leo Epist. 27. olim 13. ad Pulcheriam his verbis, *Potuerat quippe omnipotentia Filii Dei sic ad docendos justificandosque homines apparere, quomodo & Patriarchis & Prophetis in specie carnis apparuit, cum aut luctamen iniit, aut sermonem conseruit, cum ve officia hospitalitatis non abnuit, vel etiam appositum cibum sumpsit. Sed illæ imagines hujus hominis erant indices, cujus veritatem ex præcedentium Patrum stirpe sumendam significationes mystica nuntiabant*.

Alii denique ejusmodi apparitiones censent factas fuisse per Angelos, sic inter alios S. August. l. 3. de Trin. c. 11. *Proinde*, inquit, *illa omnia quæ Patribus visa sunt, cum Deus illi secundum suam dispensationem temporibus congruam præsentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Etsi nos latet quomodo ea ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta non ex nostro sensu dicimus, ne cuiquam videamur plus sapere, sed sapimus ad temperantiam*; quod quidem fuse probat ex Scripturis. *Extat*, inquit, *autoritas divinarum Scripturarum, unde mens nostra deviare non debet*, *&c.* quibus positis.

Resp. 2. Quamcunque amplectaris sententiam circa præfatas apparitiones veteris Testamenti, nihil quicquam ex iis colligi posse adversus veritatem carnis Christi in mysterio Incarnationis, quia longum latumque est discrimen inter illas apparitiones & Incarnationem; fuerunt enim illæ momentaneæ quædam apparitiones *carnis nondum natæ, quia nondum moritura, sed & discentis jam inter hominis conversari*, inquit egregie Tertullianus. At in mysterio Incarnationis videtur & palpatur iste homo Deus per annos fere quadraginta, vidimus eum nascentem, adolescentem, ambulantem, manducantem, cruci affixum; non in somno & in nocte, sed per dies & annos multos; adeoque sibimet illudit quisquis ipsi nonnisi fictam & putatitiam ascribit carnem.

Atque idem respondetur ad exemplum Angelorum, quod objiciebant veteres Hæretici; quippe, inquiebant, Angeli apparuerunt in carne mere phantastica, & tamen cum hominibus ambulabant, manducabant, conversabantur, &c. quidni ergo potuit Christus similiter apparere cum carne aliqua putatitia & phantastica?

Facilis est, inquam, responsio; neque enim in illis instantaneis apparitionibus Angeli nati sunt, non passi, non mortui, manducare videbantur, sed non manducabant, inquit Angelus Tobiæ cap. 10. ejusdem libri, *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor; ac* proinde par non est ratio inter nonnullas apparitiones factas ab Angelis in veteri Testamento, & Incarnationem Verbi, in qua Christus per multos annos constanter visus est bibens & manducans cum hominibus, ac postea passus, mortuus ac sepultus.

Quæres an Verbum Dei assumpserit carnem mediante anima.

Resp. affirmative, siquidem istud docent omnes sancti Patres. S. Gregor. Nazianz. orat. 35. S. August. lib. de Agone Christiano cap. 18. Rufinus in Expositione Symboli. Fulgentius lib. 1. ad Trasim. Constantinus Pogonatus in Edicto quod suscepit sexta Synod. act. 18. & approbavit Leo II. S. Joan. Damasc. lib. 3. cap. 6. quibus ultro astipulantur Scho-

Scholastici omnes post S. Thomam q. 6. art. 1. & 2. necnon Magist. Sent. in 3. dist. Hic itaque aliquem assumptionis ordinem admittimus inter partes assumptas a Verbo; nullam quidem temporis prioritatem, quasi prius tempore assumpta fuerit anima quam caro, siquidem eodem instanti totam humanitatem assumpsit Verbum, sed prioritatem naturæ; quia anima rationalis est mediæ veluti conditionis Deum inter & carnem, atque, ut ait Damascenus loco citato, *interjecta inter Dei puritatem & carnis crassitiem*.

An Christus fuerit passibilis & doloribus obnoxius.

OBservandum primo quæstionem hic non moveri de ipsa Christi divinitate, quam quidem vere passam & dolori subjectam impie affirmarunt olim veteres nonnulli hæretici, inter quos primas tenebant Ariani & Apollinaristæ; Ariani quidem qui cum inferiorem quamdam & participatam divinitatem Christo tribuerent, solum Patrem summum Deum æternum, impassibilem, Verbum vero divinum dicebant minime Patri consubstantiale, adeoque passibile; ob id damnati sunt in Concil. Syrmiensi an. 351. can. 11. & 12. Apollinaristæ vero, qui cum in Christo Verbum Dei esse loco animæ docerent, ipsam proinde Divinitatem natam, passam, & crucifixam tenere cogebantur, ut legere est apud S. Athanas. lib. de salutari Christi adventu; Greg. Naz. orat. 46. & 51. S. Leo M. Epist. 98. c. 2. & Liberatum Brev. c. 4. Absurdum hunc vel cogitatu impium errorem satis superque confodimus in Tractatu de SS. Trinit. cum ostendimus Filium Dei Patri Æterno consubstantialem. Superest igitur ut quæstionem agitemus de humana natura Verbo suscepta, ratione cujus suboriri potest dubium, an vere & quomodo Christus fuerit dolori & passioni subjectus.

Observandum 2. duplex esse passionum genus; quædam enim naturales sunt & vitii expertes, ut fames, sitis, lassitudo, &c. aliæ macula quadam turpitudinis infectæ, ut ignorantia, concupiscentia, perturbationes animi, &c. quas quidem a Christo Domino abfuisse demonstrabimus, ubi de ejus sanctitate & impeccantia postea disseremus. Quamobrem de priori passionum genere jam disputandum nobis incumbit.

Observandum 3. dupliciter concipi posse Christum fuisse passibilem, naturaliter nempe pro insita conditione hominis, qua ut nasci habuit Christus, ita & dolere, pati, esurire, sitire & mori censeatur; adeo ut ex unione hypostatica nihil in Christi corpus emanaverit quod in causa esset cur non doleret, non pateretur: Vel supernaturaliter & miraculose; quo sensu nonnulli dixerunt revera passum fuisse Christum, doluisse & esuriisse, sic Deo volente contra jus & naturam ipsius unionis hypostaticæ, ex qua sequebatur non debere corpus Christi pro jure suo dolere nec pati, quod omnibus gloriosi corporis dotibus esset instructum. Unde quod Christus, inquiunt, revera doluerit, esurierit, miraculo tribui debet, quo voluit ejuscemodi miserias perpeti ad veritatem suæ carnis clarius demonstrandam. Ambigitur autem quonam ex iis duobus modis Christus Dominus fuerit passibilis, & revera passus fuerit; quo quidem in negotio nonnullæ notari possunt opiniones.

Prima est quorumdam Eutychianorum inter quos eminebant Severus & Julianus Halicarnassæus, de quibus hæc scribit Liberatus Breviar. cap. 19. *Sub Timotheo de corruptibili & incorruptibili apud ipsam Ecclesiam quæstio mota est hoc modo. Requisivit quidam Monachus Severum, cujusmodi oporteret dicere corpus Domini nostri J. C. corruptibile an incorruptibile. Ille respondit ei sanctos Patres corruptibile illud dixisse. Hoc au-*

dientes quidam Alexandrinorum, cum requisissent Julianum in alio loco sedentem, quid & ipse diceret de eadem quæstione, ille dixit sanctos Patres contraria dicere. Horum itaque singuli statuere proprium responsum volentes, scripserunt libros adversus alterutrum, qui venientes in multitudinem civitatis, Ecclesiam illam diviserunt & alios quidem fecerunt Corrupticolas appellari, alios nimirum incorruptibilis assertores Phantasiastas, qui sic dicti sunt, non quod verum non esse Christi corpus & merum phantasma dicerent, sed quod naturales in Christo affectiones non reipsa, sed specie tantum fuisse contenderent.

Secunda est nonnullorum e veteribus qui Christum fatentur vere passum, sed id factum miraculo & ex sola Dei ordinatione, quia inquiebant illi, habebat Christi corpus ex ipsa unione hypostatica, quod nulli dolori, nulli passioni obnoxium esset. Ita Clem. Alex. lib. 6. strom. his verbis: *In Salvatore corpus tanquam corpus necessaria postulare ministeria ridiculum fuerit. Manducabat enim non propter corpus, quod divina virtute sustentabatur, sed ne iis qui versabantur cum ipso, in mentem veniret aliter de eo sentire. Quemadmodum sane postea nonnulli sola illum specie & phantasmate apparuisse putarunt. Alioquin ipse penitus erat passionis expers, cui nullus obreperet passionis motus, neque voluntas, neque tristitia.* Tum Maximus hom. 1. de jejunio Quadragesimæ: *Ignorabat*, inquit, *diabolus, quia quod Christus nutrimenta perferebat infantiæ, quodque esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeæ sed cœlestis gratiæ Sacramentum.* Quæ quidem opinio a nonnullis tribuitur Greg. Nazianz. or. 3. Cyrillo lib. 9. de adoratione in spiritu & veritate. August. tract. 49. & 60. in Joan. & Hugoni Victorino lib. 2. de Sacramentis parte 1. c. 7. sed injuria quidem ut puto, constabitque attentius hæc loca perlegenti.

Sed in istam sententiam descendit dubio procul Philippus Abbas Bonæ spei ex ordine Præmonstratensi, qui Christum arbitratus est vere illa quidem tolerasse omnia quæ sunt infirmitatis humanæ, famem, sitim, tristitiam, dolorem & mortem ipsam, sed voluntate non infirmitate pertulisse; existimans scilicet carnem Christi, utpote nullis peccati pœnis obstrictam, nihil naturaliter pati potuisse, & quidquid nihilominus voluntarie passa est, id non naturaliter sed extraordinaria quadam lege ac veluti per miraculum. In illam sententiam scripsit quidem Joannes Præpositus Epistolam quæ post Philippi Epistolas edita est, ubi Christum asserit necessitate naturali, sponte quidem ascita & voluntaria passum fuisse, quam Philippi & Joannis contentionem diremit Hunaldus quidam Epistola ad Joannem Præpositum data: his positis sit.

CONCLUSIO.

Corpus Christi naturaliter, hoc est ex naturali sua conditione fuit passibile.

Probatur 1. ex Scripturis, de Christo prædixerat Isayas cap. 53. *vere languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit.* Joan. 4. dicitur *fatigatus ex itinere.* Lucæ 19. *flevit super Jerusalem.* Joan. 11. Stans ad monumentum Lazari *infremuit spiritu & turbavit seipsum .... & lacrymatus est Jesus.* Matth. 26. profitetur ipse *tristem esse suam animam usque ad mortem.* Joan. 19. ait in cruce pendens, *sitio*, tum mortis horrore percitus exclamavit, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Unde divus Paulus Christum ait Epist. ad Hebr. c. 2. *debuisse per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret peccata populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus potens*

est & eis qui tentantur auxiliari ; & cap. 4. *non enim*, inquit, *habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Quæ ficta falsoque dicta erunt omnia, si passiones istas, doloresque reipsa, in qua pati poterat natura, non persensit Christus.

Adde quod divus Petrus Epistola 1. cap. 2. hæc scribit de Christo Domino, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus*. Ad id autem frustra nos hortaretur, si ipse non nisi ficte ac sola specie passus esset, ut recte observat Martinus I. secret. 1. Conc. Later.

Probatur 2. ex sanctis Patribus.

Origenes lib. 2. contra Celsum hæc scribit, *si ut ait Celsus, nihil doloris ac molestiæ Jesus sensit per illud tempus; quonam pacto qui postea secuti sunt Jesum adhibere potuerunt in exemplum patiendi laboriosa quælibet ac molesta propter pietatem, si humana non est revera sed sola specie perpessus?*

Tertullianus idem docet lib. 3. contra Marcionem cap. 8. *sic*, inquit, *nec passiones Christi ejus fidem merebuntur, nihil enim passus est, qui non vere est passus; vere autem pati phantasma non potuit. Eversum est igitur totum Dei opus, totum Christiani nominis & pondus & fructus, mors Christi negatur, &c.*

S. August. in Psal. 93. *Nolite*, inquit, *putare non fuisse tristem Dominum. Si enim hoc dixerimus quia non erat tristis, Cum Evangelium dicat, Tristis est anima mea usque ad mortem, ergo & quando dicit Evangelium, dormivit Jesus, non dormivit Jesus; & quando Evangelium dicit, manducavit Jesus, non manducavit Jesus. Surrepit vermiculus putredinis & nihil sanum relinquet, ut dicatur quia & corpus non erat verum & carnem veram non habuit; quidquid ergo de illo scriptum est, fratres, factum est, verum est. Ergo tristis fuit? prorsus tristis; sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem. Quomodo voluntate carnem veram, sic voluntate tristitiam veram.*

Idem docet S. Hieronymus in cap. 53. Isayæ, *qui vere*, inquit, *languores nostros & peccata portavit & pro nobis dolet non putative, id est*, δοκήσει, *ut nova & vetus hæresis suspicatur, sed vere crucifixus est, vere doluit.*

Tum S. Basilius ait homil. de gratiarum actione, *Christum manducasse ac bibisse non cibo ac potu indigentem ipsum, sed ut nobis necessariarum hujusmodi affectionum animæ mensuras ac terminos præfiniret; quemadmodum & flevisse; ut in gemitum luctumque propensorum immoderatos affectus, nimiumque dejectos corrigeret*, quibus verbis minime negat S. Basilius ejusmodi affectiones in Christo fuisse, sed in eo voluntarias significat; addit enim paulo post, *quemadmodum igitur famem suscepit Dominus exhausta per expiationem solidiore alimonia & sitim admisit, humore in corpore consumpto, & lassatus est musculis ac nervis nimium ex ambulatione distentis, non divinitate ipsa labore fracta, sed corpore ex natura consequentes affectiones admittente, sic etiam lacrymas suscepit, naturalem affectum ad carnem accidere permittens*. Ita cæteri nullo excepto & Græci & Latini Patres.

Quapropter vere in carne dolorem sensisse, ac revera passum esse fidei symbola omnia testantur; atque hoc diserte statuit Romanum Concilium sub Damaso, pronuntiatque anathema *ei qui dixerit in crucis passione dolorem sustinuisse Dei filium divinitate ipsa & non carne animaque rationali, quam assumpsit in forma servi, ut Scriptura sacra loquitur.*

Cæterum etsi certissimum est ex istis omnibus vere & ex nativa hominis conditione passum fuisse Christum Dominum, distabat tamen multum a cæteris mortalibus, quod nempe in nobis præter voluntatem, immo interdum re-

luctantibus affectiones perpessionesque subeant; at in Christo voluntariæ prorsus extiterunt, nihil enim voluntatis ejus nutum antecessit; inquit, Damascenus lib. 3. cap. 20. *nam*, inquit, *nihil coactum in eo consideratur, sed voluntaria omnia. Itaque volens esuriit, volens sitivit, volens timuit, volens est mortuus*. Id insuper videre est ex locis Patrum mox citatis.

Objicies. Ea caro fuit ex natura sua impassibilis & incorruptibilis, quæ, cum semper Verbo divino fuerit hypostatice unita, ex hoc ipso pœnam peccati subire non potuit, posse enim pati, dolere, mori pœna peccati est: sed caro Christi, ex hoc ipso quod Verbo divino hypostatice unita, consequenter pœnam peccati subire nec debuit nec potuit: igitur omnis doloris & corruptionis fuit expers, saltem ex natura sua; adeo ut, si Christus revera passus est, id miraculose & propter singularem ejus voluntatem contigerit.

Nego maj. & dico Corpus Christi habuisse ex naturali suo statu & conditione quod posset pati, dolere, corrumpi, & mori; factus est enim Christus per omnia similis cæteris hominibus excepto peccato; unde non miraculo & virtuti divinæ tribui debet quod nonnumquam passus fuerit; sed quod passus non fuerit ex necessitate, ex infirmitate non voluntaria, ut enim habet Leontius libro 2. ex iis tribus quos adversus Nestorianos & Eutychianos scripsit, caro hominis a Verbo assumpta per se ac natura sua pati & mori potuit, quod autem aliquando naturales ejus affectiones impeditæ sint, hoc ipsum divina virtute Verbi, nec sine miraculo factum est, *permittente scilicet ipso, ut quæ naturalia erant sine peccato, caro pateretur, quæ ad patiendum natura nata apta erat. Non enim ex unione habuit non pati, sed ex voluntate uniri hoc oportune, & ad aliquam utilitatem gubernantis ac disponentis*.

Cum autem respondisset ibidem adversarius quem impugnat, Christum *non necessitate naturæ, verum ratione œconomiæ passum, permittente Verbo ut pateretur*. Contra Leontius negat carnem Christi factam esse a Verbo passionis expertem, quia sequeretur ex eo unionem cum Verbo dissolutam esse, *siquidem non poterat pati, quod ex unione erat a passione liberum, nisi unione prius sublata*.

Et certe si caro Christi fuisset ex natura sua passionis & corruptionis expers propter unionem hypostaticam, vi unionis hypostaticæ; vel caro illa nihil unquam passa est, vel si quando passa est, tunc facta est dissolutio, tunc desit unio hypostatica: sed neutrum dici potest. Non primum, ut enim mox ostendimus ex Scripturis & sanctis Patribus, passus est Christus Dominus revera, illasque passiones humano more suscepit. Alterum vero itidem sequeretur, quandoquidem virtute illius unionis cum Verbo habuisset caro non posse pati nec dolere; igitur dicendum est carnem Christi natura sua fuisse passioni & doloribus obnoxiam.

Objicit postea hæreticus Corpus Christi ei simile fuisse quod Adamus habuit antequam peccaret, *Incorruptibilis*, inquit, *erat protoplastus antequam peccaret. Incorruptibile igitur fuit etiam Corpus Domini; siquidem sine peccato perseveravit semper*.

Respondet Leontius 1. Adamum non fuisse immortalem, cum adhuc innocens esset, quanquam non fuisset moriturus si in eo perseverasset; negat etiam corpus Adami fuisse incorruptibile, hoc est ab ea corruptela liberum, qua sensim sine sensu corpus consumitur, ut est fames, sitis, &c. Secundo putat Leontius Verbum divinum ejusmodi assumpsisse carnem, qualem habuit Adam post peccatum; & qualem nos habemus ex eadem massa geniti: *Non enim*, inquit, *venit Dominus ut salvaret*.

ret Adam a peccato vacuum, ut ejus similis fieret, sed peccato irretitum & lapsum, ut eum miseratio consuscitaret.

Expenditur sententia sancti Hilarii Pictaviensis Episcopi.

QUæstionem dedita opera proponimus de mente S. Hilarii super isto negotio, gravem enim præbuit suspicionem, ut existimasse videatur Christum quatenus hominem, nullum doloris, tristitiæ, famis, sitis, aliarumque naturalium affectionum sensum cepisse, quamvis in speciem earum in se vim & efficientiam admiserit, uti manifeste perspicitur ex ejus testimonio quod integrum propterea mox sumus exscripturi.

Hujus erroris Hilarium accusant Claudius Mamertus in libro 2. de statu animæ c. 9. Joannes Præpositus antea laudatus in Epistola ad Philippum Bonæ-Spei Abbatem. Item Guillelmus Parisiensis, qui tamen testatur Hilarium quodam in libro ista retractasse & contrarium docuisse, quem librum nemo unquam vidit, suspicatur Petavius non alium esse ab ejus Commentario in Psalmum 68. ubi satis aperte docet vere passum esse Jesum Christum. Accusatur etiam Hilarius a Baronio ad ann. 563. ab Erasmo & aliis nonnullis.

Sed fides ejus hac in parte vindicatur a Philippo Abbate Bonæ Fidei contra Joannem Præpositum, ab Hulando supra citato omnibusque fere Theologis, demum a doctissimis Benedictinis in sua ad Hilarii opera præfatione.

CONCLUSIO.

S. Hilarius existimavit Christum fuisse vere ac proprie tristitiæ, doloribus & pœnis obnoxium.

Probatur ex illius scriptis.

Lib. 3. de Trinitate, *Sed quomodo*, inquit, *clarificandus erat filius? Namque natus ex Virgine, a cunis atque infantia usque ad consummatum venerat virum, per somnium, famem, sitim, lacrymas hominem egerat, etiamnum conspuendus, flagellandus, crucifigendus. Quid ergo? nobi solum hominem in Christo hæc erat contestatura? sed non confundimur cruce, non flagellis prædamnamur, non sputis sordidamur, clarificat Pater filium.*

Libro decimo ipso veram tristitiam Christo ascribit, contentus modo illa tristitia non dicatur in Christo esse ex infirmitate & metu mortis: *Non enim*, inquit, *ejusdem significationis est tristem propter mortem. Quia ubi propter mortem tristitia est, illic ipsa mors causa tristitiæ est. Ubi vero tristitia usque ad mortem est, mors jam non tristitia est causa sed finis.*

Apertum est quod scribit in Psal. 68. his verbis: *Assumpta ergo humanitas habuit officium deprecandæ salutis, divinitatis vero conscientiæ spem tenuit salutis in morte sperandæ. Salvari ergo se orat qui & dixerit. Deus Deus meus, quare me dereliquisti? introeuntibus enim aquis usque ad animam subjectus crucis morti fiebat, cum passionum universarum impetus usque ad mortem animæ perrumperet.... Verum ineuntium harum passionum non aliunde quam ex assumptioae carnis, & virtus est & potestas. Non enim iacidere in Deum hic infirmitatum nostrarum terror valebat, aut exercere se nisi in carne corporis nostri, tanquam subjacente materia potuerant passiones... evacuans ergo se quippe cui substantia non erat, non jam usque ad carnis, verum etiam usque ad mortis profunda descendit, & omnis in eum terror desævientis in nos tempestatis incubuit.... tunc & pati cœpit & mori posse per occasum mortis in inferna descendens... non fuit ergo in unigenito Deo naturalis infirmitas sed assumpta, quia propter Deum hæc improperia susceperit passionum.... sustinuit ergo improperium propter Deum dum alienum a natura sua corpus assumit, dum*

se-

secundum Apostolum peccati nescium, pater facit esse peccatum, dum fit obediens usque ad mortem crucis, dum ipsi exprobratur quod cæteros salvans se ipse non salvet, dum contumelias sputorum alaparumque perpetitur.

Ex his omnibus abunde vindicatur Hilarii fides, totus est enim ut dolores & passiones Christi removeat a Verbo & unigenito Dei Filio, eademque doceat propria fuisse carni a Verbo assumptæ.

Objicies hæc S. Hilarii verba e l. 10. de Trinitate num. 23. *Homo itaque Jesus Christus unigenitus Deus per carnem & Verbum, ut hominis filius, ita & Dei filius hominem verum secundum similitudinem nostri hominis non deficiens a se Deo sumpsit; in quem quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut æra vulnerans. Omnes quidem has passiones naturæ suæ infert, ut perforet, ut compungat, ut vulneret, sed naturam suam in hæc passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel æra vulnerari; quamvis naturæ teli sit vulnerare & compungere & forare.*

Passus quidem Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum crucifigitur, dum moritur, sed in corpus Domini irruens passio, necnon fuit passio, nec tamen naturam passionis exercuit, tum & pœnali ministerio illa desævit & virtus corporis sine sensu pœnæ, vim pœnæ in se desævientis excepit. Habuerit sane illud Domini corporis nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas & super fluctus eat & non degravetur ingressu, neque aquæ insistentis vestigiis cedant, penetret etiam solida, nec clausæ domus obstaculis arceatur. At vero si Dominici corporis sola ista natura sit, ut sua virtute sua anima feratur in humidis & insistat in liquidis & exstructa transcurrat, quid per naturam humani corporis concepta ex Spiritu sancto caro judicatur? caro illa id est panis ille de cœlis est. Et homo ille de Deo est, habens ad patiendum quidem corpus & passus est; sed naturam non habens ad dolendum.

Et postea ibidem, *Neque enim sitivit aut esurivit, aut flevit Dominus, bibisse, aut manducasse, aut doluisse monstratus est; sed ad demonstrandam corporis veritatem, corporis consuetudo suscepta est, ita ut naturæ nostræ consuetudine, consuetudini sit corporis satisfactum vel cum cibum & potum accepit, non se necessitati corporis, sed consuetudini tribuit.... anne metuit qui armati ad corripiendum se obvius prodit? & in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt?*

Dehinc Christum comparat pueris Babylonicæ fornacis, *naturam suam in his & ignis & corpora amittit, nam neque illa uruntur, neque ille urit, & tamen in cæteris in natura sua est & ignis & corpus. Nam circunstantes ardent & pœnæ mysteria in pœna sunt. Non vis, impie Hæretice, ut transeunte palmas clavo Christus non doluerit, neque vulnus illud nullam acerbitatem teli compungentis intulerit... missus namque est in peccati carnis similitudine portans quidem in carne peccata sed nostra, & pro nobis dolens non & doloris nostri dolet sensu, qui habitu ut homo repertus, habens in se doloris corpus, sed non habens naturam dolendi; dum & hominis habitus est & origo, non hominis est, nato eo de conceptione Spiritus sancti. Hinc itaque existimatus est & in doloribus & in plaga & in vexatione esse, formam enim servi accepit, & natus ex Virgine homo, opinionem nobis naturalis sibi in passione doloris invexit.* Ex quibus sic juvat argumentari, ille censuit Christum non fuisse passibilem nec vere passum, qui di-

dicit Christum ex naturæ suæ statu & conditione nullum doloris sensum percepisse, cujus corpori inflicta vulnera passionis quidem afferebant impetum; non tamen ullum inferebant dolorem: atqui hæc & similia expresse affirmat Hilarius: ergo.

Respondent nonnulli de ipsa Christi divinitate hic agere S. Hilarium, ita præsertim eum excusare conantur doctissimi Monachi Benedictini in sua ad illius opera præfatione, quod certum sit, inquiunt, rem habere S. Doctorem cum Arianis, qui qualemcunque in Christo admittebant divinitatem patiendi capacem & doloribus obnoxiam; adeoque Scripturæ loca in quibus abjectum aliquid de Christo dicitur, ut est dolor, metus, & tristitia, ad ipsam divinitatem accommodabant; unde promptum est inferre de sola divinitate locutum esse Hilarium, cum omnem doloris sensum Christo detrahit.

Verum non arridet ista responsio 1. Quia manifestum est ex tota contextus serie non solum de Verbo divino, sed etiam de ipsa natura humana agere S. Hilarium, quia nimirum eam partem ait non doluisse in quam ictus incidebant, vulnera descendebant, &c. sed ictus & vulnera afficiebant humanum Christi Corpus, non ipsum Dei Verbum. 2. Quia negat eam partem doluisse quæ patiebatur, *afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem*, an vero putavit passam fuisse divinitatem. 3. Quia nominatim significat se loqui de corpore Christi, *habuerit sane illud Domini corpus doloris nostri naturam, &c.... at vero si Dominici corporis ista natura sit, ut, &c.*

4. Denique, quia eo potissimum nomine omnem removet a Christo dolorem, quod divinum illud corpus alterius erat veluti naturæ ac nostrum, quippe quod erat ex Spiritus sancti conceptu, *quia quamvis*, inquit, *forma corporis nostri esset in Domino, non tamen vitiosæ infirmitatis nostræ forma esset in corpore, quæ non esset in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit*. Ergo non de ipsa divinitate loquebatur Hilarius.

Nec moror quod apertus ibi sit S. Hilarii congressus cum Arianis Verbum dicentibus passibile; dum enim in illorum Hæreticorum impietatem insurgit, ulterius progredi potuit S. Hilarius, atque etiamnum existimare nec ipsam Christi carnem, utpote conceptam ex Spiritu sancto, cuiquam fuisse dolori mancipatam.

Respondent alii, S. Hilarium necessitatem patiendi a Christo tantummodo removere, non dolorem; scilicet, inquiunt, aliud nihil inferri potest ex Hilarii verbis, quam Christum non invitum sed ultro & libenter tot dolores esse perpessum; qui quidem modus Hilarium excusandi communis apud Theologos satis videtur.

Verum meo quidem judicio non modo patiendi necessitatem, sed & ipsam passionem Christo denegat Hilarius; ait enim corpus Christi non habuisse naturam ad dolendum; non aliter portasse dolores nostros, ac peccata nostra; eodem plane modo vulnera Christo intulisse dolorem ac pueris Babylonicæ fornacis intulerunt ignis flammæ; negat præterea fuisse in Christo metum, tristitiam, cæterasque animi pertubationes quas esse homine Deo indignas censet, hæc, inquam, non ex necessitate tantum, sed simpliciter Christo abfuisse contendit.

Respondeo itaque propositæ difficultati: Dist. min. contendit Hilarius nullum fuisse in Christo dolorem stricte sumptum, C. dolorem proprie, N. dolorem proprie appello sensationem seu rei alicujus molestæ & acerbæ perceptionem, qualis reperitur in Martyribus qui vulnera & ictus sentiunt, ea naturali conditione qua homines sunt. Dolor autem stricte est sensatio & rei alicujus no-

noxiæ & molestæ perceptio cum animi perturbatione, anxietate, ægritudine, quod appellamus gallice *un chagrin & un deplaisir de souffrir*. At non alium dolorem a Christo removere S. Hilarium constat.

Primo quia non potest clarius explicari quod toties repetit, passum fuisse Christum, sed non doluisse; *afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen doloris..... habens ad patiendum corpus & passus est sed naturam non habens ad dolendum*, &c. nam si de dolore proprie sumpto agere supponatur, profecto in manifestam incidet contradictionem; nam dolere dolore proprie idem est ac pati; unde diceret in ea hypothesi Christum fuisse passum & non fuisse passum; sed facile duo hæc conciliantur, si supponatur S. Hilarius differere de dolore stricte sumpto; sensus est enim Christum revera in sua carne passum fuisse, sed in eo tamen non fuisse dolorem, hoc est, passum fuisse sine perturbatione & ægritudine animi.

Secundo, quia S. Hilarius statum Christi quo non dolebat quantumvis vulnera & ictus in eum descenderent, comparat statui martyrum qui non dolebant, quia pro Christi nomine pati gaudebant: *Usque eo*, inquit, *sensus fidei perempto in corporibus naturalis infirmitatis metu, corpora ipsa ad sensum non sentiendi doloris emutat, ut per animæ propositum firmitas corpori invehatur, animatumque corpus in id se tantum sentiat, in quod animæ studio commovetur, ut quod pati animus gloriæ cupiditate contemnit, id se pati, corpus anima vegetante non sentiat. Hæc si in omnibus naturalia sunt, per animæ ad gloriam ardentis calorem, ut passiones suas nesciant & vulnera ignorent, & mortem non intelligant*.

At licet Martyres propter animæ propositum & firmitatem non doleant de impactis sibi vulneribus, quæ veluti nesciunt & ignorant, hoc est, etsi, quando percutiuntur & vulnerantur, nullam animi ægritudinem & perturbationem experiantur ob ardentissimum quo moventur charitatis sensum, tamen verus est in iis dolor, vera passio, vera sensatio. Ita similiter Christus non dolebat quidem cum animi anxietate & ægritudine, quia lubens non invitus patiebatur; sed tamen vere non ficte dolorem sentiebat, in mente S. Hilarii.

Tertio, quia Christum vere passum fuisse docet passim S. Hilarius, ut manifeste constat ex locis supra adductis, ejusmodi sunt enim illa divi Hilarii testimonia, & neutiquam explicari possunt ab iis qui putant S. Hilarium omnem a Christo removere dolorem; ait enim, Christum in se cepisse famem, sitim, lassitudinem, lacrymas, metum, dolorem, tristitiam usque ad mortem, & mortem ipsam suscepisse in carne scilicet assumpta.

Instabis. Ille censet nullum penitus fuisse dolorem in Christo, qui ait non magis ictus & vulnera ei dolorem intulisse, quam possit telum aquam forare vel ignem pungere; certum est enim telum nullo sensu posse aquam forare vel ignem pungere; quia in natura non est vel aquam forari, vel ignem pugni: atqui S. Hilarius, &c. ergo.

Dist. min. Loquens de dolore stricte sumpto, C. de dolore proprie dicto, N. Erit igitur satis apta hæc Hilarii comparatio; modo supponatur ipsum loqui de dolore stricte sumpto pro animi ægritudine & sollicita inter patiendum anxietate: quemadmodum enim in rigore loquendo aqua non foratur, ignis telo non pungitur, ita nec fuit ejuscemodi dolor anxius in Christo; in cæteris vero, ut moris est, non quadrat comparatio.

Instabis. Eo tendunt verba singula S. Hilarii, ut ex iis non modo probet exulasse a Christo dolorem stricte sumptum pro animi ægritudine & anxietate, sed etiam ut evincat nullam omnino fuisse passionem, nullum pœnæ sensum;

sum; adeoque nec dolorem proprie. 1. Enim urget ex eo quod caro Christi concepta fuit ex Spiritu sancto. 2. Ex eo quod Christus ab omni peccato purus & immunis non fuit in vitiosa hominis infirmitate. 3. Ait in specie visum fuisse Christum pati, hancque nobis opinionem invexisse, ut suæ carnis demonstraret veritatem; quantumvis non haberet naturam ad dolendum, & revera fuisset omnis passionis expers: igitur nullum penitus dolorem Christo adscribit S. Hilarius.

Nego ant. Primum enim momentum adducit S. Hilarius, ut ostendat alterius fuisse conditionis dolores Christi ac nostros; sed inde non colligit proprie dictam passionem in eo non fuisse. Secundum affert ut Christum ostendat non coactum & invitum dolores suos perpessum. Tertio denique ait visum quidem fuisse Christum dolere, ut suæ carnis monstraret veritatem; sed istud non intelligit de ficta & simulata passione, ut satis superque probavimus, nihil omnino est in hac loquendi ratione, quod Christum non fuisse doloribus obnoxium insinuet.

An Verbum Dei sanguinem immediate assumpserit.

DIco Verbum divinum immediate & secundum hypostasim assumpsisse totum Christi sanguinem una cum aliis corporis humani partibus.

Probatur, quia Verbum in Incarnatione naturam humanam sibi univit totam, integram, non mutilam, sed omnibus suis partibus absolutam: atqui sanguis pertinet ad veritatem & integritatem hominis; immo censetur una ex præcipuis corporis humani partibus: ergo Verbum Dei in Incarnatione sibi immediate univit sanguinem una cum cæteris corporis humani partibus.

Sunt qui sanguinem Christi fuisse Verbo hypostatice unitum ex eo colligunt, quod illius effusio non videretur alioquin habere infinitum valorem: sed mihi non probatur ista ratio; quia hujusce sanguineæ effusionis valor non repetitur ex dignitate ipsius sanguinis effusi, sed ex dignitate personæ illum effundentis in pretium redemptionis humanæ; unde potuisset Christus per unicam lacrymam Verbo hypostatice unitam condigne satisfacere; adeoque, &c.

Quapropter cum legitur passim in Scripturis sanguine Christi nos fuisse redemptos, sensus est, inter actiones Christi quas singulas Patri Æterno in pretium salutis nostræ obtulit, præcipuam esse sanguinis effusionem.

Obj. Eodem modo judicandum est de cæteris sanguinis Christi partibus, ac de nonnullis guttis: atqui constat nonnullas guttas a Verbo non fuisse assumptas. Siquidem ex recepto vulgari effato, *quod Verbum semel assumpsit, numquam dimisit*; atqui plurimæ sanguinis guttæ fuerunt dubio procul dimissæ, nec remanserunt Verbo unitæ: sive id de iis sanguinis particulis intelligatur, quas in circuncisione amisit; sive de iis quæ quotidie in eo absumebantur vi caloris naturalis; seu de tota effusione sanguinis qui tempore passionis divisus fuit a Christi corpore, atque adeo non fuit in resurrectione resumptus; ut eo respersi & rubefacti remanserint clavi, lancea, sudarium & reliqua passionis instrumenta; quibus denique accedit etiamnum ostentari quasdam sanguinis Christi particulas, qui dicitur e Christi vulneribus fluxisse, ut Mantuæ v. g. asservatur sanguis teste Baronio an. 804. ergo.

Nego min. ad cujus probat. dist. quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit, si sermo sit de substantia tota, vel præcipuis substantiæ partibus C. si de singulis & minutissimis partibus, N. Hujus itaque toties decantati apud Theologos effati sensus est, quod Verbum nunquam dimiserit vel etiam in triduo mortis, aut corpus quod jacuit in se-

 pul-

pulchro, aut animam quæ descendit ad inferos, quæ ambæ sunt humanitatis partes præcipuæ, non autem quod semper unitum fuerit singulis minutissimis corporis partibus, quales erant quædam sanguinis guttæ.

Porro de sanguine qui e Christi vulneribus fluxit in terram, an ille unione hypostatica exciderit, acris olim fuit pugna sub Pio II. an. 1462. inter Dominicanos istud negantes, & Franciscanos partem affirmantem tenentes; super qua re Constitutionem emisit Summus Pontifex, qua vetabat pro bono pacis, ne ullus alterutram partem damnaret erroris, ut refert Spondanus ad hunc annum.

Quod autem spectat eum sanguinem qui nunc visitur in quibusdam locis; Respondeo aut verum non esse Christi sanguinem, cum ejuscemodi historiæ falsi merito suspectæ sint; aut jam unione hypostatica destitutum; quemadmodum ille quem, vel in circuncisione, vel tempore passionis amisit. De sanguine Christi in passione effuso conjicit S. Thomæs quæst. 54. art. 2. ad 3. totum illum rediisse ad corpus in resurrectione: sed id non omnino certum est.

Quærunt hic Theologi, an Verbum sibi & cæteras corporis partes hypostatice univerit; an cæteros humores, bilem, pituitam, melancholiam; an ungues, dentes, pilos, sudores, salivam, humores excrementitios, &c. Sed istorum disquisitioni nos supersedimus, quod vel ipsos quæstionum titulos referre pudeat; hoc unum constat Verbum divinum eas omnes assumpsisse partes quæ ad integritatem veri hominis necessariæ sunt; siquidem veram & integram non mutilam assumpsit humanitatem; sed sigillatim ad istas descendere quæstiunculas Theologo indignum prorsus mihi videtur. Atque hic ad ejuscemodi quæstiones lubens respondeam, quod olim Augustinus. Consentio sciscitanti utrum corpus Domini nunc ossa & sanguinem habeat, *non ergo*, inquit, *& nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere, & de compendio, si placet, finita sit quæstio. Fortassis enim accepta occasione sanguinis, urgebit nos molestior persecutor & dicet, si sanguis, cur non & pituita? cur non & fel flavum, & fel nigrum? quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicina disciplina testatur. Sed quodlibet quisque addat, corruptionem addere caveat, ne suæ fidei sanitatem castitatemque corrumpat.*

Quæres utrum Christus etiamnum in cœlis sanguinem habeat?

Respondeo 1. nonnullos Hæreticos negasse superstitem esse sanguinem in Christi cœlos habitantis corpore; ita Osiander Lutheri discipulus, & quidam insuper Calvinistæ quos in peculiari dissertatione impugnavit acriter & diserte unus e nostris tunc Senonensis Ecclesiæ Decanus, nunc vero Sacratioris Capellæ Canonicus.

Respondeo 2. corpus Christi etiamnum post resurrectionem sanguine non esse destitutum: 1. quia, ut mox diximus, quod semel assumpsit Verbum hoc nunquam dimisit; sed Verbum Dei assumpsit sanguinem, igitur illum non dimisit. 2. Quia idem est Christus in cœlis, qui fuit in terris, & realiter etiam præsens est in Sacramento Eucharistiæ: sed corpus Christi fuit in terris cum sanguine, & in Sacramento Eucharistiæ realiter & substantialiter continet sanguinem: igitur & idem dicendum est de corpore Christi in cœlis.

Utrum in triduo mortis desierit unio hypostatica Verbi cum carne Christi.

VErbum divinum ab humana carne per triduum mortis fuisse separatum, existimasse videntur nonnulli ex antiquis Patribus. Ita S. Epiphanius Hæresi 20. quæ est Herodianorum. *Tertio die*, inquit, *cum sancto suo corpore* re-

resurgit, *quod quidem corpus cum divinitate conjunxit*, *non amplius dissolvendum nec amplius perpessionibus obnoxium*, *nec sub dominatum mortis iturum*, quod idem docet Hæresi 66. quæ est Arianorum.

Sic S. Hilarius canone 33. in Matth. ad illa Christi verba, *Deus meus*, *Deus meus*, &c. *clamor*, inquit, *ad Deum Corporis vox recedentis a se Verbi Dei contestata dissidium*.

S. Ambrosius in Lucam lib. 10. *Clamavit Jesus voce magna dicens*, *Deus Deus meus respice in me*, *quare me dereliquisti? clamavit homo divinitatis separatione moriturus*. *Nam cum divinitas mortis libera sit*, *utique mors esse non poterat nisi vita discederet*, *quia vita divinitas est*.

Item Leoporius in Libello Emendationis, *divinitas*, inquit, *cum unica sibi anima non crucifixum hominem reliquit in pœnam*, *sed exanimem carnem deseruit ad tempus*.

Ex iis Patribus Ambrosium ab illo errore vindicare conantur Hugo Victor. lib. 2. de Sacram. p. 1. c. 10. & Magister Sent. dis. 3. lib. 3. quasi voluerit Verbum tunc reliquisse corpus suum quoad unionem. Sed ista interpretatio, ut puto, minus cum Ambrosii textu cohæret. Eadem expositione sed felicius meo quidem judicio Hilarii verba emolliunt PP. Benedictini in sua Præfatione.

Ut ut sit, aliam prorsus sententiam amplexos ultro fuisse cæteros omnes Patres, jam nemini dubium videtur; atque id potissimum propugnarunt ii veteres qui Arianos & Apollinaristas insequuntur quod dicerent Verbum ipsum Dei loco animæ fuisse in Christo; unde manifeste sequebatur Verbum in morte Christi ab carne fuisse sejunctum; quod quidem affirmare nefas pronunciant illi Patres. Ita S. Athanas. lib. de salutari Adventu Christi, & S. Gregor. Nissenus lib. 1. contra Eunomium & in Epistola ad Eustathiam & Ambrosiam. Quam doctrinam tradunt & cæteri, S. August. tractatu 67. in Joan. Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum c. 16. Ferrandus Epist. ad Severum. Joan. Damasc. lib. 3. cap. 27. Theodorus Abucara opusculo 32. Oecumenius comment. ad c. 2. Epistolæ ad Coloss. Paulinus Aquileiensis lib. 1. contra Felicem. Petrus Damiani opusculo primo. S. Bernardus l. 5. de consid. cap. 9. quibus addi potest, quod, cum in Concilio Tridentino quidam frater Armandus inter disputandum dixisset corpus Christi mortui sejunctum fuisse a divinitate, hoc idipsum illico retractare coactus fuerit, ut narrat Palavicinus lib. 10. hist. cap. 6.

Non est hic dissimulandum quam falsa & absurda sit duorum alioquin insignium Theologorum opinio, Hugonis scilicet Victorini & Petri Lombardi, qui Christum Dominum dicunt, per illud triduum, quo mortuus jacuit, nihilominus hominem fuisse. Ita quidem Hugo lib. 2. de sacr. p. 1. c. 11. his verbis: *Quid enim stultius est quam dicere quod tunc homo esse desinit*, *quando vere esse incipit*, *& tanto utique verius est in quo esse incipit?* atque hoc potissimum argumento nititur, quod anima sola persona sit, quod quidem quam ab omni ratione & sensu communi alienum sit, nemo non videt.

Deinde Magister Sententiarum lib. 3. dist. 22. ubi quæstionem istam proposuit, quorumdam adducta sententia, qui Christum ideo negabant fuisse hominem, quia mortuus homo, non est homo, sic respondet: *licet homo mortuus fuerit*, *erat tamen in morte Deus homo*; *nec mortalis quidem*, *nec immortalis*, *& tamens vere erat homo*. *Illæ enim & hujusmodi argutiæ in creaturis locum habent*, *sed fidei Sacramentum a Philosophicis argumentis est liberum*. Hanc vero istorum Doctorum sententiam notasse jam nunc satis erit, quippe quæ, ut per se patet, majori confutatione non eget; quis enim adeo supinus ut non vi-

videat hominem mortuum non esse verum hominem?

Quæres hic obiter, an perpetuo futura sit unio hypostatica Verbi cum natura humana.

Respondeo duos non infimæ notæ Scriptores erroris hac in parte accusari, Origenem videlicet & Marcellum Ancyranum.

Censuit quidem Origenes perpetuum non fore Christi regnum, prava imbutus opinione de interituris aliquando corporibus, si fides adhibeatur Theophilo in Paschali Epistola secunda, & D. Hieronymo Epist. 59. ad Avitum. Sed in hoc errasse Origenem non ita certo constat, tum quia de regno Christi nec de Incarnatione loquitur apud Theophilum; tum vero quia error iste notatus ab Hieronymo nullibi legitur in scriptis Origenis.

Quod spectat Marcellum Ancyranum, si quamplurimis Orientalibus non esse fidem abrogandam merito existimamus, Christum docuit desiturum post ultimam mundi conflagrationem, ut testantur Socrates lib. 2. cap. 19. Euseb. lib. 3. de Eccles. Theol. cap. 13. S. Cyrillus Jerosol. catech. 15. S. Basil. Epist. 52.

Atque ad istam hæresim funditus evertendam valet quod legitur c. 1. *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Valet & illud quod ex Apostolo petitur de æterno Christi Sacerdotio, Heb. 7. cap. *Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habent Sacerdotium.* Valet denique quod idem docet Epist. ad Rom. c. 6. *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

Quapropter in istam fabulam insurrexerunt veteres pene omnes ac singuli, S. Greg. Nazianz. orat. 36. S. August. l. 1. de Trinit. cap. 8. S. Chrysost. Homil. 11. in Joan. S. Hier. comment. ad 1. cap. Epist. ad Ephes. Prudent. in Apotheosi. Gelasius in Epistola 2. quibus adjungi debet, primam Synodum generalem Constantinopolitanam an. 381. nominatim in suo symbolo id expressisse his verbis, *cujus regni non erit finis.*

An Christus fuerit corpore formosus.

IN hac quæstione, quæ videtur plus habere curiositatis quam necessitatis, id fundamenti loco esse potest, nihil certi super ea re colligi posse ex sacris Scripturis.

Primo, quia istud penitus siluerunt Evangelistæ qui Christi vitam, mores & gesta memoriæ tradiderunt; nec intelligo quid sibi velit nuperus autor hæc scribens de Christi pulchritudine quæ probari non potest autoritate Scripturarum, *cum apud eos Scriptores non legitur, intelligitur; cum non negatur, asseritur; cum tacetur, clamatur.* Siquidem hic non de jure sed de facto agitur; adeoque leviter admodum quisque pulchritudinem Christo affingeret, nullo id comprobante testimonio; & multo minus ex silentio Evangelistarum.

Secundo, quia ex una parte Christo tribuuntur hæc Psal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Verum id non de corpore, sed de anima explicanda esse censent fere omnes Interpretes: ex altera vero parte ad Christum pertinere creduntur ista Isaiæ verba cap. 53. *non est species ei neque decor, & vidimus eum despectum & novissimum virorum.* Quæ quidem alii de temporibus passionis Christi intellexerunt, alii ad omnem ejus mortalem trahunt vitam.

Tertio, quia nec ad pulchritudinem Christo asserendam adduci debet, quod illius corpus de Spiritu sancto fuerit conceptum; quæ ratio est omnino inanis

ac

ac frivola; unde enim debuisset esse incorruptibile & nulli dolori obnoxium, quod ita non esse abunde demonstravimus. Neque ex adverso ut Christum fuisse deformem evincatur, quicquam prodest illud Apostoli ad Philip. *formam servi accipiens* quasi abjectam & illiberalem sumpserit formam; quia certe id de ipsa natura humana suscepta intelligi debet.

Ex quibus manifeste liquet nihil certi hoc in negotio colligere posse vel accutissimum Scripturarum Interpretem; unde factum est, ut in varias facile abierint sententias antiqui Patres, quas quidem referre hic nobis sat erit; penes lectorem sit judicium. Ac primo pulchritudinem & corporis elegantiam Christo detrahunt.

Clemens Alexandr. l. 3. Pedag. c. 1. *Verum*, inquit, *non ille carnis pulchritudinem, quæ specie quadam illudit; sed veram animæ corporisque pulchritudinem ostendit, animæ quidem beneficentiam, carnis vero immortalitatem*. Lib. 3. Strom. ait *caput ipsum Ecclesiæ, Christum in carne specie carentem & deformem transiisse, ut nos doceret ad divini principis expertem speciei & corporis statum respicere*, & l. 6. *Dominus*, inquit, *non frustra voluit vili uti forma corporis, ne quis elegantiam & pulchritudinem admirans, ab iis quæ dicuntur, absistat*.

Origenes cui objecerat Celsus corpus Christi fuisse pusillum & deforme ac minime generosum, respondet lib. 6. *extra controversiam scriptum esse Jesu corpus deforme fuisse, non tamen minime generosum*.

Tertull. lib. de carne Christi cap. 9. *adeo*, inquit, *nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cælestis claritatis tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu ejus ipsæ passiones ipsæque contumeliæ loquuntur, passiones quidem humanam carnem, contumeliæ vero inhonestam probavere. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum, ullam sputaminibus contaminare faciem, nisi merentem*.

S. Cyprianus lib. 2. adversus Judæos hæc Isaiæ verba Christo accommodat, *Non est figura ejus, neque claritas, & vidimus illum, & non habuit figuram neque speciem, sed figura ejus sine honore & deficiens præter cæteros homines*.

S. Basilius in Psal. 44. *Speciosum forma Dominum appellat, ubi in ejus divinitatem animum intendit*. Quæ eadem habent Cyrillus in caput 53. Isaiæ, & Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 130.

Verum pulcherrimam fuisse & elegantissimam Corporis Christi formam existimarunt alii. S. Hieronymus in Matth. cap. 9. hæc scribit, *Certe fulgor ipse & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu*. Et in c. 21. *Igneum quiddam*, inquit, *atque sydereum radiabat ex oculis ejus & divinitatis majestas lucebat in facie*. Et Epist. 140. ad Principiam; *Nisi habuisset & in vultu quiddam oculisque sydereum, nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli, nec qui ad comprehendendum cum venerant, corruissent*.

S. Chrysost. homil. 27. in Matth. *Non enim*, inquit, *miracula duntaxat faciens, admirabilis erat, sed etiam cum simpliciter aspiceretur, ingenti abundabat gratia. Atque hoc Propheta significans canebat; Speciosus forma præ filiis hominum. Quod autem Isaias dicit, non habebat speciem neque pulchritudinem, vel ad divinitatis gloriam arcanam illam & inexplicabilem respiciens ita loquitur, vel ea narrans quæ passionis tempore contigerunt, nempe dehonestationem illam quam in cruce pendens sustinuit, & abjectionem quam per omnia toto vitæ suæ tempore præ se tulit*.

Quod spectat S. August. ita quidem de Christi pulchritudine loquitur metaphorice & allegorice, eam ad divinitatis, vel animi, vel virtutis præstantiam referens, ut quid de ista, quæ cor-

corporis est, senserit, plane sit obscurum. Sic inter cætera alia loca proferri potest quod scripsit sanctus Doctor tractatu 9. in Epist. 1. Joan. *Quomodo*, inquit, *invenimus pulchrum Jesum? speciosus forma præ filiis hominum, quia in principio erat Verbum, & Deus erat Verbum. Quia vero carnem suscepit, quasi fœditatem tuam suscepit, id est, mortalitatem tuam: ut aptaret se tibi, & congrueret tibi & excitaret te ad amandam intus pulchritudinem. Unde ergo invenimus, quia fœdus & deformis Jesus, sicut invenimus, quia pulcher & speciosus forma præ filiis hominum? Esaiam interroga; & vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem. Illæ sunt duæ tibiæ quasi sonantes, sed unus Spiritus ambas inflat*. Vide & Enarr. in Psal. 103. & 127.

De Anima Christi.

Circa animam, quæ est altera pars naturæ humanæ a Verbo Dei susceptæ, hæc examinanda incumbunt.

Primo, an vera fuerit in Christo anima rationalis.

Secundo, utrum in ejus intellectu, qui prior animæ facultas, fuerit scientia & qualis.

Tertio, an fuerit in eo voluntas humana præter divinam. Cui quæstioni appendicem subnectemus de sententia Honorii summi Pontificis.

Quarto, subinde agemus de libertate Christi.

Quinto, an & qualis in eo fuerit gratia.

An vera fuerit in Christo anima.

Duo hic potissimum notantur errores, primus Arianorum, alter vero Apollinaristarum.

Nullam in Christo esse animam docuerunt Ariani, qui, ut in carne passum filium Dei melius persuaderent, animæ instar fuisse corpori divinitatem illam Verbi velut secundariam contendebant, ut testatur S. August. lib. de hæref. cap. 49. his verbis: *In eo autem quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt, nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re fuisse certatum. Sed hoc verum esse & Epiphanius non tacuit, & ego eorum quibusdam scriptis & collocutionibus certissime comperi*. Ideo vero hæc Arianorum perfidiæ pars a sanctis Patribus vel levius perstricta fuit, vel prorsus omissa; quia non erat nisi consectarium quoddam eorum contra filii consubstantialitatem insaniæ.

Apollinaristæ, duce Apollinari Laodicæno Episcopo, insigni doctrina & litterarum omnium scientia clarissimo, primum docuerunt, ut ait Socrates lib. 2. c. 46. *hominem absque anima a Deo Verbo assumptum esse in dispensatione Incarnationis; postea vero tanquam pœnitentia ducti, ac pristinum emendantes errorem, adjecerunt animam quidem assumptam esse, sed quæ mentem non haberet; Deum autem Verbum mentis loco esse in homine assumpto; in hoc igitur solo a Catholicis dissidere se dicunt, qui ab illorum nomine vocantur Apollinaristæ, Nam Trinitatem quidem consubstantialem esse profitentur*. Ex quibus patet inter se hoc in negotio dissensisse Arianos & Apollinaristas, quod illi filium Dei negarent summum Deum & Patri consubstantialem, cum Christo animam tollebant; isti vero similiter animam Christo detraxerint, aut mentem; sed cujus vices suppleret vera divinitas.

CONCLUSIO.

Extitit atque etiamnum extat vera in Christo anima.

Probatur ex Scripturis, & 1. ex iis locis in quibus legitur Christum esse verum hominem nostri similem & inter nos humano more versatum ac locu-

cutum; nequit enim cogitari verus homo ſine anima rationali, quæ pars eſt hominis neceſſaria & ſubſtantiva. 2. Ex aliis ejuſdem Scripturæ locis, quæ nominatim Chriſto tribuunt animam, Joan. 10. Chriſtus ait, *animam meam pono pro ovibus meis . . . ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam a me, ſed ego pono eam a me ipſo*. Matth. 26. *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Act. 2. cap. Hoc pro Chriſto uſurpat divus Petrus ex Pſal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Tum denique quod Chriſtus paſſim dicitur eſurire, ſitire, timere, pavere, triſtari ac demum & mori; quæ quidem omnia veram ſupponunt animam, neque enim vel in corpus ſolum, vel in ipſam immediate divinitatem cadere poſſunt timor, triſtitia, & aliæ ejuſmodi affectiones.

Quibus profecto aſtipulantur omnes Patres, quorum multa jam adduximus teſtimonia, ubi duas eſſe in Chriſto naturas oſtendimus adverſus Eutychianos, & poſtmodum cum Chriſti carnem veram eſſe & paſſibilem demonſtravimus.

Tertull. lib. de Reſurr. carnis c. 40. *Porro*, inquit, *nec anima per ſemetipſum homo, quæ figmento jam homini appellato poſtea inſerta eſt, nec caro ſine anima homo, quæ poſt exilium animæ cadaver inſcribitur*.

S. Athanaſ. ait in Epiſt. ad Antiochenſes adverſus Apollinarem, *cum Dominus propter nos homo factus ſit, non poſſe corpus ipſius eſſe mentis expers, aut animæ*. Ita cæteri nullo excepto, quibus adjici merito poteſt hanc Apollinariſtarum inſaniam in generali Concilio Conſtantinop. damnatam an. 381. ut conſtat ex Epiſtola Synodica Patrum ad Damaſum quam refert Theodoretus.

Objiciebant Apollinariſtæ iſtud Joan. 1. *Et Verbum caro factum eſt*, ex quo conſequi volebant Verbum aſſumpſiſſe carnem ſine anima, aliter dixiſſet Evang. Verbum factum fuiſſe hominem.

Sed nullo negotio ſolvitur hæc objectio; ſi nempe dicatur carnem ibi totum ſignificare hominem, quod maxime uſitatum eſt in Scripturis, ſic Geneſ. cap. 6. *caro omnis corruperat viam ſuam*, cap. 9. *interficietur omnis caro*, Pſal. 64. *ad te omnis caro veniet*. Ubi caro pro toto ſumitur homine. Quapropter pro iſtis Evangeliſtæ verbis, *Et Verbum caro factum eſt*, ante Apollinarem poſuerant Patres Nicæni, *Et homo factus eſt*, ſcilicet ut ait S. Auguſtin. Epiſt. 140. *more ſuo Scriptura ut Chriſti humilitatem magis oſtenderet, ne carnis nomen quaſi indignum aliquid refugiſſe videretur, carnem pro homine poſuit, nec enim quia ſcriptum eſt, videbit omnis caro ſalutare Dei, animæ ibi non ſunt intelligendæ. Nihil proinde aliud dictum eſt, Verbum caro factum eſt, quam ſi diceretur, filius Dei filius hominis factus eſt*.

Deinde vero nec mente humana deſtitutum fuiſſe Chriſtum, quod poſterius fuit Apollinaris commentum, iiſdem plane argumentis oſtenditur. Is enim mentem humanam aſſumpſit qui verus fuit homo, perfectus homo, in quo fuere omnes abſconditi ſapientiæ & ſcientiæ theſauri; ſuper quem requievit Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, intellectus, conſilii & fortitudinis, qui non modo ætate, ſed & ſapientia proficiebat: atqui hæc omnia & ſimilia de Chriſto leguntur in Scripturis: ergo Chriſtus fuit ſimiliter mente humana præditus.

De ſcientia Chriſti.

DUplicem Chriſto ineſſe ſcientiam, divinam nimirum & humanam, ea profecto probant argumenta, quibus jam abunde a nobis oſtenſum eſt duas in eodem eſſe naturas; cum enim perfectæ ſint illæ naturæ ſuiſque omnibus doti-

todibus & proprietatibus instructæ, necesse est, ut in utraque admittatur cognoscendi facultas; adeoque & cognitio, scentia, notitia.

De scientia divina Christi quæ ipsi ut Deo competit, estque communis Patri & Spiritui sancto, jam præsenti loco disputare non vacat; siquidem de ea in nostro de Attributis Tractatu satis superque disseruimus. Quocirca de humana Christi scientia agendum nobis superest; non equidem ut contendamus an sit in eo aliqua creata & humana scientia; etenim, ut modo monebamus, dubitari non potest quin hæretica foret opinio eorum qui affirmarent nullam in Christo esse scientiam, quippe quæ in Arianis & Apollinaristis animam rationalem aut mentem a Christo summoventibus profligata est Conciliorum decretis. Sed quæritur, utrum plena illa & ita perfecta fuerit scientia, nihil ut eam penitus latuerit. Qua de re quatuor examinari solent a Theologis.

Primo, an Christi anima perfectam rerum omnium habuerit scientiam ab initio sibi a Deo infusam.

Secundo, utrum ab ipso conceptus sui exordio, visione intuitiva & beatifica potitus sit Christus.

Tertio, utrum & divinitatem ipsam comprehenderit.

Quarto, an alia quoque fuerit in Christo scientia quæ dicitur acquisita & experimentalis.

An Christus perfectam rerum omnium habuerit scientiam.

CHristo homini rerum multarum ignorantiam tribuerunt in quavis ætate nonnulli Hæretici.

1. quidem ei saltem infusam a conceptu rerum omnium notitiam veteres detraxerunt Gnostici, quem sub ferula præceptoris alphabeto operam dedisse fabulabantur, teste S. Irenæo lib. 1. cap. 17.

2. Ariani qui cum Christum negarent verum & supremum Deum, ejus qualicumque divinitati ignorantiam impingebant, ut fuse disputat S. Athanas. orat. 4. contra Arianos.

3. Nestoriani, siquidem Theodorus Mopsuestenus Nestorii magister, Christum ignorantia laborasse censuit, teste Leontio lib. 3. contra Nestorium, & postea Leporius Monachus, ut constat ex libello emendationis quem emisit; tum ipse Nestorius, ut patet ex S. Cyrillo, cujus modo referam testimonia, & demum Felix Urgelitanus octavo sæculo Nestorianam impietatem suscitans, ut scribit Agobardus sub initium libri in eundem Felicem.

4. Eutychiani in quorum sinu nova exinde emersit factio, quæ Themistio duce dicta est *Agnoetarum* ab ignorantia quam Christo tribuebant; qui vero id factum fuerit, facile non intelligitur; siquidem unam in Christo esse naturam, divinam scilicet, ajebant isti hæretici, secum in ea re manifeste pugnantes.

5. denique, Novatores nostri, qui referente Feverdentio in Irenæum eo impietatis progressi sunt, ut Christo rerum multarum inscitiam imputent: sic Calvinus suis in Harmoniam commentariis. Bentius hom. 9. in Lucam. Gualterus homil. 112. in Marcum. Grotius ad c. 13. Marci & alii passim, in quos omnes sit.

CONCLUSIO.

Christus etiam ut homo plenam semper habuit rerum omnium scientiam.

Ac primo pauca esse admodum loca in Scripturis, ex quibus evincatur hæc in Christo scientia, ob id cordate fatemur, quod, quæ solent a multis Theologis promiscue usurpari, ut quod Joan. 1. *omnia per ipsum facta sunt*, quod Petrus Christo dixit, *Domine tu omnia nosti*, & alia id genus, ea de Christo, ut Deus est, facile exponant adversarii;

neque

neque enim Deo verbo inscitiam tribuunt. Veruntamen alia nonnulla puto efficacissima, quæ quidem ab iis eludi non possunt, quippe quæ & de Christo homine certo pronunciantur.

De Christo homine ista prædixerat Isayas cap. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis*. De Christo homine scribit Joannes cap. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis*. De Christo homine loquitur D. Paulus Coloss. 2. *Christi Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, proindeque Christus ut homo plenam & perfectam rerum omnium habuit scientiam.

Probatur 2. ex sanctis Patribus.

S. Justinus Christo inscitiam rei cujuspiam tribuere neminem posse citra impietatem docet quæst. 58. ad orthodoxos, sic enim habet: *Si Christo ignorantiam adscribere impietatis est, certum fuerit omnium eum obtinere præscientiam perfectam, quomodo ergo non est proditionis Judæ & jurisjurandi sacramento confirmatæ negationis Petri causa, qui hæc præsciverit, & non impediverit*. In responsione autem hanc difficultatem exponit, fassus fuisse in Christo perfectam futurorum præscientiam, & idcirco impietatis esse Christo ignorantiam ascribere.

Origenes comment. in Matth. ad illa Christi verba *intellexistis hæc omnia* quæ habentur c. 13. sic differit. *Qui novit quæ sunt in cordibus hominum Christus Jesus, sicuti de hoc docuit in Evangelio Joannis non ignarus interrogat. Sed quoniam semel assumpserat hominem, utitur omnibus quæ sunt hominis, quorum unum illud est interrogare. Nec mirandum si id facit Servator, cum ipse etiam omnium Deus, moribus hominum sese accommodans, perinde ac si quis homo morem gerat filio suo percontetur, velut in hoc, Adam ubi es? & ubi est Abel frater tuus?*

S. Chrysostomus eadem & similia pene exscribit Sermone 21. in Lazarum, ubi licet de Christo, qua Deus est, locutus videatur, tamen ei universe ignorantiam impingi non posse significat: *Qui fit*, inquit, *ut eum Christiani Deum habeant, qui locum ubi mortuus jacebat Lazarus, ignorabat, quandoquidem sororibus Lazari Marthæ & Mariæ dicebat ubi posuistis eum? Ignoravit, ait, Christus, o Judæe, quia dixit ubi posuistis eum? itaque ignoravit etiam in Paradiso Pater, ubi absconditus esset Adam, circuibat enim quasi eum in Paradiso quærens ac dicens, Adam ubi es? quasi diceret ubi absconditus es?*

S. August. lib. de peccatorum meritis cap. 29. scribit nullam ne in infante quidem Christo ignorantiam extitisse, *quam plane ignorantiam*, inquit, *nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est ut habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem, in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis*.

Sic Leporius in libello emendationis, qui ipsius Augustini & aliorum quorumdam Africanorum Antistitum calculo approbatus est, quod alias Christo inscitiam tribuerat, expresse revocavit his verbis, *sed nunc dicere non præsumo, verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam, quia dici non licet etiam secundum hominem ignorasse Dominum Prophetarum*.

S. Cyrillus lib. 3. contra Nestorium eadem aperte docet: *Credimus*, inquit, *ex ipso ventre, uteroque Virginis Emmanuelem ipsum, qui Deus erat, hominem prodiisse, plenum omnino sapientia & gratia quæ illi naturaliter inerat. Quodnam igitur incrementum caperet ille, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ?*

Eulogius Alexand. apud Photium cod. 230. Agnoetas dedita opera refellit. *Non enim humanitas*, inquit, *in unam hypostasim cum inaccessa & substantiva sapientia ignorare aliquid potest*;

neque præsentium, neque futurorum .... siquidem neque secundum divinitatem, neque secundum humanitatem affirmare in illo ignorantiam extitisse periculosæ temeritatis est expers.

Quam vero sententiam temeritate plenam dixerat, Eulogius hæreticam appellat Gregor. M. lib. 8. Epist. 42. *res autem*, inquit, *valde manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoeta esse nullatenus potest ... quia de doctrina vestra contra Hæreticos, qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde quod admiraremur, quod autem displicet non fuit.*

Denique S. Joan. Damascenus docte simul & copiose insurgit lib. 3. cap. 22. in eos qui Christum dicunt in sapienpientia progressum fuisse. *Nam si vere*, inquit, *caro est conjuncta Deo Verbo, ab ipso extandi primordio vel potius in ipso extitit, & hypostaticam cum illo identitatem habuit, qui fieri potuit, ut non perfecte omni sapientia & gratia locupletata sit.*

Probatur 3. ratione. Siquidem multiplex quod fuit in Christo munus postulabat, ut ejus anima rerum omnium plena cognitione decoraretur; fuit enim Dei & hominum mediator, omnium vel & Angelorum caput; atque, quod summa rei est, personam gessit & dignitatem Judicis, quas partes cum venturus sit aliquando implere, debuit profecto nosse præstitutum judicii diem.

Objicies. Multa ignorasse Christum, satis aperte declarant Evangelistæ quibusdam in locis, ubi Christum inducunt dubitantem, quærentem, nescientem. Joan. cap. 11. cum nesciret sepulchrum Lazari, dicit sororibus ejus: *Ubi posuistis eum?* Joan. cap. 21. cum ignoraret utrum plus diligeretur a Petro quam ab aliis Discipulis, interrogat eum, *Simon Petre, amas me plus his?* & alia id genus: ergo non fuit in Christo plena rerum omnium notitia.

Resp. nos jam abunde huic difficultati solutionem perstruxisse ex adductis Origenis & Chrysostomi testimoniis, qui negant ignorantiam in Christo fuisse, quod de multis rebus ignorantium more sciscitatus legitur in Scripturis; quia, inquiunt, inde colligeretur fuisse quoque in Deo Patre multorum inscitiam, quippe qui inducitur homines nonnunquam interrogare, ut cum ait Genes. 3. *Adam ubi es?* & Genes. 9. *Ubi est frater tuus?* ejusdem libri c. 18. Deus dicit Abraham, *Quare risit Sara?* sed nemo, ut opinor, ex adversariis Deo ipsi propterea ignorantiam impinget; quapropter dicimus Christum Dominum in iis Scripturæ locis, hominum moribus sese accommodare, quorum unus ille est, interrogare, ac si dubitaret, aut plane nesciret quod percontatur, quibus adde quod respondet S. Athanasius orat. 4. contra Arianos, ejusce modi interrogationes non ex inscitia fieri, sed plerumque iis de rebus nos percontari solere, quas perfecte novimus, sicut cum Matth. 8. fidem Centurionis admirari videtur Christus, non sic loquitur quod eam ignoraret, sed quod eam cæteris ut mirabilem commendare vellet.

Objicies. Christus ignoravit diem judicii, ut ipse fatetur Matthæi 24. *De die autem illa & hora nemo scit neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater;* & Marci 13. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius nisi Pater.* Ergo Christus plenam rerum omnium non habuit scientiam. Atque ob illa Scripturæ loca Christo homini ignorantiam diei ultimi judicii catholice imputari posse, ex eo colligitur maxime, quod ea fuerit omnium fere Patrum sententia, qui hoc ipsum de Christo non dubitarunt dicere.

S. Athanas. orat. 4. contra Arianos, *Verumtamen*, inquit, *si contentiosius in eo perseverent, quod Christus interrogaverit, Audiant a nobis, nullam in divinitate ignorantiam esse, carnis vero esse proprium ignorare.* Et in fine Epist. ad Se-

Serapionem, *hominum*, inquit, *proprium est nescire, sicut esurire, & cætera. Propterea ignorantiam hominum, tanquam homo factus ostendit; primum quidem ut demonstret humanum habere se revera corpus, deinde ut & hominum ignorantiam habens in corpore, ab omnibus liberatum & repurgatum hominem, perfectum ac sanctum Patri repræsentaret.*

Eustathius Antiochenus lib. 6. adversus Arianos apud Facundum lib. 11. idem plane docet ubi nempe istud Matt. explicat, *Nemo scit diem illum*, cui & adjici possunt S. Hilar. lib. 9. de Trin. & S. Ambros. lib. 2. de fide.

His astipulatur S. Basilius Epist. 391. ad Amphilochium qui ea de quæstione sciscitatus fuerat, respondet ille Christum ut hominem judicii tempus ignorasse: *ac si quis*, inquit, *ignorantiam illam ad eum referat, qui dispensatione quadam omnia in se susceperit, & sapientia atque gratia apud Deum & homines profecerit, non aberraturum a pio Scripturæ sensu.*

S. Greg. Nazianz. Christum ait orat. 36. *nosse quidem tanquam Deum, ignorare vero ut hominem, si quis, quod apparet in Christo ab eo secernat, quod mente percipitur.*

Cyrillus & Theodoretus in sua circa Incarnationem dissentione, in eo aperte concordant, quod extremi judicii diem & momentum ignoraverit Christus ut homo. Theodoretus quidem ad Anathematis. 4. *Non erat*, inquit, *ignorantia ista Dei Verbi, sed servilis formæ, quæ tanta per id tempus noverat quanta habitans in ea divinitas revelarat*, & Cyrillus lib. 22. Thesauri, *Igitur*, inquit, *novit quidem ipse divinitus utpote sapientia Patris. Sed quoniam ignorantis humanitatis mensuram subiit, per dispensationem istud etiam cum aliis sibi, tanquam proprium ascivit.* Quibus similia tradit lib. 2. de fide.

Denique S. Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum cap. 7. idem docet his verbis: *Nam si vera caro in Christo non fuit, quid in utero Virgo concepit? & si anima vel intellectus naturæ in Christo desuisse credatur humanæ; quid in infante bonum malumque dicitur ignorasse? an illam divinam filii Dei naturam ignorantiæ boni malique subjicimus, ut humanam in Christo animam denegemus?*

Non moror ad solutionem istius difficultatis, quod censent Hieron. in cap. 24. Matth. & Ambr. lib. 5. de fide cap. 7. hæc verba Marci *neque filius*, non ipsum Marcum autorem habere, sed ab Arianis olim textui fuisse inserta. 1. Quia hujusce interpolationis fraudulentæ Arianos non insimulant SS. Patres. 2. Quo pacto corruptio isthæc irrepere potuisset in omnes omnino codices? cum multi in orthodoxorum manibus permanserint. 3. Quia Irenæus lib. 2. c. 48. & Tertull. lib. adv. Prax. c. 26. hæc verba legunt; quapropter

Dist. ant. Christus ignoravit diem extremi judicii, secundum quid & respectu discipulorum, C. simpliciter & absolute, N. scilicet, ut jam diximus, ubi de Christi divinitate in Tractatu de Sanctissima Trinitate, Christus Dominus uti voluit dissimulatione & reticentia erga suos discipulos, quos volebat avocare ab inquisitione rei tam arcanæ; siquidem rei cognitionem nimia curiositate affectabant quæ humanas valde vires excedebat; sed secundum propriam scientiam revera non est locutus, quasi vel etiam qua homo erat, nescierit diem & momentum judicii, idque constat.

Primo, quia non omnia quæ sciebat Christus, sed quæ Pater revelanda jusserat, reapse revelabat hominibus ut ipse testatur Joan. 12. *Ego ex me ipso non suum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar.*

Secundo, quia Christum etiam ut hominem præscii sse diem extremi judicii, ex eo colligitur aperte quod Act. 10.

10. *a Deo constitutus fuerat Judex vivorum & mortuorum* . & Joan. 5. *Pater non judicat quemquam* , *sed omne judicium dedit Filio*, cum præsertim illius diei locum , signa, causas, & circunstantias omnes accurate descripserit Lucæ 17. & Matth. 25. quod egregie observat divus Ambrosius lib. 5. de fide cap. 10. his verbis, *quomodo nescit judicii diem*, *qui & horam judicii & locum & signa expressit & causas*. Quin & Hilarius lib. 9. *dies suus est secundum Apostolum & ignoratione ejus detineri intelligendus est?*

Quapropter ad præfata sanctorum Patrum loca, qui Christo homini notitiam extremi judicii detrahere videntur. Respondeo eos non id ex propria mente, proprio sensu dixisse; sed quadam veluti concessione facta hæreticis quos impugnabant; idque nemo non videbit, qui ad eorum propositum & loquendi rationem attendet. Ac primo quidem S. Athanas. Eustatius, Hilarius, S. Greg. & S. Ambros. rem habebant cum Arianis qui Christo ignorantiam, ut & cæteros defectus impingebant; hanc autem injuriam a divinitate Verbi cum præfati Patres avertere cuperent, eam derivare in humanam naturam fassi sunt, dato, ut aiunt in scholis, non concesso; id unum scilicet studebant, ut suam Verbo divinitatem assererent.

Secundo, est etiam cur Cyrillus & Theodoretus in istam sententiam descendere visi sint; ille quidem disputabat ut uni eidemque personæ diversa plane & contraria competere, hic vero ut duas esse in Christo naturas, ostenderet.

Tertio, adversus Arianos & Apollinaristas pugnat Fulgentius, animam illi, mentem isti Christo detrahebant; unde ex ignorantia qualicumque & si qua fuerit, animam Christo, seu vera esset, seu apparens & in hominum opinione tantum vindicabat Fulgentius. Atque hanc fuisse illius mentem vel ex eo liquet, quod animæ Christi comprehensionem ipsius divinitatis tribuere in responsione ad interrogationes Ferrandi, quod quidem paulo post sumus examinaturi, nedum censeatur existimasse quandam in ea fuisse ignorantiam.

Denique Origenem nullam Christo, etiam qua homo est, imputasse ignorantiam satis clare evincitur ex ejus testimonio superius adducto; qui proinde præfati loci aliam explicationem suppeditavit, ut & S. Basilius Epist. 391. *Non novit diem*, inquit, *non aliud subindicat*, *quam rerum tum præsentium*, *tum futurarum scientiam Patri comprimis ascribendam esse*, *primamque omnium causam Patrem esse*.

Objicies 2. aliud Scripturæ testimonium Lucæ capit. 2. *Et Jesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines:* ergo saltem ab initio plenam non habuit rerum omnium scientiam. Atque similiter ob illum Scripturæ locum, in scientia & sapientia profectum Christo tribuisse multos e sanctis Patribus manifeste constat; hos inter merito laudari possunt:

Eustathius Antiochenus hoc ipsum expresse scribens in libro contra Arianos apud Gelasium Papam in libro contra Eutychem & Nestorium. S. Epiphanius hæresi 77. contra Dimæritas qui & Apollinaristæ erant, ubi sic habet: *Quippe si ab humana mente vas illud alienum extitit*, *quomodo in sapientia procedebat?* & *si mentis expers fuit*, *quomodo sapientia ipsa in anima procedebat & corpore?* Proclus Epist. ad Armenos, *ipse est*, inquit, *unus & solus filius*, *qui antequam esset Abraham*, *extitit*, & *in novissimis temporibus processit sapientia & ætate secundum carnem*.

S. Ambros. libro de Incarnat. c. 7. *Quo modo*, inquit, *proficiebat sapientia Dei*, *doceat te ordo verborum*, *profectus est ætatis & profectus sapientiæ*, *sed humanæ est: ideo ætatem ante præmisit*, *ut secundum hominem crederes dictum*, *ætas*

enim

enim non divinitatis sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. S. Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum cap. 18. *Sapientia quoque novimus*, inquit, *Christum secundum animam profecisse, sed sapientia Christus non potuit cum anima proficiente proficere, ac per hoc idem Christus & in carne sua crevit, & in anima sua profecit.* Vigilius Tapsensis lib. 5. contra Eutychem, ut duplicem Christo afferat naturam, illas assumit Scripturæ sententias, in quibus crevisse Christus, sapientia impletus, atque nostrum hunc Lucæ locum profert. Idem docet Rupertus libro primo in Genesim cap. 21. igitur.

Dist. ant. Jesus proficiebat sapientia, eo sensu quod ejus sapientia magis magisque in dies manifestabatur, C. eo sensu quod revera progressum faciebat, & aliquid accessionis vel incrementi accipiebat, N. Id unum igitur docet S. Lucas Christum majoribus identidem indiciis per sua nimirum opera, ab initio infusam sibi sapientiam manifestasse, quod enim in effectu crescit, hoc crescere quandoque dicitur, ut Actorum c. 6. *Verbum Dei crescebat*: & cap. 14. *fortiter crescebat Verbum Dei*. Quibus adde quod Christi profectum in sapientia & scientia sic interpretantur plerique veteres ac singuli deinceps Theologi. Et quidem ad id proferemus.

S. Athanasium orat. 4. contra Arianos, *Non igitur Verbum qua Verbum*, inquit, *erat id quod proficiebat, utpote quod perfectum est e perfecto Patre rei nullius indigens, sed & alios ad profectum deducens. Verum humano more dictum est hoc loco proficere, quandoquidem proprius est hominum profectus ... sic enim augescente secundum ætatem corpore, augebatur etiam in eo divinitatis ostensio.*

S. Greg. Nazianz. qui in priori Epist. ad Cledonium hæc Lucæ verba in quibus sapientia & gratia profecisse dicitur Christus, de *manifestatione* interpretatur. Idque tradit disertius orat. 20. quæ est funebris in laudem S. Basil. *Ille*, inquit, *proficiebat ut ætate ita sapientia & gratia, quod non incrementum ista caperent, quid enim eo, quod ab initio perfectum extitit, posset esse perfectius, sed quod ac paulatim aperirentur, ac sese proderent.*

S. Cyrillum eadem plane scribentem lib. 3. contra Nestorium: *Quomodo igitur*, inquit, *profecisse dictus est? Nimirum ut ego arbitror, quod Deus Verbum cum incremento & ætate corporis sui divinorum bonorum significationem commensus fuerit.*

Titum Bostensem comment. in cap. 2. Lucæ, *Implebatur*, inquit, *sapientia & gratia, non quod ejus accessionem ullam caperet, semper enim ex divinitate quod plenum & perfectum est, habebat; verum ideo quod Deus Verbum una cum corporis ætate, paulatim sapientiæ atque gratiæ ostensionem explicaret.*

Denique S. Bernardum Homil. 2. de laudibus B. M. Virginis. *Neque enim*, inquit, *minus habuit sapientiæ vel potius non minor fuit sapientia Jesus conceptus quam natus, parvus quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque profecto plenus fuit Spiritu sancto..... nam quod de sapientia & gratia hic dictum est Lucæ 2. non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est.*

Quibus adinstar coronidis adjungere possumus quod contra Theodorum Mopsuestenum definivit quinta Synodus can. 12. his verbis. *Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum & alium Christum a passionibus animæ & a deterioribus paulatim recedentem, & sic ex profectu operum melioratum & a conversatione immaculatum factum, &c. anathema sit.*

Ubi-

Ubi nempe Theodori Mopsuesteni Christum hominem dicentis meliorem ex operibus factum, adeoque in sapientia profecisse, damnatur sententia. Quapropter ut nihil difficutatis supersit ex illorum Patrum autoritate, qui aliquam scientiæ accessionem, aliquem profectum Christo tribuere videntur; respondemus ut supra, eos non ex animi sui sententia, sed ex quadam concessione locutos esse.

Instabis. Eodem modo Christus profecit sapientia, quo profecit ætate juxta citatum sancti Lucæ testimonium: atqui dubio procul vere Christus profecit ætate: ergo vere & non tantum apparenter profecit in sapientia.

Dist. ant. Eodem modo profecit in sapientia secundum ostensionem & manifestationem, C. in rei veritate, N. comparatio igitur est accurata, si sermo sit de sapientia Christi quoad ostensionem, vere enim in dies nova sapientiæ indicia dabat, sicut vere crescebat ætate.

At inquies, eo loci Christus profecisse dicitur in sapientia coram Deo: ergo non tantum apparenter & ex hominum opinione.

Nego conf. sensus est enim quod Christus sui in sapientia profectus, aut potius suæ sapientiæ vera dedit specimina Deo simul & hominibus nota, quæ quidem addit Evangelista, ut significaret talem intus Deo fuisse Christum, qualem se hominibus exhibebat foris; ne ejus ostentationem crederemus esse pharisaicam.

Objicies id quod legitur Lucæ 22. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum*. Atqui si Christus omnia etiam futura noverat, ei opus non fuit Angelo confortante; Angelus enim eum confortare non potuit, nisi cum illi quædam motiva consolationis ante incognita demonstravit: ergo revera Christus ut homo non novit omnia.

Resp. mihi hanc responsionem probari quæ est Epiphanii hæresi 69. & quorumdam aliorum Interpretum qui explicant hæc verba *confortans eum*, quasi dixisset Evangelista *laudans fortitudinem ejus* qua se mox obtulerat morti dicens, *non mea voluntas sed tua fiat*.

Hæc sunt verba S. Epiphanii nu. 60. *Confortent ipsum omnes Angeli Dei, non ut fortitudinem illi ac robur adjiciant, neque enim illorum confirmatione opus habebat: sed confortent, inquit, ipsum, hoc est, reddant ei vim suam ac fortitudinem acceptam illi referant. Nam & nos infirmi ac imbecilles Deo sæpenumero benedicimus, sæpe illi robur tribuimus, non quod benedictione nostra indigeat, sed ut expressam illa benedictione potestatem inesse in illo confiteamur. Hinc sigillatim ita prædicamus, tua est virtus, tua potentia, tuus est honor, tua est gloria, tua est benedictio. tua est fortitudo, tua est vis. Num igitur Deo fortitudinem tribuimus? Num virtutem illi nos conferimus? Num Deo benedicimus? Sed nimirum commemorando illa robore ac fortitudine divinam vim prædicando confitemur, ac Deo fortitudinem ascribimus*.

Quæres utrum Christus ejusmodi plenam rerum omnium scientiam habuerit in primo suæ conceptionis instanti.

Resp. affirmative. 1. quia id postulat ratio scientiæ infusæ & non acquisitæ, cur enim Deus hanc scientiam animæ Christi non infudisset ab initio, cum præsertim singulare hoc beneficium in gratiam unionis hypostaticæ fuerit Christi animæ indultum. 2. Quia hoc legitur Hebr. 10. c. Christus *ingrediens mundum dicit*, *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*. Quibus verbis significat se Patris voluntatem & totum Incarnationis mysterium agnovisse. 3. Quia hanc perfectam omnium notitiam ab initio fuisse in Christo liquido probant superius a nobis adducta & Scripturarum & sanctorum Patrum testimonia. Atque hæc momenta non mo-

modo evincunt Christo infusum fuisse ab initio scientiæ habitum, sed & innuere videntur illum habuisse actualem rerum omnium notitiam.

Quæres quid per illam scientiam infusam cognoverit Christus.

Resp. eum scientiæ illius beneficio cognovisse omnia increata & creata, naturalia & supernaturalia; siquidem id aperte demonstrant ea momenta quibus animam Christi nullius rei inscitia infuscatam ostendimus, atque in eo esse omnes scientiæ & sapientiæ thesauros absconditos.

Utrum anima Christi visione Dei intuitiva & beatifica ab initio potita fuerit.

QUæritur utrum ab eo momento quo existere cœpit anima Christi & hypostatice uniri Verbo divino, supremæ beatitudinis compos illico fuerit gaudens clara & intuitiva visione divinitatis; partem affirmantem tenent communiter omnes Theologi, quorum proinde sententiæ vehementer assentimur.

CONCLUSIO.

Anima Christi ab initio unionis hypostaticæ clare essentiam divinam vidit, indeque fuit summæ beatitudinis compos.

Probatur 1. ex iis Scripturæ locis, in quibus Christus dicitur plenus gratiæ & veritatis, Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis .... & de plenitudine ejus nos omnes accipimus*. Ad Coloss. 2. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*. Ex quibus cum manifeste colligi possit plenam perfectamque in Christo fuisse sapientiam & gratiam, sequitur necessario animam illius summa felicitate fuisse donatam; hunc enim nostrum peregrinantium statum aliter describunt Scripturæ sacræ, ubi imperfecta & ex parte solum dicitur nostra cognitio: *ex parte cognoscimus*, inquit Apostolus 1. Cor. c. 13. *& ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est .... videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*. At effectus præcipuus gratiæ & veritatis consummatæ est summa felicitas, visio beatifica essentiæ divinæ.

Valet autem ad hujus veritatis confirmationem quod dicit de se ipso Christus, Joan. 8. *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni & quo vado .... ego autem novi eum; & si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax*. Hic Christus novit Deum, non per fidem, *scio eum*, cum præsertim eum noverit perfecte; atque eum novit qua homo est, ut satis indicant, *scio eum & sermonem ejus servo*. Valet quoque quod de Christo legitur Hebr. 1. *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*. Non ergo solum habuit parem cum Angelis felicitatem, sed multo etiam majorem; adeoque Deo intuitive viso fruebatur.

Probatur 2. autoritate S. Aug. quæst. 65. & 83. scribentis. *Quantum autem intersit inter hominem quem Dei sapientia gestabat, per quem liberati sumus, & ceteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus nisi exiens de monumento non solvitur, id est etiam renata anima, nisi resolutione corporis libera ab omni peccato & ignorantia esse non potest, quandiu per speculum & in ænigmate videt Dominum; illius autem linteamina & sudarium, qui peccatum non fecit & nihil ignoravit, in monumento inventa sunt; ipse solus in carne, non tantum in monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur; sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret*. Ubi Augustinus innue-

nuere videtur animam Christi, vitam adhuc mortalem degentis facie ad faciem Deum vidisse. Cætera omitto sanctorum Patrum loca quæ a nonnullis Theologis adduci solent, quippe quæ super ista re non sunt satis expressa, profecto quia, ut de felici Christi animæ statu dissererent, non se dedit occasio.

Probatur 3. ratione. 1. est, quia istam sententiam omnes pene ac singuli amplexi sunt Theologi; adeo ut vix ullum reperias qui contrarium doceat: est autem illud luculentissimum ad istam rem confirmandam argumentum, quia nempe unanimis omnium Theologorum consensio, verum Ecclesiæ sensum refert. 2. est, quia decuit ut Christus in statu perfecto, quoad fieri poterat, constitueretur, ita ut nihil ei accederet perfectionis: atqui nisi ejus anima fuisset ab initio summæ beatitudinis compos, ei aliquid perfectionis accessisset, maxima scilicet gratia, vel potius gratiæ consummatio: ergo.

Objicies id quod habetur Lucæ 24. c. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* ergo Christus ante passionem suam non fuit gloria ceu beatitudine donatus.

Respondeo, istud & similia Scripturæ testimonia intelligenda esse, vel de gloria corporis quæ tum suspensa erat ad tempus usque resurrectionis, non autem de gloria & beatitudine animæ; vel de ea Christi gloria suique nominis exaltatione quam suo acquisivit sanguine & morte, sine qua Redemptoris partes implere non potuit, in quem sensum postulat persæpe clarificari a Patre suo, & post mortem & resurrectionem suam dicitur clarificatus.

Objicies. Cum beatitudine, quæ status est omnium bonorum aggregatione perfectus, non consociantur profecto metus, tristitia, dolor & aliæ ejusmodi animi affectiones: atqui hæc omnia fuerunt in anima Christi, passus est enim acerbissimos dolores, cœpit pavere & dolere, tristis fuit ejus anima usque ad mortem: ergo.

Dist. maj. non consociantur ut plurimum & ordinarie, C. extraordinarie, N. Itaque si communis rerum & naturalis ordo servetur, cum dolore, tristitia & metu non consistet quidem summa felicitas; recte vero Deo id volente pro absoluta sua potestate, ut mysterium nostræ Redemptionis adimpleretur; potuit enim impedire Deus, quominus absolutum ex omni parte & perfectum fuerit gaudium, quod ex intuitiva visione divinitatis fluere debebat in ipsius Christi animam, quæ secundum inferiorem, ut ajunt, sui partem tristabatur & dolebat, qua fere ratione gloriam animæ suæ continuit, ne in corpus effflueret: hæc paulo fusius infra pertractabimus.

Objicies; in Christo fuit fides, non ergo mens ejus videbat Deum, fides enim *argumentum est non apparentium*, Heb. 11. Deinde Christus spem habuit, *quod autem videt quis, quid sperat?* inquit idem Apostolus ad Rom. 8. ergo anima Christi clare non vidit Deum.

Resp. ad primum, in Christo non fuisse fidem Theologicam, ut fusius a nobis infra dicetur. Ad secundum, vel nullam quoque in eo fuisse spem, vel si qua fuit, nonnulla speravit a Deo quæ nondum habebat, gloriam vero animæ non speravit quam habebat.

Utrum anima Christi divinitatem comprehenderit.

AD majorem hujusce quæstionis elucidationem recolenda sunt quæ de incomprehensibilitate Dei diximus in tractatu de Attributis divinis; iisdem enim principiis quæ statuimus ibi circa veram incomprehensibilitatis Dei notionem, hic nobis ratiocinandum est.

CON-

CONCLUSIO.

Anima Christi divinitatem non comprehendit.

Probatur ex iis Scripturæ & sanctorum Patrum testimoniis, quæ probant universim Deum ab intellectu creato comprehendi non posse, quæ necesse non est hoc loco repetere. In unum iterum adducam quod istam quæstionem speciatim attinet, videlicet in Concilio Basileensi e libello Augustini de Roma hanc inter cæteras propositiones damnatam fuisse: *Anima Christi Deum videt tam clare & intense, quam Deus videt seipsum*. Ex quo palam est eam fuisse proscriptam opinionem quæ statueret ab anima Christi Deum posse comprehendi: qui enim Deum videt tam intense quam videt seipsum Deus, videt omnia quæ in Deo sunt, videt omnia attributa Dei, & singulos, ut infiniti sunt, cujuslibet attributi gradus, quod est Deum comprehendere.

Probatur ratione, quia Christi anima tametsi hypostatice unita Verbo, remanet creata & finita: atqui Deus non potest comprehendi ab intellectu creato, videri non potest totus quantus est; eo ipso enim intellectus creatus totam Dei magnitudinem ipsamque infinitatem finita sua cognitione metiretur & clauderet, atqui manifeste repugnat objectum infinitum finita cognitione veluti claudi & circunscribi, ut per se patet: ergo non potest Deus ab intellectu creato comprehendi; proindeque nec ab ipsa Christi anima.

Objicies id quod habet S. Fulgentius in responsione ad quæstionem tertiam Ferrandi Diaconi. Scilicet hanc proposuerat quæstionem Ferrandus, *Utrum anima Christi susceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam, & quemadmodum se invicem norunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, ita idem filius se ipsum, per id quod homo est, imo quod Deus noverit, ex utraque atque in utraque substantia totum sapiens Patrem*, cui interrogationi plenam divinitatis notitiam animæ Christi datam fuisse respondet Fulgentius; *Anima quippe*, inquit, *illa cum Verbo unus est Christus, anima illa cum Verbo unus est unigenitus Deus. Et quia unigenitus Deus æqualis est Patri, nec potest totum nosse Filium qui totum non noverit Patrem: caveamus, ne cum anima Christi totum Patrem nosse non creditur, ipsi uni Christo ex aliqua parte, non solum Patris sed etiam sui & Spiritus sancti cognitio denegetur. Porquam vero durum est & a sanitate fidei penitus alienum, ut dicamus animam Christi non plenam suæ deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter unam creditur habere personam*.

Addit Fulgentius cæteris hominibus sanctis vel etiam Angelis datam fuisse ad mensuram Spiritus sancti gratiam; sed Christo manere plenitudinem, quod quidem late disputat ex Scripturis & SS. Ambrosii & Augustini autoritate, ut inde inferat plene ab anima Christi cognitam fuisse deitatem: *In quantum enim*, inquit, *Spiritus datur, in tantum cognitio divinitatis accipitur; ubi autem Spiritus non est mensura, necesse est ut plena sit divinitatis immensæ notitia.... non ergo existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo.... non sic est de Christi anima disputandum, sicut disputatur de quolibet angelico spiritu vel humano, qui particeps potest esse Dei veri, non Deus verus, quod est Christus.... sicut ergo Christus homo singulariter habet ut Deus verus sit, sic totam divinitatem suam singulariter novit*.

Respondent nonnulli Fulgentium nihil aliud tribuere animæ Christi quam plenissimam Dei notitiam, quæ longe lateque discrepat ab ipsa divinitatis comprehensione, quod quidem demonstratum putant ex eo quod idem Fulgentius, qui fuse & copiose probat ple-

nam & perfectam esse in anima Christi notitiam divinitatis, continenter fatetur eam non sic Deum nosse, quemadmodum se ipsum Deus novit; *Possumus*, inquit, *plane dicere animam Christi habere plenam notitiam deitatis suæ; nescio tamen, utrum debeamus dicere quod anima Christi sic suam deitatem noverit, quemadmodum se ipsa deitas novit; an hoc potius dicendum est, quod novit quantum illa, sed non sicut illa*. Porro, inquiunt Theologi, in eo sita est divinæ essentiæ comprehensio, quod non modo tota sed & omnibus modis, quibus videri potest, ipsa videatur; ergo non modo Fulgentius non tribuit animæ Christi comprehensionem divinitatis, sed immo illud aperte negat.

Verum hac ratiuncula vindicari posse Fulgentii doctrinam ego quidem non puto.

1. Quia, ut ea de causa excusari posset Fulgentius, prius ostendi deberet in ejus doctrina visionem perfectissimam divinitatis in eo differre a comprehensione, quod comprensio sit non solum totius deitatis notitia sed & fieri debeat modo omnium perfectissimo: atqui hanc fuisse Fulgentii mentem nullo plane innuitur argumento; cum præterea modus iste rei alicujus comprehensionem explicandi Veteribus sit omnino incognitus, quippe qui omnes ac singuli comprehensionem definiunt claram totius objecti & eorum quæ in eo sunt cognitionem; ut ostendimus in Tractatu nostro de Attributis divinis.

2. Quia in ipso suæ responsionis initio Fulgentius observat Deum esse ab omni intellectu creato etiam Beatorum humano vel Angelico incomprehensibilem, quod ipsum probat ex Scripturis: addit autem hoc sibi proprium vindicare animam Christi; unde sic argumentari licet: Fulgentius concedit animæ Christi quod sanctis hominibus vel Angelis ait esse impossibile: atqui solam comprehensionem sanctis hominibus & Angelis denegat: non aliam autem quamcumque visionem intuitivam, beatificam: ergo comprehensionem divinitatis liberaliter tribuit animæ Christi.

4. Quia postulat ipsa Ferrandi quæstio, ut de vera comprehensione respondeat Fulgentius. Quærit enim Ferrandus, *utrum anima Christi plenam habeat deitatis notitiam, & quemadmodum se invicem norunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, ita seipsum Filius per id quod homo est, &c.* certum est autem Patrem & Filium & Spiritum sanctum se invicem cognoscere ea notitia quæ sit vera ac proprie dicta comprehensio: igitur Fulgentius quæstioni sibi propositæ respondet de comprehensione vera Divinitatis.

Denique favent ad id probandum argumenta quæ usurpat Fulgentius; plene enim Deum nosse Christi animam statuit; 1. quia anima Christi unus est Deus cum Verbo cui unita est. 2. Quia unam cum divinitate naturaliter creditur habere personam. 3. Quia non ad mensuram ut cæteris hominibus, sed secundum plenitudinem ei spiritum dedit Deus; adeoque, inquit, plenitudinem sapientiæ, scientiæ & consilii; sed isthæc argumenta suadent Fulgentium animæ Christi tribuisse veram divinitatis comprehensionem: ergo.

Resp. igitur hanc fuisse mentem Fulgentii, animam Christi Verbo divino conjunctam, Dei plena notitia & comprehensione fuisse donatam: qui tamen multiplici nomine excusari potest. 1. Quia Deum perfecte nosse & comprehendere soli tribuit animæ Christi, ut jam monuimus; adeoque cum universa sanctorum Patrum traditione consentit Deum ab intellectu creato esse incomprehensibilem. 2. Quia licet claram divinitatis comprehensionem habuisse animam Christi doceat, eam tamen longe discrepasse putat ab illa Dei notitia qua seipsum novit Deus, ut mox observavimus; unde dignoscitur solis fere

vo-

vocibus differre ab iis Theologis qui Deum dicunt plene totum videri a Beatis, ita ut nihil sit in Deo quod eos lateat videntes, nec tamen comprehendi præcise quia tam perfecte Deum non vident quam seipsum videt: unde vitio verti non debet Fulgentio, quod in hunc sensum dixerit ab anima Christi potuisse comprehendi divinitatem.

Atque idem respondemus ad ea quæ objiciuntur ex Albino Flacco, qui similia iisdem plane verbis exscripsit l. 2. de Trinit. c. 12. quemadmodum & Petrus Lombardus in 3. sent. dist. 14. ac demum Hugo a sancto Victore qui peculiarem super ea re libellum edidit, ut ostenderet animam Christi æqualem cum divinitate scientiam habuisse; hæc porro peculiaris in Hugone notatur opinio, quod animam Christi existimaverit sapientem sapientia divina, & nullam aliam in eo admiserit sapientiam quam increatam, qui quidem error Monothelismo affinis est; eædem enim rationes quæ Christum probant duas habere voluntates, duos evincunt in eo esse intellectus, duplicemque scientiam; unde in sexta Synodo generali act. 11. legitur in Epistola Sophronii, *Verbum assumpsisse animam rationalem animabus nostris contribulem & mentem nostræ menti comparem*. Si autem propterea suam peculiarem sibi vindicat operationem voluntas humana Christi, cur non similiter intellectus humanus?

An fuerit in Christo scientia acquisita.

QUæritur, an præter scientiam rerum omnium Christi animæ ab conceptus sui exordio infusam, quam fuisse in Christo, ipsi debitam & vi unionis hypostaticæ consentaneam ostendimus; tum vero an præter scientiam beatam quæ non modo Deum, sed & omnia in Deo noverat, alia debeat admitti acquisita & experimentalis; cui quæstioni breviter faciam satis ex nuda & simplici scientiæ acquisitæ & experimentalis notione.

Ac primo quidem, si per scientiam experimentalem intelligas actualem sensuum operationem, cui & adjungitur cognitio intellectus super illas operationes reflectens: dico fuisse in Christo scientiam experimentalem & successive acquisitam; Christus enim & sensibus, puta visu, auditu, tactuque, identidem de novo percepit, famem, sitim, aliosque dolores, & intellectus sui actione super illos motus reflexit; hæc enim omnia, antequam existerent, nec sensibus percipiebat, nec mente cognoscebat ut existentia; igitur in præfatum hunc sensum fuit in Christo scientia experimentalis & acquisita.

Secundo, si per scientiam experimentalem intelligatur habitus qui per actuum repetitionem ingeneretur, vi cujus habitus cognoscatur objectum non simpliciter, sed ut alias cognitum, & per modum recordationis; dico ejuscemodi scientiam fuisse in Christo; quia nempe per actualem notitiam objectorum, quæ de novo perceperat aut sensu aut mente, dubio procul habitum comparavit Christus quo poterat postea res cognoscere, ut semel cognitas per adjunctionem scilicet speciei alicujus objectorum acquisitæ: tum quia ejuscemodi habitus acquisitus non repugnat in Christo, eo indignus non est; siquidem nullam adjicit perfectionem scientiæ infusæ; non est enim perfectio in cognoscente quod rem de novo cognoscat ut existentem, cum existere incipit, quam antea cognoscebat ut futuram; tum quia hujusmodi species & imagines ex cognitione rerum ortæ non possunt esse infusæ; pertinent enim ad memoriam rei cognitæ ut cognitæ: tum denique quia hunc scientiæ acquisitæ habitum saltem admiserunt ii sancti Patres & Theologi qui Christi profectum in sapientia apud sanctum Lucam de aliqua scientia experimentali explicant.

De

De voluntate Christi.

UNum hic quæritur, an scilicet præter divinam voluntatem alia quædam humana fuerit in Christo voluntas quæ suam propriam exereret operationem.

Unicam esse septimo sæculo docuerunt Monothelitæ (infelix Eutychianorum soboles) duce Sergio Patriarcha Constantinopolitano & imprudenter favente Heraclio Imperatore, qui eodem autore Sergio *Ecthesim* ceu fidei expositionem promulgavit, qua districte prohibuit, ne quis tam unam quam duas operationes & voluntates inesse Christo doceret. Sergio mortuo successit Pyrrhus & Pyrrho Paulus, uterque ejusdem hæreseos defensor: iste autor fuit Constanti Imperatori Heraclii filio, ut Edictum quoque promulgaret, quem *Typum* vocant; quo faciendæ pacis causa vetuit similiter, ne quis tam unam quam duas voluntates & operationes in Christo diceret. Ejusdem Sectæ alios facile principes recensere possumus, Cyrum Alexandrinum, Thedorum Pharanitam, Macarium Antiochenum & Petrum Constantinopolitanum. Fuit ista hæresis primum proscripta a Concilio Lateranensi sub Martino I. cui aderant 105. Episcopi an. 649. & ab generali sexto quod fuit Constantinopolitanum sub Agathone summo Pontifice anno 680.

Cæterum, quamvis non eodem modo errorem suum tradiderint Monothelicæ, nec inter se, ut solent Hæretici, omnino consentiant; tamen, ut ex verbis Antesignanorum hujus Sectæ colligere est, in eo videtur positus, quod unam existimaverint voluntatem inesse Christo, unam operationem, tametsi duæ essent naturæ; in quantum videlicet natura humana quæ consistit in anima rationali & corpore, non fuit nisi instrumentum Verbi divini; sed, inuiebant, causæ principis & instrumenti una est operatio, una energia, unum agendi principium, quia in instrumento non est principium actionis, in eo nulla vis agendi; quapropter actionum Christi etiam humanarum unicum fuit principium, unica virtus, unica energia penes divinitatem Verbi.

Theodorus Pharanita sic loquitur fragmentis quæ referuntur in Conc. Lateran. Secret. 3. *Oportet*, inquit, *ita sapere & dicere nos omnia quæ in Incarnatione Christi dicuntur unam operationem esse; hujus autem opificem & creatorem Deum Verbum, organum vero humanitatem consistere: ergo quæque velut de Deo, aut humane de ipso dicuntur omnia, una est operatio Verbi divinitatis.*

Macarius insignis Monothelita in sexta Synodo interrogatus a Theophane Abbate, *utrum Christus habuerit humanam voluntatem?* respondit, *Nos voluntatem humanam in Christo non dicimus, divinam vero etiam, absque carnalibus voluntatibus, vel cogitationibus humanis, sicut prolatum testimonium S. Athanasii continet, voluntas enim deitatis tantum.*

Cyrus Alexandrinus Antistes Epistola ad Sergium quæ legitur in Conc. Later. Secret. 3. ait, *eumdem Christum operari Deo divina & humana una operatione, quia omnis divina & humana operatio ex uno eodemque incarnato Deo Verbo procedebat.*

Sergius Epistola ad Honorium quæ habetur in sexta Synodo Act. 13. *operatur quidem vere deitas per corpus quod circa ipsum est, omnium salutem; ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.*

Pyrrhus denique in dialogo cum S. Maximo idem asserit: *Non dicimus*, inquit, *unam operationem ad tollendam humanam operationem, sed quia cum distinguendo opponatur divinæ operationi, passio hac ratione dicitur.*

Ea igitur fuit Monothelitarum mens & doctrina, naturam humanam in Christo non operari, non esse principium sed organum & instrumentum Verbi; adeo-

adeoque in hunc sensum unam esse in Christo voluntatem & operationem; contra quos sit

CONCLUSIO.

Duæ sunt in Christo voluntates quæ proprias exerunt operationes.

Probatur 1. ex iis Scripturæ locis in quibus vera Christo asseritur voluntas humana, vera voluntatis humanæ vis & operatio; namque ultro fatebantur Monothelitæ divinam inesse Christo voluntatem. David in Christi persona ait Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi..... in capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus volui*. Hic Propheta inducit Christum loquentem ut homo est, uti nimirum corpus habuit, ut Deum habuit. Joan. 1. Christus Dominus *in crastinum voluit exire in Galilæam*. Voluit profecto intrare prout antea non erat in Galilæa: igitur quatenus homo, non quatenus Deus, voluit intrare. Cap. 7. *Ambulabat Jesus in Galilæa, non enim volebat in Judæa ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere*. Ubi cum Christus ambulabat ut homo, ita & ut homo nolebat ambulare, & cap. 17. *volo ut ubi sum ego & illi sint mecum*. Ibi loquitur ut homo, Deus enim fixum non habet locum.

Atque his & similibus Scripturæ locis alia merito subjungi possunt longe illustriora; in quibus diserte nominatur voluntas humana prout distinguitur a divina. Joan 4. *Meus cibus est*, inquit Christus, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me*. Cap. 6. *descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Lucæ 22. *Pater si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non mea voluntas sed tua fiat.. desiderio desideravi manducare Pascha*. Quibus testimoniis nihil clarius desiderari potest.

Eodem pertinent ea loca ex quibus ostendimus in Christo veram esse animam, perfectæ quippe animæ & non mutilæ sua inest voluntas, voluntati sua operatio; & alia in quibus ipsi tribuuntur metus, dolor, tristitia, cibi & potus appetitus, quæ profecto in naturam & voluntatem divinam cadere non possunt, sed in humanam.

Probatur 2. ex sanctis Patribus.

Ac primo, ex iis quos supra adduximus qui Christum testantur verum hominem, vere dolores perpessum, veram habuisse animam; siquidem his momentis evincitur aperte humanam inesse Christo voluntatem quæ proprias exerat operationes. Secundo idem facile stabilitur dogma ex disertis aliorum Patrum testimoniis, quæ ipsam voluntatem nominatim exprimunt.

S. Basilius lib. Contradictionum adversus Apollinarem: *Quia igitur*, inquit, *alia est humana voluntas, alia divina, loquitur quidem & quasi ex homine quod infirmitati nostræ congruit, qui nostras passiones assumpsit..... qui enim dixit non mea, humanam hoc sermone significavit; addens vero, tua, ostendit conjunctionem suæ deitatis*.

S. Cyrillus lib. ad Theodosium animam fuisse in Christo ex propriis operationibus demonstrat, his verbis. *Usus est autem carne propria velut instrumento ad exequenda carnis opera & naturales infirmitates & ab omni reprehensione remotas; anima vero propria ad humanas & minime vituperandas affectiones subeundas*.

S. Ambrof. lib. 2. de fide cap. 3. *Suscipit ergo*, inquit, *voluntatem meam, suscipit tristitiam meam, confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico: mea est voluntas, quam suam dixit, quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus est, & ideo ait, Non sicut ego volo, sed sicut tu vis*.

S. August. lib. 3. contra Maximum Arianum cap. 20. *Ubi autem*, inquit, *dixit*

dixit Filius Patri, Verum non quod ego volo, sed quod tu vis, quid te adjuvat? quod tua verba subjungis & dicis, ostendit vere suam voluntatem subjectam suo genitori.

S. Leo Epist. ad Leonem Augustum, *secundum quidem formam Dei*, inquit, *ipse & Pater unum sunt, secundum autem servi formam, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum.*

Omitto quæ scribit S. Maximus martyr dialogo cum Pyrrho dedita opera adversus hunc Monothelitam scripto, tum & innumera aliorum Patrum loca, quæ hocce de duabus in Christo voluntatibus dogma invicte stabiliunt, ea legere est in actis Concilii sexti generalis, cujus hæc est solemnis fidei definitio edita actione decima octava: *unum eumdemque Christum filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise cognoscendum, nusquam extincta harum naturarum differentia propter unitionem, salvataque magis proprietate utriusque naturæ & in unam personam & subsistentiam concurrente; non in duas persona partitum, sed unum eumdemque unigenitum filium Deum Verbum Dominum Jesum Christum, juxta quod olim Prophetæ de eo, & ipse nos Dominus Jesus Christus erudivit, & sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum; & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum sanctorum Patrum doctrinam prædicandas.*

Objicies cum Monothelitis. In eo unica est operatio, unica est virtus agendi, unicum agendi principium, in quo una est persona; nam actiones sunt suppositorum: atqui unica est in Christo persona: ergo etiam unica voluntas, scilicet voluntas divina.

Nego maj. quia nempe & principium agendi, & virtus ceu facultas, & operatio sequuntur naturam non personam; unde diversæ sunt facultates & operationes in uno eodemque supposito, in quo diversæ sunt naturæ; idem v. g. Socrates diversas habet facultates & operationes; quia diversæ in eo sunt naturæ, cogitat quia in eo est natura rationalis, & ambulat quia corporeus est. Et ratio est, quia persona est natura ipsa singularis & individua perfecte tota: atqui operatio non sequitur naturam quatenus completa est & tota aut potius totum quid, anima enim rationalis a corpore separata non est totum quid sed pars, non est hypostasis, non est persona; & tamen suas habet facultates & operationes, est nempe intellectu & voluntate prædita, cognoscit & amat; ergo virtus agendi & operatio non sequuntur personam, sed naturam.

Hinc cum dicitur unum esse principium agendi, ubi est una persona, id verum est de principio denominationis, ut ajunt, non de principio elicitivo; quo sensu actiones dicuntur suppositorum ex recepto axiomate, denominative scilicet, quia supposito tribuitur quicquid fit ab ejus naturis & facultatibus, non autem quasi actiones fiant immediate ab ipso supposito, nec plures sint actiones & facultates quam personæ. Ex quibus sequitur in eodem Christi supposito diversas fuisse voluntates & diversas operationes, quia nempe diversæ erant naturæ.

Instabis. Quando e duabus naturis una est causa princeps, altera instrumentalis, tunc earum unica est operatio; instrumentum enim propriam non habet operationem: atqui natura humana erat in Christo Verbi divini organum, instrumentum, quo humana quædam operabatur: ergo proprie loquendo suam sibi propriam operationem non habuit natura humana, propriam non habuit voluntatem.

Dist. maj. Causæ principis & instrumenti una est operatio, quando instrumentum propria virtute non est instrumen-

mentum, C. quando instrumentum est propria virtote instructum, N. revera causæ principis & instrumenti una eademque est operatio, quando instrumentum propria destituitur virtute in ordine ad actionem cui eliciendæ par redditur a causa principe; eadem est v. g. operatio manus & calami, quia ad scribendum propriam ex se virtutem non habet calamus; atque etiam hoc fundamento eadem erat Verbi & naturæ humanæ operatio, cum ad quasdam actiones supernaturales v. g. illuminationem cæci evehebatur natura humana Christi; sed quando causa instrumentalis propriam habet virtutem ad agendum, propriam formam; tunc certe non est una eademque operatio causæ principis & instrumenti: porro suas proprias facultates habet natura humana, suum intellectum, suam voluntatem, unde debuit & propriam habere operationem.

Instabis. Si duæ admittantur voluntates in Christo, ita ut voluntas humana non sit instrumentum motum a Verbo Dei, sed propria sua vi agat, periculum est ne perpetua admittatur contrarietas inter illas voluntates; atqui ejuscemodi contrarietas voluntatum repugnat in Christo; eo ipso enim peccatum voluntati humanæ contingeret, quod Deo resisteret: ergo unica est in Christo voluntas.

Nego maj. voluntatem enim humanam semper divinæ fuisse subjectam facile concipimus; quam certo novimus nulla concupiscentia vitiatam; non est enim in nobis ex semine Adæ progenitis pugna & rebellio, seu in carne adversus spiritum, seu in spiritu adversus Deum; nisi quia acceptam habemus ab origine concupiscentiam, quæ radix est omnium malorum, illiusque contrarietatis quæ reperitur ut plurimum in desideriis nostris, consentanee ad ista S. Apostoli verba ad Rom. cap. 7. *Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, quod etiam operor non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum illud facio*. Quæ quidem concupiscentia, quoniam Christo non inerat, mirum videri non debet si nulla fuerit pugna & contrarietas inter duas ejus voluntates.

Instabis. Si actu velle pertinet ad naturam, ita ut judicetur diversas esse voluntates quia diversæ sunt volitiones; profecto infinitæ erunt in eodem supposito voluntates; infinitæ siquidem sunt diversæ volitiones; absurdum consequens: ergo unitas vel multiplicitas voluntatum spectari debet tantum penes unitatem vel multiplicitatem suppositi: adeoque unica est in Christo voluntas.

Dist. maj. quia diversæ sunt volitiones accidentaliter & quoad modum volendi tantum, C. essentialiter & natura, N. porro non admittimus quidem in aliqua persona tot voluntates seu facultates volendi, quot ab ea proficiscuntur volitiones diversæ accidentaliter & quoad modum volendi; quia ab eadem facultate infinitæ promanare possunt volitiones; sed tot admittimus voluntates, quot sunt volitiones diversæ specie & natura, hoc est quæ a diversis specie naturis oriuntur: quapropter tot quidem tribui non debent Christo voluntates quot volitiones diversæ quoad modum agendi; per eandem enim voluntatem divinam multas eliciebat volitiones divinas; per eandem voluntatem humanam multas volitiones humanas; sed spectari debet ad volitiones diversas specie, quæ quidem diversitas sequitur differentiam naturarum: quæ enim divina operabatur, referimus ad voluntatem divinam; quæ vero humana, ad voluntatem humanam.

Objiciebant Monothelitæ, vulgatum qui tribui solet Dionysio Areopagitæ locum in Epist. ad Cajum dicenti *unam*, vel secundum alios, *novam quandam esse in Christo Dei virilem operationem*.

Resp. triplex in Christo fuisse genus operationum: quædam erant solum di-

vinæ, ut conservatio mundi; aliæ solummodo humanæ, ut manducare, bibere; aliæ vero mixtæ, quæ partim divinæ, partim humanæ, Dei viriles appellari possunt; ut cum ambulabat super aquas. Porro de tertio isto genere operationum loquitur præfatus autor, minime vero negat fuisse in Christo operationes humanitati proprias.

Objiciebant id quod habet S. Athanas. lib. de salutari adventu Christi his verbis: *Ille vir*, inquit, *natus est ex muliere, qui ex prima creatione sibi formam hominis erexit & excitavit in ostensione carnis, sed sine voluntatibus carnalibus & sine humanis cogitationibus in imagine novitatis, voluntas enim erat solius divinitatis*. Igitur nulla fuit in Christo voluntas humana.

Respondeo hic S. Athanasium non excludere voluntatem humanam, quippe qui contendit solum Incarnationem esse solius divinæ voluntatis opus, non humanarum cogitationum, ita S. Maximus dialogo citato.

Objiciebant testimonium S. Gregorii Nisseni in Eunomium hæc scribentis. *Ita divinitatem per corpus quod induit, communem omnium salutem operari, ut propria sit carnis perpessio, Dei vero sit operatio:* ergo voluntas humana in Christo merum fuit divini Verbi instrumentum.

Resp. mentem S. Greg. esse, quod divinitas erat potissimum agendi principium in Christo, quia humanitas ut inferior movebatur plerumque a Verbo, non autem quasi suas sibi proprias non vindicaret operationes.

Objiciebant id quod ait S. Gregorius Nazianzenus orat. de filio. *Velle enim illius in nulla re erat Deo contrarium, totum deificatum:* ergo.

Resp. inde solum colligi non fuisse duas Christi voluntates sibi contrarias, quod ultro fatemur, at duas vere fuisse voluntates ex iisdem Gregorii verbis aperte evincitur; voluntas enim divina non potest dici deificata, sed in hoc ipso loco testatur Gregorius voluntatem Christi fuisse deificatam, hoc est divino imperio subordinatam: igitur veram voluntatem humanam Christo tribuit.

Objiciebant verba S. Cyrilli lib. 4. in Joan. dicentis *Christum unam cognatam operationem per ambas ostendisse:* ergo.

Resp. loqui Cyrillum de illo operationum genere quas modo Dei viriles partimque divinas partim humanas diximus propter unionem hypostaticam & apertissimam duarum naturarum cognationem; certe in ejusmodi ratione loquendi manifeste supponitur duplex in Christo voluntas, uti & duplex natura.

Appendix de sententia Honorii.

Circa sententiam Honorii Summi Pontificis hoc in negotio duo præsertim in controversiam cadunt: Primum, an vere fuerit Monothelita aut solummodo illius hæreseos Fautor. Secundum, an revera damnatus fuerit in sexta Synodo generali.

Ad primum quod attinet, in id fere incumbunt omnes Theologi, ut Honorium ab illa hæreseos labe vindicent, rati eum quidem in eo peccasse, quod emergentem errorem de una in Christo voluntate pro officio non represserit; sed in ipso fidei dogmate minime lapsum; cui communi jam Theologorum sententiæ duæ oppositæ adversantur opiniones, nonnullorum quidem qui cum Melchiore Cano censent, vere unam Christi voluntatem propugnasse Honorium; aliorum vero ut Baronii, Bellarmini, & Christiani Lupi qui non modo erroris nota non inurunt summum Pontificem, sed & summam ejus hac in re prudentiam extollunt.

Quod spectat secundum quæstionis caput, mirum est profecto quantum laboraverit Baronius, ut Honorium revera non fuisse a sexta Synodo damna-

mna-

mnatum ostenderet: nimirum contendit interpolata fuisse illius Synodi acta a Theodoro Patriarcha Constantinopolit. Monothelita, qui procul dubio fuerat nominatim cum cæteris Monothelitis in ea Synodo proscriptus: sed qui nomen Honorii in sui locum ubique in actis Concilii subrogavit, siquidem Theodori nomen nullibi comparet, Honorius vero quod vix in mentem venire potest, cum cæteris Monothelitis sine ullo discrimine hæreticus pronuntiatur, atque hoc est Baronii somnium. Nos vero quid de utroque istius controversiæ capite sentiamus, duplici conclusione aperiemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Honorius vindicari potest ab hæresi Monothelitarum.

Ac primo ille ab hæresi vindicari potest, cujus verba Monothelismum in speciem spirantia, Catholico sensu donari possunt, & qui in id unum incubuit, ut fides Ecclesiæ servaretur integra: atqui verba Honorii quæ in speciem Monothelismum continere videntur, catholico sensu donari possunt, ut ex responsionibus mox adducendis incubuit summus Pontifex, ut antiqua Ecclesiæ fides de Christo servaretur integra; siquidem in ambabus suis Epistolis, duas dici voluntates aut unam juxta prohibet; sic prima Epist. quæ legitur tom. 6. Conc. pag. 928. differit: *Non potest ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, neque autoritates Canonicę visę sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis pręsumat Christi Dei prædicare .... nos enim non unam operationem vel duas Dominum J. C., ejusque Sanctum Spiritum sacris Litteris percipimus*. Et in 2. Epist. quæ habetur ibid. pag. 968. *Cæterum*, inquit, *quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet.., quæ tenere vel prædicare debemus propter simplicitatem hominum & amputandas inextricabiles quæstionum ambages, sicut superius diximus, non unam vel duas operationes in mediatore Dei & hominum definire .... auferentes ergo sicut diximus scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare*. Quo quidem argumento haud scio an luculentius ullum esse possit ad fidem Honorii plene vindicandam; si enim existimasset unicam esse in Christo voluntatem, non adeo affirmare dixisset se nec unam in Christo nec duas esse voluntates aut operationes definire; an dicebat Nestorius se nec unam nec duas docere personas? An unquam professus est Eutyches se nec unam nec duas admittere naturas? Si itaque existimasset revera Honorius unam tantum esse in Christo voluntatem, profecto unam esse, non duas ubique & expresse declarasset.

Atque in hujusce veritatis confirmationem duo subjungit possunt momenta haud spernenda.

Alterum est quod Honorius duas diserte in Christo admisit naturas, nec duas refugit dicere voluntates, nisi metu introducendæ novitatis propter vocum novitatem; sic 1. Epist. *ut nimirum*, inquit, *stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri ... utrum autem propter opera divinitatis & humanitatis, una an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare*. Et 2. Epist. *auferentes*, inquit, *scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare*; Ergo solo novitatis metu refugiebat Honorius dicere duas voluntates, quas in rei veritate admittebat.

Alterum est quod ideo se nec unam nec duas Christo tribuere voluntates profite-

fitetur; ne vel in Nestorianismum vel in Eutychianismum declinare videatur: sic Epist. 1. jam citata, *quæ quidem novæ voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare, ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi sectantes Nestorianos vesana sapere arbitrentur; aut certe, si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur*. Igitur nonnisi ab vocibus unius & duarum voluntatum abstinendum esse judicat.

Denique & istud efficaciter ostenditur, quia duas in Christo voluntates manifeste docet Honorius 2. Epist. jam citata: *Sed utrasque naturas*, inquit, *in Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, & divinam quidem quæ Dei sunt operantem, & humanam quæ carnis sunt exequentem*. Hoc ipsum est quod docet Ecclesia contra Monothelitas, nempe duas esse in Christo naturas, divinam & humanam, quæ sibi suam peculiàrem vindicant operationem: igitur Honorius catholice sensit circa duas Christi voluntates.

Secundo vindicatur Honorii doctrina ex testimoniis fide dignissimorum.

Primus est Joannes Abbas Romanus qui Honorio ab Epistolis fuerat, ipsamque Honorii Epistolam scripserat; is autem post mortem summi Pontificis, cujus memoriam admodum vexatam noverat, hæc scribit ad Imperatorem: *Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus & humanitatis solius. Cum Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, rescripsimus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquam & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum quæ naturaliter ejus humanitatem signabat*.

Secundus est Joannes quartus Honorii Successor, qui Apologiam edidit pro ipso Honorio ad Constantinum Imperatorem datam, ubi hæc scribit: *Omnes occidentales partes scandalizatæ turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarcha per litteras suas huc atque illuc transmissas nova quædam & præter fidei regulam prædicante, & ad proprium sensum, quasi sanctæ memoriæ Honorium Papam attrahere festinante, quod a mente catholici Patris erat penitus alienum .... Sergius Reverendæ memoriæ Patriarcha prædicto sanctæ recordationis Romanæ urbis Pontifici significavit, quod quidam in Redemptore nostro Domino Jesu Christo duas contrarias dicerent voluntates ... secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster prænominato Sergio Patriarchæ percontanti scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est in membris ipsius penitus non consistunt*.

Tertius profertur S. Maximus Martyr ipsi Honorio coætaneus qui eum ab omni labe abstergit dialogo cum Pyrrho, tum ex utroque mox adducto Joannis Abbatis & Joannis IV. Papæ testimonio; tum ex propria sententia in Epist. ad Marinum, quæ extat inter Anastasii collectanea: *Honorium etiam*, inquit, *Romanum Papam non diffiteri reor naturaliter in Christo voluntatum dualitatem, in Epistola quam scripsit ad Sergium, eo quod unam dixerit voluntatem, sed potius confiteri, & hanc fortassis etiam constabiliter. Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris & naturalis voluntatis; sed quod nullatenus conceptionem ejus quæ fuit sine semine vel incorruptam nativitatem præcesserit voluntas carnis, vel cogitatio vitiosa*.

Quarto loco adduci potest Anastasius Bibliothecarius, qui præfatione ad ista collectanea sic vindicat Honorii fidem. *Ad manus nostras venire contigit Apologiam Joannis IV. Romani Pontificis pro Honorio Papa a calumniatoribus impetito, quod unam Domini nostri J. C. tantum scripserit voluntatem. Quæ videlicet Apolo-*

lo-

logia satis hunc, ut reor, excusabilem reddit, licet huic sexta Synodus, quasi haeretico anathema dixerit.

Quibus accedit quod Honorii summi Pontificis fidem ab Monothelismi labe purgant jam ab omni ævo omnes pene ac singuli Theologi.

Objicies. Ille fuit vere Monothelita, qui unam diserte voluntatem in Christo admisit: atqui unam in Christo voluntatem admisit Honorius utraque sua in Epistola ad Sergium, in prima quidem his verbis. *Novas vocum quaestiones cognovimus introductas per Sophronium quemdam tunc Monachum, nunc vero ex auditu Episcopum Jerosolymitanae urbis constitutum adversus fratrem nostrum Cyrum Alexandriae Antistitem, unam operationem Domini nostri J. C. controversis ex haeresi praedicantem... unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri J. C. quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura non culpa ... & siquidem scriptum est, Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris. Et non quod ego volo sed quod tu vis Pater, & alia hujusmodi, non sunt haec diversae voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae... non oportet ad dogmata haec Ecclesiastica retorquere; quae neque Synodales apices super hoc examinantes, neque autoritates Canonicae visae sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis praesumat Christi Dei praedicare, quas neque Evangelicae vel Apostolicae litterae, neque Synodalis examinatio super his habita, visae sunt terminasse*. Quae eadem plane scribit Epistola secunda: Ergo vere Monothelita fuit Honorius.

Dist. min. unam unitate consensionis & concordiae, C. unam unitate naturali, N. unam igitur voluntatem Christo inesse dicit Honorius unitate consensionis, quia putat duas dici non debere sibi contrarias; non autem unam dicit esse unitate naturali; hancque esse Honorii mentem constat. 1. Quia, postquam totus incubuit in utraque Epistola, ut nec unam nec duas dici debere operationes & voluntates in Christo doceret; ubi tamen magis inclinare videtur, ut una dicatur voluntas, hujusce sententiae rationem ex eo petit, quod humanitas Christi a Verbo assumpta sit sine culpa & vitio, quo fit, ut in Christo caro non concupiscat adversus spiritum, sic Epistola prima: *Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura, quae repugnare legi mentis ejus... nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis*. Unde non alio fine putat dici non debere duas in Christo voluntates, quam quia timet ne duae admittantur sibi contrariae. 2. Quia duas aperte operationes, duas naturas operatrices inesse Christo docuit Honorius, ut supra ostendimus. 3. Quia in hunc plane sensum explicantur ejus verba ab autoribus mox laudatis fide dignissimis, quibus astipulati sunt deinceps omnes fere Theologi.

Instabis. Ille vere unam unitate numerica & naturali admisit voluntatem in Christo, qui Sergio consensit purum putumque Monothelismum propugnanti: atqui Honorius consensit Sergio purum Monothelismum spargenti & unam proprie loquendo voluntatem, unam operationem in Christo profitenti; scripserat enim Sergius Epistola ad Honorium data his verbis, *operatur quippe vero deitas per corpus, quod circa ipsam est, omnium salutem, ne sit carnis quidem passio, Dei autem operatio*. Quod sua Epistola comprobat Honorius, Sophronium e contra habens ut novatorem, qui tamen Ecclesiae doctrinam tuebatur: ergo vere unicam voluntatem agnoscebat in Christo.

Dist. min. Sergio consensit in eo quod putabat nec unam nec duas dici debere voluntates in Christo, C. in eo quod unam docebat esse voluntatem, N. Hono-

norius itaque Sergio consensit quoad œconomiam, qua silentio obrui volebat Sergius duarum operationum voces, non autem quoad ipsum Monothelitarum dogma. Et ratio est, quia aliud quicquam tota sua in Epistola non insinuat Honorio, quam nihil esse innovandum, nec unam nec duas dici debere operationes, ab illis vocibus esse abstinendum; ita ut si quid sit aliud in illa Sergii Epistola quod Monothelismi venenum sapere videatur, illud profecto non senserit summus Pontifex, qui Sergio rescribens, illum solum nomine laudat quod vocum novitates merito refugiat: proindeque Sergio duntaxat convenit Honorius, quod duarum operationum voces silentio perimendas contendebat ille adversus Sophronium.

Ergo, inquies, non magis hæreticus fuit Sergius quam ipse Honorius; atqui tamen nemo unquam Sergium ab hæresi vindicare suscepit: ergo.

Resp. magnum esse profecto utriusque discrimen; Sergius enim, quoad potuit, Monothelismum disseminavit, in hanc hæresim compulit Imperatorem, cum Monothelitarum ducibus arctissimum habuit consortium & alia id genus, quæ eum satis produnt hæreticum, & quæ dici non possunt de Honorio.

Instabis. Ille certo unicam in Christo admisit voluntatem qui non modo affirmat nullum esse in Scriptura testimonium quo possit probari una voluntas; sed & expresse ea rejicit & in alium sensum detorquet loca, quibus afferunt Theologi duplicem voluntatem; atqui Honorius suis in Epistolis, &c. ergo.

Dist. min. Ut inde inferat abstinendum esse a vocibus unius aut duplicis voluntatis, C. ut inferat unicam esse in Deo voluntatem, N. id profecto liquet ex ipsis Honorii verbis, ait enim; *Non oportet ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, neque autoritates Canonicæ visæ sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare*, ubi, cum nullum ait esse Scripturæ locum, nullam Concilii sanctionem, id intelligit ad hoc ut vel una vel duæ operationes statuantur, suo semper inhærens proposito hac in parte nihil esse definiendum; non autem ut inde colligat unicam esse in Christo voluntatem.

Quod autem ista Scripturæ loca, *non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris*, & *non quod ego volo, sed quod tu vis Pater*, interpretetur Honorius non de diversa voluntate, sed de dispensatione humanitatis assumptæ, existimo ibi rejicere summum Pontificem duas contrarias voluntates, ut satis indicant ipsa verba quæ superius a nobis adducta sunt, non autem præcise duas voluntates, duas operationes.

Instabis. Ille fuit vere Monothelita qui a Concilio sexto generali damnatus fuit ut Monothelita, ut hæreticus, ut cæteri Monothelitæ; nemo enim certius aperire potest sensum verborum Honorii quam Patres Concilii generalis, qui præfatas Epistolas rigidiori examine præhabito censura notarunt: atqui lectis in Concilio generali Honorii Epistolis, Patres eum damnarunt ut hæreticum, ut Monothelitam. 1. quidem actione 13. p. 644. hæc prænunciant Patres Concilii. *Secundum promissionem quæ a nobis ad vestram gloriam facta est, retractantes dogmaticas Epistolas, quæ tanquam a Sergio quondam Patriarcha hujus a Deo conservandæ Regiæ urbis scripta sunt, tam ad Cyrum qui tunc fuerat Episcopus Phasidis, quam Honorium quondam Papam antiquæ Romæ, similiter autem & Epistolam ab illo, id est Honorio, rescriptam ad eundem Sergium, hasque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus & a definitionibus sanctorum Conciliorum & cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omnimodo abjicimus*

&

& tanquam animæ noxias execramur. Et nominatis singulis Monothelitarum antesignanis Sergio, Cyro, Pyrrho, Petro, Paulo & Theodoro, quos anathemati submittit sancta Synodus, sic de Honorio pergit. *Cum his vero simul projici a sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est & impia dogmata confirmavit*.

Eadem actione 13. pag. 972. prolatis a quodam Georgio variis Monothelitarum scriptis, e quorum numero fuit Epistola Latina quæ secunda est Honorii, sanctum Concilium dixit: *Cognitionem accipientes prolatorum nobis a Georgio Deo amabili Diacono & Chartophylace hujus sanctæ magnæ Dei Ecclesiæ libellorum, atque chartarum sive aliorum opusculorum, comperimus in unam eandemque impietatem concurrere, & prævidimus profanæ & animæ perniciosa, coontinuo ob perfectum exterminium igne concremari, & combusta sunt*.

Actione 16. pag. 1009. *Theodoro hæretico Pharanitano anathema, Sergio hæretico anathema, Cyro hæretico anathema, Honorio hæretico anathema .... omnibus hæreticis anathema, omnibus qui suffragantur hæreticis anathema*. Quod ipsum iisdem plane verbis repetitur actione 18. post Episcoporum subscriptiones p. 1044. tum & in sermone acclamatorio ad Imperatorem pag. 1053. ac denique in Epistola Synodica ad Agathonem summum Pontificem pag. 1073. quibus adjungi merito possunt quæ mox adducemus, ut ostendatur adversus Baronium vere in Concilio sexto damnatum fuisse Honorium, in quibus momentis pene singulis hæreticus declaratur.

Dist. min. Concilii Patres eum damnarunt, ut hæreticum conniventia & patrocinio, C. dogmate & scientia, N. non dissimulabo rigidiorem hanc Patrum Constantinopolitanorum censuram mihi nonnihil difficultatis facessere, vixque ista quæ communis est apud Theologos interpretatione emolliri posse; siquidem nominatim illum pronunciant hæreticum, quem potuissent ab aliis secretum Monothelitis, ut fautorem duntaxat istius hæreseos notare; lecta ejus Epistola eum declarant in unam eandemque impietatem cum Sergio & cæteris concurrere; sed qui nonnisi fautor alicujus hæreseos videretur, profecto stultæ conniventiæ, non impietatis reus peragi deberet. Verumtamen quia ab autoribus coævis fide dignissimis, quorum superius adducta sunt testimonia, non aliud imputatur crimen Honorio, quam quod Sergio Monothelismum disseminanti incautius annuerit, & Sophronio fidei Christianæ vindici acerrimo silentium imperaverit; hinc fit, ut illa Concilii verba hoc sensu interpretari non dubitemus, quod nonnisi hæreseos Monothelitarum fautor fuerit summus Pontifex, non assertor.

Atque eo magis conjicio Patres Concilii Constantinopolitani non dubitasse Honorium censura *hæretici* configere, quem nonnisi fautorem hæreseos optime noverant, quod nimirum intellexerunt ex sola ipsius Honorii negligentia disseminatum fuisse Monothelismum quem emergentem pro officio suo non compresserat; horruerunt ex summo, in quo versata est Ecclesia, discrimine propter lethale hoc summi Pontificis silentium; unde eum ut hæreticum infamare non dubitarunt, qui forsan majori quam quivis alius nocumento fuerat Ecclesiæ; tametsi dogmate & sententia non fuisset hæreticus.

Hinc cum dicunt Patres Concilii eandem fuisse Honorii impietatem ac Sergii cæterorumque Monothelitarum, sensus est eum non minoris culpæ reum, cum istius hæreseos incendium non extinxit, non minori quoque censura dignum esse. Ubi & adnotandum venit

in

in nullo ex obiectis locis expresse damnatum fuisse Honorium, quod unicam in Christo voluntatem docuisset; is enim recte dici potest hæreticus, sequi hæreticorum sententias, hæresim spargere & alia id genus, quæ Honorio tribuuntur, qui suo silentio & conniventia plurimum ad spargendam hæresim contulit.

Idque præterea ex eorum autoritate confirmatur, qui id solum criminis tribuunt Honorio, quod hæreticis impense faverit suoque silentio Monothelismum grassari permiserit: ita Leo II. in Epistola ad Constantinum Pogonatum pro confirmatione Synodi, *Anathematizamus novi erroris inventores, id est Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ subsessores, magis quam præsules, nec & Honorium qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit*. Et in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, *cum Honorio*, inquit, *qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam autoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit*.

Constantinus Pogonatus Imperator, qui Honorium pariter ut fautorem damnatum testatur in Edicto quod legitur post actionem 18. pag. 1097. *Super hæc omnia*, inquit, *anathematizamus atque refutamus & eos qui supervacuorum & novorum dogmatum hæretici autores atque fautores sunt. Dicimus autem Theodorum qui fuit Pharanitanus Episcopus, & Sergium qui fuit hujus a Deo conservandæ nostræ Regiæ urbis Antistes, huic consentaneum & moribus atque impietate parilem; ad hæc & Honorium, qui fuit antiquæ Romæ Papa, horum hæreseos in omnibus fautorem, concursorem, atque confirmatorem*. Quo quidem testimonio haud scio an gravius esse possit; 1. enim diserte Imperator distinguit Honorium a cæteris Monothelitis, hos dicit autores hæreseos, illum fautorem: 2. Quia ad mentem Concilii loquitur, cujus profecto sensum assecutus est, utpote qui eidem interfuerat Synodo.

Denique & observari potest vel ab ipso Concilio ita Honorium ab aliis sejungi Monothelitis quasi disparis conditionis esset; ut ille non nisi fautor aliis obsecutus dicatur, actione scilicet 13. sejunctim de Honorio pronuntiat Synodus: *Anathematizari præcipimus & Honorium, eo quod invenimus per scripta quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, impia dogmata confirmavit*. Non consentiendo sed connivendo: cum præsertim id unum velle visus fuerit Sergius ab unius aut duplicis operationis vocabulis abstinendum esse.

Secunda Conclusio.

Honorius fuit vere in sexta Synodo generali damnatus, siquidem hujusce rei fidem indubitatam faciunt.

1. Acta Concilii mox a nobis adducta in quibus Honorius nominatim anathemati subjicitur, declaratur hæreticus cum cæteris Monothelitis, ejus Epistolæ cum aliorum scriptis igni demandantur, quibus Synodi decretis & Imperatoris Constantini subjunximus Edictum.

2. Leo II. Romanus Pontifex qui Epistola ad Constantinum data sextam Synodum confirmat, & anathemate etiam percellit Honorium. Idem paulo post celebrationem Concilii, anno scilicet 684. ejusdem acta, in quibus Honorii nomen inter hæreticos legebatur, ad Hispaniæ Episcopos misit.

3. Agatho Diaconus, qui in sexta Synodo notarii munere functus fuerat, Honorium cum cæteris Monothelitis damnatum testatur in opusculo quod edidit Combefisius in auctuario Bibl. PP.

4. Concilium Trullanum aperte referens Honorium a sexta Synodo damna-

mnatum, quod ipſum etiam confirmat canone primo pag. 1140.

5. Synodus Nicæna quæ ſeptima eſt generalis, hæc habet actione ſeptima pag. 555. *deinde quoque & duas voluntates & operationes ſecundum proprietatem naturarum prædicamus in Chriſto, quemadmodum & Conſtantinopoli ſexta Synodus exclamavit, abjiciens Sergium, Honorium, Pyrrhum, Macarium.*

6. Synodus octava generalis comprobat actione ſeptima Epiſtol. Adriani II. Romani Pontificis Honorium referentis damnatum in ſexta Synodo ut Monothelitam.

7. Diurnus Romanorum Pontificum, ubi in ſolemni profeſſione fidei quam edunt Pontifices recens creati, anathemate percellitur Honorius, ut a ſexta Synodo damnatus.

Denique hujuſce veritatis teſtes locupletiſſimi fuerunt venerabilis Beda lib. de ſex mundi ætatibus. Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius præfatione in ſua collectanea. Nicephorus Conſtantinopolitanus Patriarcha in ſua ad Leonem III. Synodica. Photius in libello de Synodis tom. 6. Conc. p. 1217. Nilus de Concilio ſexto ibid. p. 1219. Anonymus de eadem Synodo ibid. Ado Viennenſis in Chronico. Cedrenus in hiſtoria Concilii ſexti. Marianus Scotus in Chronico; ac cæteri deinceps Græci & Latini Scriptores adusque Baronium Cardinalem, quem quidem his teſtibus fidem denegare non puduit.

Objicit itaque 1. Eminent. Cardin. acta Synodi ſextæ interpolata, quam ſcilicet fabulam ſic adornat. Conjicit id factum artibus Theodori Conſtantinopolitani, qui primum Monothelita, utpote qui fidei formulæ a Macario Antiocheno editæ ſubſcripſerat, teſte Anaſtaſio Bibliothecario, ob id dejectus fuerat e Sede Conſtantinopolitana ante Synodum ſextam, & poſtmodum in eadem Synodo cum cæteris Monothelitis proſcriptus eſt; ſed cum ſtatim poſt celebrationem Concilii emiſſa fidei profeſſione ſuæ ſedi reſtitutus fuiſſet, pro ea qua valebat apud Imperatorem gratia, acta Concilii arripuit & ſuo proprio nomine ex iiſdem expuncto *Honorii* nomen ſubſtituit; atque ita Leoni Papæ & cæteris acta ſuppoſititia tranſmiſit.

Verum neminem movere debet iſta Baronii narratio, in qua nihil obtruditur quod non ſit vel incertum, vel falſum, vel incredibile.

Primo quidem incertum, an Theodorus Monothelita fuerit; is quidem e ſua ſede Conſtantinopolitana pulſus eſt ante Concilii tempora, ſed qua ex cauſa ignoratur; quod affirmat Baronius, ſola nititur autoritate Anaſtaſii Bibliothecarii, qui Theodorum teſtatur fidei formulæ a Macario oblatæ ſubſcripſiſſe; ſed id falſum eſſe ex eo convincitur, quod hæc eadem fidei formula exhibeatur actione 8. Concilii ſexti pag. 752. cum ſola Macarii Antiocheni ſubſcriptione ſine Theodori nomine. Cui accedit quod idem Anaſtaſius nullibi nomen Theodori inter anathematizatos apponit.

Secundo, falſum eſt Theodorum in ſexta Synodo fuiſſe cum cæteris Monothelitis damnatum, in quo tamen iſtius rei cardo vertitur; ſupervacaneum enim fuit, ut e catalogo hæreticorum ſuum eraderet nomen, quod ibidem non expreſſum; id autem certo conſtat; tum quia id apud quemquam veterum haud invenire eſt, altum vel apud Anaſtaſium de Theodori condemnatione ſilentium, tum quia Tharaſius Conſtat. Patriarc. Act. 2. Conc. Nicæni generalis ſeptimi quatuor tantum recenſet Conſtantinopolitanos Præſules Monothelitas, Sergium, Pyrrhum, Paulum, ac Petrum, omiſſo Theodoro; tum quia incredibile eſt Theodorum, ſi pertinax in errore fuiſſet, atque in Concilio ut hæreticus notatus, ſtatim ſedi Conſtantinopolitanæ redditum fuiſſe; falſum igitur quod ſomniat Baronius

ronius Theodorum in sexta Synodo fuisse damnatum.

Tertio demum incredibile est ab eodem Theodoro interpolata fuisse acta Concilii; tum quia scribit Baronius corrupta fuisse illa Concilii acta a Theodoro paucis post finitam Synodum mensibus; at Theodorus Patriarchatui suo nondum redditus erat, sedem adhuc Constantinopolitanam occupante Georgio qui tribus annis post Synodum superstes vixit, ut testatur Theophanes in Chronico; tum quia, ut nemo nescit, suum notarium & scribam pro more habuit in Concilio unaquæque Ecclesia Patriarchalis, qui acta Concilii excipiebant & sedibus Patriarchalibus sedulo transmittebant, id præstitum fuisse in Concilio sexto generali expresse habetur actione 18. pag. 1072. ex qua colligitur tradita fuisse sedibus quinque Patriarchalibus autographa definitionis fidei omnium Episcoporum & Imperatoris subscriptione munita.

Demus autem ea interpolasse acta Theodorum quæ scriniis Constantinopolitanis asservabantur, profecto eadem fraude vitiare non potuit acta quæ ad alias sedes transmissa sunt. Qua vero arte corrupit Edictum Imperatoris diu arte promulgatum, quam iterum in sedem Constantinopolitanam conscendisset Theodorus? An venit in societatem facinoris cum Theodoro piissimus Imperator, qui studio in religionem christianam suo typum atque ecthesim proscripserat? Quo pacto Epistolam Concilii ad Agathonem ab ipsis legatis Apostolicis statim post Concilium delatam vitiare potuit iste præstigiator? Quomodo facinus istud plane inauditum nemo detexit, ne unus e septuaginta quinque supra centum Episcopis qui Concilio interfuerant? At si nefandum istud scelus aliquis tandem agnovit; nonne fidem omnem superat quod nemo illa fidei instrumenta suppositionis arguerit, nemo reclamaverit, atque ita uni homini famæ alioquin deturpatæ pepercerit? Credat hæc qui voluerit.

Instat Baronius. Certum est in actis sextæ Synodi nomen ipsius Theodori omnino reticeri: ergo ex iis expunctum fuisse illud nomen, ejus vero loco insertum nomen Honorii merito colligitur; non venit enim in mentem cujusquam Concilium retinere nomen tam famosi hæretici. Atque id eo maxime confirmatur, quod omnes Patriarchæ Constantinopolitani seu Catholici, seu Hæretici appellati sunt in Synodo, de Theodoro autem nulla vel in bonam vel in malam partem fit mentio.

Huic Baronii conjecturæ jam respondimus nullo evinci posse argumento Theodorum fuisse hæreticum; quo fit ut mirum videri non debeat, si cum aliis Monothelitis proscriptus non concurrat in actis Concilii. Quod autem ex altera parte inter Catholicos non celebretur, inde est, quod in Synodo Patres non appellarunt nisi fato functos Præsules, vel saltem in errore pertinaces, quod certo de Theodoro nemo affirmaverit.

Objicit præterea Baronius nonnulla momenta, ut commentum suum quodammodo, si possit, reddat probabile.

Primum est, causæ nihil extitisse cur Honorius damnaretur ut hæreticus, qui vel parum vel nihil peccaverat, & cujus ab omni errore immunes vindicari possunt Epistolæ.

Secundum est, quod incredibile prope sit legatos summi Pontificis adversus hanc Sedi Apostolicæ aspersam labem non reclamasse, indicat istud silentium de Honorio actum non fuisse in Synodo.

Tertium momentum est, quod in Concilio Lateranensi sub Martino I. paulo post Honorii mortem habito, anathemate percelluntur omnes Monothelitæ, Cyrus, Pyrrhus & Paulus, & reticetur nomen Honorii.

Quartum est demum quod Concilii sex-

ſexti Patres profitentur ſe in omnibus ſequi Epiſtolam Agathonis qui Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Petrum & Paulum nominatim proſcribit, ſed nedum ſua in Epiſtola Honorium damnat Agatho ſummus Pontifex, magnis laudibus effert ſuos omnes deceſſores : ergo.

Quibus argumentis paucis ac facile quidem reſpondetur.

Ad primum dico legitimam fuiſſe cauſam damnandi Honorium, qui, ut jam a nobis oſtenſum eſt, revera ipſo Monothelitarum errore non fuerat infuſcatus, ſuo tamen ſilentio graviter peccaverat; deinde agitur hic de facto non de jure.

Ad ſecundum nec reclamare debuerunt Legati Sedis Apoſtolicæ ſicut nec reclamarunt Orientales, quod Sergius, Cyrus & alii in ſuis ſedibus deceſſores proſcribantur ut hæretici, ſcilicet in ejuſmodi negotio nulla eſſe debet perſonarum acceptio, nec decet Epiſcopos Spiritu Sancto inſpiratos veritatem in injuſtitia detinere.

Nihilo-plus valet tertium momentum ex ſilentio Concilii Lateranenſis petitum, quod enim hic damnatus non fuerit ſummus Pontifex, quid tum an propterea ſuppoſita ſunt acta Synodi ſextæ?

Ad quartum denique reſpondeo potuiſſe ſextam Synodum ut hæreticum damnare Honorium, tametſi ejus nomini peperciſſet Agatho qui præcipuos duntaxat Monothelitas proponit, non ſingulos ejuſdem erroris fautores ac patronos.

De libertate Chriſti.

EST illud imprimis conſiderandum hac in quæſtione, qua quidem nulla toto hoc in Incarnationis myſterio perplexa magis ac implicita, difficultatem non occurrere in aſſerenda Chriſti libertate, quod utique & Scripturis & Sanctorum Patrum autoritate facile expediunt Theologi; ſed in eadem potiſſimum concilianda libertate cum Chriſti impeccabilitate, vix enim concipitur quo tandem pacto libera fuerit Chriſti voluntas ad agendum vel non agendum, cum ipſe contra mandatum paternum facere debuerit, omnium vero quæ erant agenda præſcriptum aliquod & mandatum acceperit.

Eſt aliud notatione dignum a nemine Chriſtiano negari poſſe Chriſtum hac in mortali vita degentem, fuiſſe liberum, eo ſcilicet nomine quod in numero & ſtatu Beatorum apud quos non remanet libertas, cenſebatur; is quippe fuit ſimul, ut vulgo dicunt Theologi, viator & comprehenſor, adeoque in omnibus operibus ſuis liber extitiſſe reputandus eſt.

Supponendum præterea ſitam eſſe libertatem hanc de qua nunc quæſtio eſt, & quæ dicitur libertas arbitrii, in perfecta indifferentia ad agendum vel non agendum, cui non modo coactio, ſed omnis vel etiam neceſſitas ſimplex opponitur, uti fuſius alibi & uberius demonſtrabimus in Tractatu noſtro de actibus humanis.

Quæſtio eſt autem utrum Chriſtus Dominus, quandiu vixit in terris, hac libertate fuerit præditus, tum in omnibus & ſingulis actionibus ſuis exercendis, tum in ſubeunda morte a Patre Æterno definita.

CONCLUSIO.

Chriſtus Dominus, tum in actionibus ſuis exercendis, tum in ſubeunda morte, fuit liberrimus.

Probatur 1. ex Scripturis. De Chriſto dixerat Iſaias cap. 7. *Butyrum & mel comedet ut ſciat reprobare malum & eligere bonum*. Electio autem eſt facultatis liberæ. Cap. 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit*. Joan. 10. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam a*

me, *sed ego pono eam a me ipso*, *potestatem habeo iterum sumendi eam*. Quo testimonio nihil sane illustrius ad istam rem adduci potest; si enim a Patre imposita fuit Christo moriendi talis necessitas, ut in subeunda morte non fuerit liber, ut penes ipsum non fuerit mori vel non mori, profecto non potuit merito affirmare, *Nemo tollit animam meam a me*, *&c.*

Quo etiam pertinent ea loca, in quibus summa commendatur Christi erga Patris mandatum obedientia; non est enim obedientia ubi non est libertas, & frustra præcipitur ubi est agendi necessitas. At ibidem ait Christus, *Potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi a Patre meo*. Et c. 8. *a me ipso facio nihil .... quia ego quæ placita sunt ei*, *facio semper*. Matt. 26. *Non sicut ego volo sed sicut tu*. Luc. 22. *non mea voluntas sed tua fiat*. Ad Philip. 2. *factus obediens usque ad mortem*. Igitur Scripturæ Christum prædicant liberum.

Probatur 2. ex sanctis Patribus qui uno ore Christum testantur libero arbitrio præditum.

Ita S. Cyprianus sermone de Passione Domini, *Voluntarie*, inquit, *obedisti Patri; & non te ut patereris*, *coegit necessitas*.

S. Chrysost. Homil. 28. in Epist. ad Hebræos, exponens illa verba Apostoli: *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, ait; *hoc est*, *licebat ipsi nihil perpeti*, *si voluisset; & potestatem habebat*, *si voluisset*, *crucem adire*. Idemque in illa verba capitis 15. Epist. ad Rom. docet his verbis: *Licebat ipsi non perpeti probra*, *licebat non ea pati quæ passus est*, *si quod sua intererat spectare vellet*, *verumtamen id facere noluit*, *sed quod nobis expediebat considerans*, *quod ad se pertinebat*, *neglexit*.

S. Ambrof. lib. 4. de fide, cap. 5. *Sicut*, inquit, *potestatis suæ esse significat ponere animam & liberæ voluntatis*, *ita etiam quod secundum mandatum deposuit Patris*, *suæ ac paternæ voluntatis significat unitatem*.

S. Hieron. in cap. 53. Isaiæ loquens de Christo, *non necessitate*, inquit, *sed voluntate crucem subiit*.

S. August. l. 4. de Trinitate cap. 13. *neque enim*, inquit, *jure cujusquam potestatis exutus est carne*, *sed ipse se exuit*. *Nam qui posset non mori*, *si nollet*, *procul dubio quia voluit*, *mortuus est*. Quod idem clarius, si fieri potest, docet Tract. 119. in Joan.

Theodoretus ad caput 12. Epist. ad Hebræos, *poterat*, inquit, *non pati si voluisset*. Quibus similia docent in eundem locum Æcumenius & Theophilactus.

S. Greg. Magn. l. 24. Moral. c. 2. *omni necessitate calcata*, *cum voluit*, *mortem sponte suscepit*.

Quibus adjungi merito possunt ea Patrum & Conciliorum oracula quæ in Monothelitas produximus; quippe non humanam materialiter esse in Christo voluntatem negabant isti hæretici, sed quæ libera esset, sui juris, suæ potestatis, suarum actionum electiva; unde eos merito censemus libertatis Christi assertores qui duplicem ipsi voluntatem adversus Monothelitas vindicarunt.

Probatur 3. ratione, quia Christus & suis bonis operibus & sua morte meruit nostram salutem, nostram cum Deo reconciliationem: ad meritum autem requiritur libertas arbitrii; meritum enim est jus ad præmium; atqui concipi non potest jus ad præmium aliquem consequi, nisi liber fuerit inter agendum; nisi fuerit ipse sui juris, Dominus sui actus, & in potestate habuerit agere vel non agere; ut enim ait S. Hieronymus l. 1. contra Jovin. *Ubi necessitas*, *ibi nec corona; ideo liberi arbitrii nos condidit Deus;* eaque est omnium Philosophorum communis sententia: ergo liber fuit Christus tum in observandis præceptis, tum in subeunda morte.

Obji-

Objicies. Ille non fuit liber, qui fuit determinatus ad unum : atqui Christus fuit determinatus ad unum, scilicet ad bonum operandum ; quippe qui cum esset impeccabilis, malum operari non potuit: ergo non fuit liber.

Distinguo maj. Non fuit liber libertate contrarietatis, C. libertate contradictionis, N. Libertas duplex distinguitur ; altera contrarietatis, qua quis potest unum vel aliud contrarium facere ; v. g. amare vel odisse : altera contradictionis, qua potest aliquis unum facere vel non facere, amare vel non amare. Porro non fuit quidem in Christo libertas contrarietatis, qua posset bonum & malum operari ; fuit vero libertas contradictionis, qua posset bonum operari vel non operari ; quod quidem efficaciter probant momenta superius a nobis adducta. Jam vero libertatem contradictionis esse veram & proprie dictam libertatem arbitrii constat, quia in eo sita est vera notio & essentia libertatis arbitrii, quo posito homo capax est meriti ac demeriti, præmii & supplicii, laudis & vituperii, exhortationis & minarum : atqui præsupposita in homine libertate contradictionis, homo capax est meriti ac demeriti, præmii & supplicii, laudis & vituperii, exhortationis & minarum, ut per se patet : ergo libertas contradictionis est vera libertas arbitrii.

Instabis. Ille non fuit liber libertate contradictionis, qui non fuit indifferens ad agendum aut non agendum : atqui Christus non fuit indifferens ad agendum aut non agendum, nimirum erga res a Deo præceptas, ac præcipue mandata Decalogi, quæ quidem sine peccato omittere non potuit: ergo nec liber fuit Christus libertate contradictionis.

Hujus difficultatis, ut intricatissima est, variæ extant apud Theologos responsiones.

Unus inter recentiores suo nomine celeberrimus non reveritus est scribere Christi voluntatem fuisse liberam ad præcepta quæ sub culpa obligant implenda vel non implenda, fassus eum peccati capacem fuisse ex natura sua, qui tamen peccare non potuit, quod aliter præscivisset Deus. Sed Christum Dominum sua natura, tametsi viator esset, mox ostendemus impeccabilem, qui nempe conceptus de Spiritu Sancto omnem habuit gratiæ & veritatis plenitudinem, in quo non fœda ignorantia, non rebellis appetitus, qui non sicuti nos natura filius iræ, adeoque fuit natura impeccabilis.

Respondent alii intactam fuisse libertatem Christi in observatione mandatorum quæ omittere non potuit sine peccato, quamvis ea necessario impleverit; quia, inquiunt, non erat vi quadam externa coactus voluntarie operabatur ; quod sufficit ad veram arbitrii libertatem, quæ sit radix meriti ac demeriti. Verum in indifferentia ad agendum aut non agendum sitam esse naturam libertatis, eaque cum ulla necessitate vel etiam simplici consistere non posse, invicte, ut puto, sequenti volumine ubi de Actibus humanis, ostendemus.

Non desunt alii Theologi qui dicant fuisse quidem liberum arbitrium in Christo ad opera supererogationis & consilii, quæ majorem suadebant perfectionem, non autem ad opera præcepta. Sed quia manifeste sequitur ex illa sententia nihil quicquam meruisse Christum per multa sua opera, quorum major pars fuit vel lege divina vel naturali præcepta ; cui ne ipse quidem rei assentior : altera demum quærenda est responsio.

Respondeo itaque cum multis aliis disting. min. Christus non fuit indifferens ad agendum aut non agendum circa observationem mandatorum spectatam quoad substantiam præcise, C. spectatam quoad circumstantias, N. Itaque observatio mandatorum spectari potest dupliciter, nempe quoad substantiam præcise, cum nulla ratio habetur circumstantiarum, loci, temporis, motivi

& alio-

& aliorum ejusmodi quæ possunt aliter & aliter se habere; vel consideratur quoad substantiam cum adjunctis circumstantiis, quando non solum consideratur id quod præceptum est, sed multæ præcepti circumstantiæ quæ aliter & aliter esse possunt. Revera Christus non fuit indifferens circa observationem præceptorum spectatam quoad substantiam præcise absque adjunctis circumstantiis; non potuit enim illa non implere quæ non potuit sine peccato omittere; sed eorumdem tamen præceptorum observatio libera fuit, quia illam circumstantiis induit quæ aliter & aliter esse potuerunt; scilicet potuit illa implere hoc vel illo tempore, uno aut alio motivo, majori vel minori affectu, &c. neque enim semper operari tenebatur Christus quod erat perfectissimum; adeoque habita ratione circumstantiarum observatio ejusmodi mandatorum in Christo fuit libera.

Jam vero ut actiones censeantur liberæ, ac proinde cadant sub meritum, satis esse si agens sit indifferens quantum ad circumstantias, licet in se absolute necessariæ sint & præceptæ, ex eo constat maxime quod morbi, calamitates & miseriæ quibus in hac mortali vita circumaguntur homines, sunt in se necessariæ & inevitabiles quoad rem ipsam; quæ tamen omnia usu, fine, motivo & libera voluntatis acceptione fiunt libera & consequenter meritoria. Deinde mors Martyrum censetur libera, quippe qui tantam sua morte mereantur laudem, æternumque consequantur præmium: atqui tamen mors Martyrum in se simpliciter quoad substantiam necessaria, quia statutum est omnibus hominibus semel mori, libera non est nisi propter circumstantias aut loci, aut temporis, aut motivi, quatenus scilicet qui martyrium subit, posset pro eo instanti mortem declinare; qui moritur propter Christum, mori posset propter Mahometem, &c. Ergo ut observatio alicujus præcepti sit libera, satis est quod induatur circumstantiis quæ possunt aliter & aliter se habere.

Instabis. Sequitur ex illa responsione observationem mandatorum Decalogi & legis naturalis non fuisse in Christo liberam quoad substantiam; quandoquidem non erat circa illam indifferens; ea adimplere necessario tenebatur: atqui observatio mandatorum debuit in Christo esse libera quoad substantiam; in eo enim meruit quod observaret mandata, hoc est poneret ipsam mandatorum substantiam; siquidem meruit per id quod præceptum erat, & cui se subjecit titulo obedientiæ; sed observatio mandatorum quoad substantiam spectata, erat a Deo præcepta: ergo debuit esse libera in Christo non solum quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam.

Neg. maj. & dico observationem mandatorum dici debere liberam in Christo etiam quoad substantiam & simpliciter loquendo, quamvis absolute & seorsim a circumstantiis spectata omitti non potuerit. Et ratio est quia in ejusmodi determinatione agentis ad rem necessariam & præceptam sese determinantis, ita indivise conjunguntur substantia & circumstantiæ actus, ut non possit illa determinatio dici libera secundum circumstantias & non libera secundum substantiam, sed dici debet libera simpliciter propter adjunctas circumstantias; quod manifeste liquet tum ex adductis supra exemplis, tum quia ejusmodi præcisio circumstantiarum a substantia actus non est nisi per mentem; in rei veritate autem cum libertas exercetur circa actionis circumstantias quæ poni possunt vel non poni, ea quoque exercetur circa ipsius actus substantiam.

Instabis & probabis maj. In id solum cadit libertas Christi quod erat gratuitum, quod ponere non tenebatur: atqui de solis circumstantiis, non de substantia observationis mandatorum id dici potest; sicut v. g. si quis debeat alteri

centum nummos, quos nonnisi post elapsum annum solvere teneatur; rogatus vero a creditore ut ante definitum tempus solvere velit, & revera solvat; certum est in illo casu hanc pecuniæ solutionem fore liberam tantum & meritoriam quoad circumstantiam, hoc est anticipationem temporis; non autem quoad substantiam, hoc est ipsam pecuniæ summam; unde solventi debitori gratias non aget creditor propter ipsos nummos datos, sed propter solam temporis anticipationem. Ergo libertas Christi non cadit in substantiam actionum quas omittere non poterat, non cadit in observationem ipsam mandatorum Dei & legis naturalis.

Nego min. & dico observationem mandatorum in Christo Domino fuisse gratuitam etiam quoad substantiam, non quidem a suis circumstantiis divulsam, sed cum illis conjunctam. Quod spectat allatum exemplum, constat similiter solutionem pecuniæ tunc dici debere gratuitam simpliciter, quantumvis ipsa debeatur; quia nempe induitur circumstantia per quam efficitur libera; quo fit ut meruerit ille debitor qui solutionem anticipavit, & gratias ipsi merito ageret creditor ob ipsam solutionem: non sunt quidem agendæ gratiæ pro centum nummis separatim; id enim significare videretur eos non fuisse debitos creditori; sed pro solutione nummorum per anticipationem facta, non pro sola anticipatione.

Objicies saltem in morte subeunda liberum non fuisse Christum; is enim non fuit liber, qui acceperat a Patre præceptum moriendi, quod detrectare non potuit: atqui Christus acceperat a Patre præceptum moriendi, quod profecto detrectare non potuit, propter suam nempe impeccantiam, ut ipse testatur non semel, Lucæ 22. *Filius hominis vadit secundum quod definitum est de illo*, & cap. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Ad Philipp. 2. *Factus est obediens usque ad mortem*. Ergo liber non fuit Christus in morte subeunda.

Dist. min. Christus acceperat a Patre præceptum moriendi conditionatum, C. absolutum, N. Mors itaque Christi Domini fuit quidem opus præcepti conditionati, hoc est dependentis a libera ipsius acceptatione, non autem opus præcepti absoluti. Scilicet certo affirmare possumus in primo Incarnationis momento voluntati humanæ Christi Deum varios modos proposuisse, quibus humanum poterat genus redimere; quod nempe præstare potuit sola condonandi voluntate, vel levi ac perfunctorio supplicii genere, adeo ut quemcunque modum capesceret, gratum esse sciret & voluntati paternæ consentaneum; cum id quod vellet Deus, non absolute sed conditionate tantum præciperet.

Atque id non vanam esse conjecturam invicte probant quæ supra adduximus tum ex Scripturis sacris, tum ex sanctis Patribus; si enim latum est a Patre divino mandatum absolutum & despoticum quod voluntas Christi ultro & libenter non acceptaverit, cur Christus potestatem habere se dicit mortis obeundæ, eamque se ab semetipso suscipere? Hinc enim procul dubio monstrat integrum sibi fuisse aut mori, aut se morti subtrahere. Cur Christum exhibet Apostolus obedientem usque ad mortem crucis? ubi enim non est libertas, ibi non est obedientia. Cur Patres & Græci & Latini nullum Christo præceptum proprie dictum a Deo Patre censent impositum fuisse? Ex iis igitur conficitur liberrimam fuisse Christi mortem, tametsi dicatur in Scripturis definita & præscripta a Patre æterno, quia fuit illud præceptum ab ipsa voluntate Christi acceptatum.

Neque inde colligi debet vel nullam, vel minus perfectam fuisse Christi obedientiæ virtutem, quod ipsi non absolute & severe quicquam Pater divinus

præ-

præſcripſerit; ut enim ait ſanctus Thomas in 2. 2. quæſt. 104. artic. 2. *tanto videtur perfectior obedientia, quanto expreſſum præceptum obediendo prævenit inferior, voluntate ſuperioris intellecta.*

An & qualis in Christo fuerit gratia.

Gratia univerſim eſt donum ſupernaturale a Deo infuſum.

Dividitur in gratiam gratum facientem, quæ donum eſt quo aliquis redditur ſanctus, Deo gratus; & in gratiam gratis datam, quæ eſt donum alicui conceſſum in ordine ad alios, ut dona miraculorum & prophetiæ.

Gratia gratum faciens hic duplex diſtinguitur; ſubſtantialis aut ſubſtantiva, & accidentalis. Subſtantiva eſt ſanctitas quædam quæ in humanitatem Chriſti fluere videtur ex unione hypoſtatica. Accidentalis eſt ſuperadditum quoddam præter unionem hypoſtaticam; & duplex iterum diſtinguitur, habitualis ſcilicet & actualis; quibus poſitis.

Quæres an fuerit in Chriſto gratia ſubſtantiva?

Reſpondeo affirmative, quia ejuſcemodi ſanctitatem humanitati Chriſti tribuunt communiter ſancti Patres, ubi humanam Chriſti naturam dicunt velut ipſa divinitate unctam ac delibutam in myſterio Incarnationis: ita Gregorius Nazianzenus Orat. 42. *Perfectus*, inquit, *non modo propter divinitatem, qua nihil perfectius; ſed etiam propter humanitatem unctam deitate*. Cyrillus lib. 11. in Joannem: *Sanctum eſt*, inquit, *quod a mundi ſordibus eſt immune, quod quidem naturaliter eſt in Chriſto; aſcititium vero & adventitium ineſt ſanctis Apoſtolis*. Chryſoſtomus in Pſalmum 44. *Chriſtus*, inquit, *nunquam unctus eſt oleo, ſed Spiritu ſancto; & ideo adjecit, præ conſortibus tuis, hoc ipſum ſignificans neminem ita unctum fuiſſe ut ipſe*. Quod idem plane docent S. Athanaſius Orat. 2. in Arianos, S. Baſilius in Pſalmum 44. S. Auguſtinus Enchir. c. 40. S. Bernardus Serm. 22. in Cantica.

Atque ut ita loquerentur ſancti Patres, invitabant quamplurima Scripturarum loca, in quibus Chriſtus non modo dicitur juſtus, ſed & ipſa juſtitia; non modo ſanctus, ſed & ipſa ſanctitas, Lucæ 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*. Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. 1. Corinth. 1. *Factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*. Ad Coloſſ. cap. 2. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. In quibus non obſcure inſinuatur humanitatem Chriſti fuiſſe ſubſtantiva quadam, ſubſtantiali, naturali ſanctitate oppletam, quæ ipſa eſt nimirum divinitas hypoſtatice, hoc eſt ſubſtantialiter, non accidentaliter unita naturæ humanæ.

Et certe ille merito dici poteſt ſubſtantive ſanctus, qui ſubſtantialiter eſt Deus, filius Dei: atqui Chriſtus ſubſtantialiter eſt Deus, filius Dei: ergo merito dicitur ſubſtantive ſanctus.

Nec eſt quod dicatur non magis ſanctitatem ſubſtantialem deitatis communicari poſſe humanitati quam cæteras Dei proprietates, quæ ipſi profecto tribui non poſſunt, quandoquidem humanitas dici non poteſt æterna, omnipotens, &c. uti ſupra oſtendimus adverſus Ubiquiſtas.

Eſt enim latum diſcrimen inter ſanctitatem ſubſtantialem & attributa divina, in eo ſcilicet quod attributa primario pertinent ad naturam divinam; ſanctitas vero quæ ex intima cum Verbi perſona conjunctione proficiſcitur, ad perſonam in qua immediate fit unio, per ſe & primario refertur; quo fit ut a perſona ſanctitas in humanitatem derivari potuerit, non æternitas, non omnipotentia, &c.

Quæres utrum inſuper fuerit in Chriſto gratia habitualis, infuſa, accidentalis?

Reſ-

Respondeo affirmative; tum quia id aperte declarant Scripturæ sacræ. Joan. *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis*. Plenus autem non esset gratiæ, si ei infusum non fuisset omne gratiarum genus; tum quia Patres Christum dicunt Spiritum-sanctum, sanctitatem, sanctificationem accipere. Vide Tertull. l. 5. contra Marcionem, S. Cyrillum lib. de fide, S. Damasc. lib. de fide, cap. 22. S. Bern. Homil. 4. in hæc verba, *Qui missus est*: tum denique quia nulla perfectio denegari debet animæ Christi: atqui gratia habitualis est vera & proprie dicta perfectio, verum animæ ornamentum: ergo fuit in Christo creata quædam & infusa gratia habitualis.

Dices. Ubi est conjunctio rei per essentiam, insuper inutilis est conjunctio per similitudinem: atqui in Christo divinitas unita supponitur humanitati per essentiam: ergo inutilis est alia unio per similitudinem, adeoque inutilis est gratia habitualis.

Nego maj. Siquidem utraque unio, utraque gratia suum peculiarem habet effectum; gratia quidem substantiva humanitatem reddit subsistentem ac veluti natura sanctam; ita ut tamen sit iners de se & nullius operis effectrix; gratia vero habitualis accidentalis animam Christi ad opera bona vel disponat vel inclinet.

Dices præterea. Christus etiam ut homo non fuit filius Dei adoptivus: atqui homo per gratiam habitualem sanctificantem redditur filius Dei adoptivus; hic est enim effectus formalis gratiæ sanctificantis, facere nimirum homines filios Dei adoptivos: ergo Christus non habuit gratiam sanctificantem quæ accidentalis est.

Dist. min. si aliunde non sit filius naturalis, C. si sit aliunde filius naturalis, N. Vide infra hanc objectionem fusius expositam, ubi de adoptione Christi dicemus.

Cæterum circa illam gratiam habitualem nonnulla hic paucis adnotanda veniunt.

1. Ejuscemodi gratiam animæ Christi infusam fuisse in ipso Incarnationis exordio; hæc enim ipsi debebatur propter unionem hypostaticam cum Verbo.

2. Eandem gratiam non fuisse infinitam; plus enim gratiæ non habuit quam continere poterat anima Christi pro finita sua capacitate.

3. Gratiam illam habitualem in Christo ejusdem esse speciei cum nostra licet in nobiliori gradu eam habuerit; sic enim de justis loquitur Apostolus Rom. 8. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*.

4. Ejuscemodi gratiam habitualem esse in Christo, jam certo constare apud Theologos, aut certe communem esse eorum opinionem propter momenta superius a nobis adducta; rem tamen non fuisse definitam ab Ecclesia, adeoque non esse de fide, præsertim cum absolute explicari possent Scripturæ loca de sanctitate substantiali, quæ omnium gratiarum plenitudo dici potest.

Quæres præterea, an Christo insuper data fuerit gratia actualis?

Respondeo affirmative; quia gratia actualis est illuminatio intellectus, & pia motio voluntatis ad bonum opus: atqui ejuscemodi mentis illuminatione cum pia voluntatis motione Christus ad bona opera elicienda fuit instructus: ergo fuit in Christo gratia actualis. Hæc porro gratia non fuit gratia excitans ut resurgeret Christus a statu peccati, siquidem nullum unquam admisit peccatum; sed fuit adjuvans seu cooperatio uberior divinæ voluntatis cum voluntate humana Christi ad bene agendum: quapropter non fuit gratia efficax, quale est adjutorium quo indigemus in statu naturæ lapsæ, sed sufficiens seu adjutorium sine quo, quale datum est Adamo in statu naturæ innocentis.

Quæres deinde an fuerint in Christo gratiæ gratis datæ?

Respondeo affirmative; quia nihil defuit Christo quod quidem ad ejus perfectionem & ornamentum nonnihil conferre potuit: atqui ejuscemodi sunt gratiæ gratis datæ, quæ profecto eum decebant qui erat caput totius generis humani redempti, ut ex singularum enumeratione facta manifeste liquet: ergo fuerunt in Christo gratiæ gratis datæ. Non obscure recensentur a sancto Paulo 1. Corinth. cap. 12. his verbis: *Divisiones vero gratiarum sunt .... alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum.*

Dices. In Christo non fuit fides: ergo non fuerunt præfatæ gratiæ.

Distinguo ant. Fides ut virtus est theologica, transeat; fuit enim in eo firma adhæsio, firmus assensus veritatibus a Deo revelatis, fides sumpta pro fiducia in virtutem Dei, N. Porro hic fides sumitur pro fiducia in Dei virtutem, quæ fides est signorum seu miraculorum patrandorum; non vero pro virtute theologica, de qua postea dicturi sumus.

Dices præterea. Non fuit in Christo prophetia, siquidem prophetia est obscura futurorum prædictio: at non fuit in Christo obscura etiam futurorum cognitio, ut mox dicebamus: ergo non fuit prophetia.

Nego maj. nempe prophetiam esse obscuram futurorum prædictionem; ita enim fuit quidem in Prophetis per accidens, quia nempe noluit Deus ipsis revelare quæ hominibus annuntiabant; sed illud ad prophetiam per se non requiritur, quæ quidem proprie loquendo nihil est aliud quam certa, infusa & supernaturalis futurorum revelatio facta hominibus; quamobrem de Christo dicitur Lucæ c. 24. *Qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo*. Et Joannis 4. *Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet*.

Quæres denique an specialiter & quo sensu Christus dicatur plenus gratiæ; nam beata Virgo dicitur quoque Lucæ 1. *plena gratia*, tum & Stephanus Actuum 6. *plenus gratia*.

Respondeo speciale Christo datum fuisse privilegium ut dicatur plenus gratiæ, tum quia non tantum participatam quandam & accidentalem, sed & substantivam habuit gratiam; tum quia nullum gratiarum genus ei defuit, tum quia non ad mensuram habuit Spiritum, inquit Scriptura Joan. 3. tum denique quia plenus gratiæ dicitur modo quodam præcellenti, de cujus plenitudine omnes accipiunt, Joan. 1. c. *de plenitudine ejus omnes accepimus*. Quamobrem beata Virgo & Stephanus dicuntur pleni gratia, tum & discipuli dicuntur Actor. 1. repleti Spiritu sancto, eo tantum sensu quo plenus gratia dicitur, qui plene gratiam habet, quantum ad ejus statum & ministerium pertinet.

An fuerint in Christo dona & virtutes.

Est hic observatione dignum, tametsi virtutes morales in aliquem sensum sint dona, nihilominus dona Spiritus sancti distingui a virtutibus moralibus, in eo quod, ut ait S. Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 1. virtutes morales perficiunt hominem in his quæ agit per rationem; dona autem Spiritus sancti perficiunt hominem seu animæ potentias in iis quæ agit per Spiritum sanctum: quibus præsuppositis,

Quæres 1. utrum in Christo fuerint dona Spiritus sancti.

Resp. affirmative; quia Isayas hæc de Christo prædixerat, cap. 11. *Requiescet super eum Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus*

ritus

ritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Quem locum de Christo interpretantur S. Irenæus l. 3. contra hæres. cap. 3. Tertull. lib. adversus Judæos cap. 9. S. Hieron. in Isayam, & cæteri passim.

Et ratio est quia quælibet perfectiones quæ cum unione hypostatica non pugnant, Christo non sunt denegandæ: sed dona Spiritus sancti recensita nequaquam cum unione hypostatica pugnant, suntque veræ perfectiones, ad id nimirum institutæ, ut iis homo instructus facilius per Spiritum sanctum moventem agat: ergo.

Dices: Consilium importat aliquam dubitationem in agendis: atqui in Christo nulla fuit dubitatio: ergo non fuit consilium.

Dist. maj. per accidens, ratione subjecti & in nobis, C. per se & ex natura sua, N. Siquidem consilium in se & absolute nihil est aliud quam rectum judicium in agendis; quod quidem fuisse in Christo nemo negaverit.

Dices. Non fuit in Christo timor, siquidem fuit in eo perfecta charitas: atqui perfecta charitas expellit timorem: ergo non fuit timor.

Dist. min. Expellit timorem servilem, C. filialem, N. Timor filialis in eo qui convertitur ad Deum timore culpæ, filius enim timet offensam Patris; timor servilis in eo est qui convertitur propter timorem pœnæ, servus enim timet pœnam & verbera: porro non fuit quidem in Christo timor servilis; fuit vero timor filialis, timor ille *sanctus permanens in sæculum sæculi*, ut habetur Psal. 18. Quamobrem inter errores Abailardi ab Innocentio II. damnatos notatur, quod timoris donum Christo denegaverit, teste S. Bernardo Epist. 190. ad eundem Innocentium II. Porro hic non agitur de timore prout est specialis animæ passio, de quo nempe dicemus postea.

Quæres 2. utrum in Christo fuerint virtutes:

Respondeo virtutes alias esse theologicas, alias esse morales. Theologicæ sunt eæ quæ Deum immediate habent pro objecto, tresque vulgo numerantur, fides, spes, charitas. Morales dicuntur eæ quæ circa alia objecta occupantur, quales sunt prudentia, justitia, &c.

Inter virtutes morales aliæ sunt divinitus infusæ, aliæ acquisitæ. Virtus infusa, inquit S. Thomas 1. 2. q. 63. art. 2. est virtus ordinata ad bonum quod modificatur per legem divinam. Acquisita, est virtus ordinata ad bonum quod modificatur secundum regulam rationis humanæ, & potest communicari per actus humanos, quorum principium est ratio. His positis,

Dico 1. non fuisse in Christo fidem theologicam; quod quidem ex eo non probaverim quod, ut ajunt multi Theologi, fides sit necessario assensus datus propositioni obscuræ, qui proinde esse non potuit in Christo, qui clare per visionem intuitivam divinitatis omnia attingebat, siquidem manifeste falsum est requiri ad essentiam fidei, ut versetur circa objectum obscure cognitum, ut abunde ostendimus in Tractatu de Attributis, ubi docuimus existentiam Dei pertinere ad fidem, tametsi aliunde comperta sit ratione naturali; adeoque non sit obscure cognita. Verum id longe melius confici puto ex eo quod inutilis plane fuerit infusus aliquis habitus, qui voluntatem Christi pie moveret ad credendum id quod ipsi erat apertum & ante oculos positum: hæc autem pia motio inclinans intellectum ad assentiendum rebus a Deo revelatis, est de essentia fidei juxta communem fidei divinæ acceptionem: adeoque fides non fuit in Christo Domino.

Dico 2. in Christo spem non fuisse, prout est virtus theologica. Siquidem spes definitur secura expectatio futuræ aliquando beatitudinis: atqui non fuit

in Christo ejuscemodi expectatio sibi obventuræ beatitudinis; fuit enim, ut diximus, vel a primo Incarnationis instanti beatus; nemo autem sperare dicitur quod possidet; *quod videt quis, quid sperat?* inquit Apostolus Roman. 8. ergo spes non fuit in Christo. Quod si quis dixerit spem saltem habuisse Christum futuræ sui corporis gloriæ. Respondet S. Thomas spem, quatenus est virtus theologica, non respicere beatitudinem corporis sed animæ, quæ in divina fruitione consistit.

Dico 3. fuisse in Christo caritatem, quia fuit in Christo omnis perfectio quæ cum ejus statu non pugnabat: atqui charitas summa fuit perfectio & virtutum omnium excellentissima, quæ neque cum unione hypostatica, neque cum visione Dei beatifica pugnat: fuit igitur in Christo caritas.

Dico 4. fuisse in Christo omnes virtutes morales tum infusas tum acquisitas; si quidem Christo tribui debet quicquid rationem habet perfectionis: atqui habere omnes virtutes morales tum infusas tum acquisitas, maximam importat secum perfectionem, modo illæ virtutes cum ipsius Christi statu seu cum unione hypostatica non pugnent. Adde quod Christus a primo Incarnationis instanti habuit gratiam habitualem; virtutes autem omnes una cum ipsa infunduntur a Deo.

Cæterum eo sensu res accipi debet, ut virtutes illæ nihil vitii esse in Christo supponerent; in eo enim v. g. non fuit pœnitentia quæ esset dolor de peccatis propriis admissis, sed pro peccatis aliorum hominum: sic non fuit continentia quæ libidinis motus refrænaret, sed qua ab omnibus illicitis voluptatibus abstineret; & ita de cæteris.

At, inquies, saltem in Christo non fuerunt virtutes acquisitæ: nam virtutes acquisitæ actuum repetitione comparantur: atqui Christus omnes habuit virtutes ab ipso conceptionis instanti, ut mox dictum est: ergo non fuerunt in eo virtutes acquisitæ.

Respondeo virtutes acquisitas hic non appellari eas quæ frequenti actuum exercitio comparantur, sed quæ tametsi aliunde infundantur, ab infusis tamen differunt in eo quod infusæ hominem inclinant ad bonum agendum per operationem divinam supernaturalem; acquisitæ vero ordinant hominem ad bonum prout dictat ratio. Neque ejuscemodi virtutes acquisitæ censeri debent superfluæ in eo qui omnibus aliis virtutibus infusis ornatus est; siquidem suum est unicuique virtutum generi motivum; potest enim quis v. g. abstinere a cibo, vel quia nocet valetudini, vel quia abstinentia præcipitur ab Ecclesia: ubi cum utrumque motivum non separat homo, tunc non agit ex motivo mere naturali.

De nonnullis Christi dotibus & titulis.

His satis superque, ut opinor, pertractatis quæ ad utramque Christi naturam, tum & ad utriusque naturæ partes atque etiam facultates attinent: superest ut isti tandem Tractatui Incarnationis finem impositurí nonnullas Christi dotes quæ velut proprietates ex utriusque naturæ divinæ & humanæ conjunctione pullulant, accurate & sigillatim expendamus. Hæ autem Christi dotes sunt.

1. Ejus sanctitas seu impeccantia. 2. Quod fuerit etiam quatenus homo, filius naturalis, non adoptivus. 3. Quod non fuerit more cæterorum hominum servus Dei. 4. Quod fuerit mediator Dei & hominum. 5. Quod fuerit salvator & redemptor generis humani. 6. Quod fuerit caput hominum & Angelorum. 7. Denique, quod etiam ut homo sit adorandus; cui quæstioni appendicem subnectemus de cultu Imaginum & veneratione Reliquiarum.

De sanctitate Christi.

CUm sanctitati peccatum maxime sit oppositum, & eatenus aliquis sanctus æstimari debeat, quo est ab omni peccati labe & peccandi potestate vacuus & alienus; profecto Christi sanctitatem melius celebrare non possumus, quam si non modo quodcunque peccatum, sed & omnem ab eo aut potestatem aut peccandi inclinationem amoveamus. Tria igitur impræsentiarum nobis præstanda incumbunt. 1. quidem ostendere in Christo nullum unquam vel levissimum fuisse peccatum. 2. omnem ab eo amovere peccantiam. 3. denique, & omnem ad peccandum propensionem vitiosam. Tria hæc paulo fusius & singillatim examinabimus.

An Christus fuerit ab omni peccato immunis.

NEmo est inter Christianos qui sine animi horrore audire possit Christum Dominum alicui peccato subjacuisse, aliquod peccatum admisisse. Hujus blasphemiæ a multis Catholicis accusatur vulgo Calvinus, quasi Christum dixerit in cap. 27. Matth. & l. 2. Inst. c. 16. verba hæc desperationis emisisse, *Deus meus quare dereliquisti me?* Id gravissime carpit in Calvino Bellarminus lib. 4. de Christi anima, c. 8. Quam tamen blasphemiam longe a Calvino pro suo in eum studio removent Calvinistæ; quanquam meo quidem judicio, super ista re non omni vacet culpa famosus iste hæresiarcha, quippe qui forte nullum Christo tribuit peccatum, nullumque desperationis motum deliberatum, sed ei tribuere non veretur insolitam animi perturbationem quam vehementia doloris extorsit. *Metu percussus*, inquit, de Christo in Matth. *& anxietate constrictus fuit, ut necesse foret inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare. Hæc ratio est cur mortem deprecatus mox sibi frænum injiciat; Patrisque imperio subjiciens votum illud subito elapsum castiget ac revocet.*

CONCLUSIO.

In Christo nullum fuit neque originale, neque actuale peccatum.

Probatur 1. ex Scripturis. Lucæ 1. Angelus dixit Mariæ: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Joan. 8. confidenter dicit ipse Christus, *Quis arguet me de peccato?* 2. Corint. 5. Apostolus loquens de Christo: *Eum*, inquit, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Ait Hebr. 4. cap. Christum *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*; & cap. 7. *Talis enim*, inquit, *decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Idem docet aperte divus Petrus 1. Epist. capit. 1. his verbis: *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati*; & cap. 2. *Christus*, inquit, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Quæ eadem plane scribit S. Joannes primæ Epistolæ suæ cap. 3. *Et scitis*, inquit, *quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.* Quibus profecto evincitur Christum ab omni peccato tum originali tum actuali vel etiam levissimo fuisse immunem.

Probatur 2. ex sanctis Patribus.

Tertullianus quidem libro de carne Christi, cap. 16. *Defendimus autem*, inquit, *non carnem peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis; non materiam seu naturam; nec substantiam, sed culpam, secundum Apostoli* auto-

autoritatem dicentis: Evacuavit peccatum in carne...& sic in illa peccatum evacuatum quod in Christo sine peccato habeatur, quæ in homine sine peccato non habeatur.

Idem ex luculentis similitudinibus probat Origenes lib. 2. Periarch. c. 6. ac primo ex similitudine candentis ferri, quod quando candens est, suscipere frigus non potest. *Hoc ergo modo*, inquit, *illa anima* Christi *quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est; & ideo nec convertibilis & mutabilis dici potest, &c.* Secundo, ex similitudine vasis quod aliquo bono odore imbutum nihil foetoris recipere potest; bonus autem odor animæ Christi divinitas est. *Sicut*, inquit, *vas ipsum quod substantiam continet & unguentum nullo genere potest aliquid recipere foetoris ... ita Christus velut vas ipsum in quo erat unguenti substantia, impossibile fuit ut contrarium reciperet odorem.*

Dionysius item Alexandrinus Epistol. Synodica ad Paulum Samosatenum hæc scribit: *Nam nisi Christus idem esset Deus Verbum, non poterat a peccato immunis esse; nullus enim peccati est expers nisi solus Christus, sicut & Pater Christi & Spiritus Sanctus.*

Sic & S. Athanasius lib. de Incarn. *Erat*, inquit, *impossibile alio modo integritatem & impeccantiam in humanam recipi naturam, nisi Deus in carne crederetur esse qui peccati expertem justitiam in mundum invexit.* Idem docet in alio Tractatu de Incarnatione contra Apollinarem, ubi Verbum ait assumpsisse laborem & alias naturæ humanæ affectiones, non autem peccatum, *atque in eo miraculum esse quod & homo factus est Dominus, & tamen sine peccato fuit, eo quod in totum novitas facta sit, ut potentiam ostenderet suam.*

Simillimum est quod scribit S. Hilar. lib. 10. Trin. *Ita homo Christus Jesus*, inquit, *& in veritate nativitatis est, dum homo est, & non est in proprietate peccati dum Christus est .... nec est in vitiosa infirmitate hominis, qui Christus est.*

Sequitur S. August. libro de corrept. & grat. cap. 11. hæc scribens: *Neque enim metuendum erat ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana suscepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ista susceptio talis esset ut natura hominis a Deo ita suscepta nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* In Enchirid. c. 36. ait *per eandem gratiam justificari homines a peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum.* Et lib. de peccat. meritis, cap. 13. *In cujus*, inquit, *non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne, ullum potuit esse peccatum.*

Tum Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum, c. 38. *Propterea*, inquit, *Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personæ divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non potuit. Homo ergo Christus, quoniam peccata non habuit propria, portare dignatus est aliena.*

Ita demum & cæteri Patres, nullo excepto, quorum singula si adducerem testimonia, infinitum esse me oporteat: sic Cyrillus Alex. lib. 5. 9. & 11. in Joan. tum lib. de recta fide ad Theod. Imperatorem. Hippolytus Martyr apud Theodoret. Dialogo 1. S. Epiphanius in Anchorato, S. Basilius Homil. 25. Maximus Martyr Dialogo cum Pyrrho, aliique multi qui scripserunt in Monothelitas.

Objicies. In eo levis saltem fuit culpa, leve peccatum, qui adversus Patris æterni voluntatem aliquid postulavit: atqui Christus his verbis; *Transeat a me calix iste*, Matth. 26. aliquid postulavit adversus Patris sui voluntatem, puta ut mortem effugere posset, quam tamen a Deo Patre noverat definitam;

quod

quod sane nonnihil inobedientiæ præ se fert: ergo nonnulla fuit in Christo culpa.

Dist. min. Postulavit mortem effugere voluntate conditionata, C. voluntate absoluta, N. Ex eo igitur efficaciter ostenditur non fuisse in Christo voluntatem divinæ contrariam, quod Christus conditionem istam expresse apponit in sua precatione, *si fieri potest*, additque postea, *non tamen mea sed tua voluntas fiat*. Siquidem voluntas conditione affecta non est ei contraria quæ simplex est & absoluta; sicut votum illud D. Pauli quo se optare dicit anathema esse pro fratribus, nefarium quidem desiderium esset absolute sumptum, quod tamen apposita conditione licitum est & laudabile, ut egregie explicat Photius apud Oecumenium in cap. 9. ad Rom. c. 3. *Si fieri posset*, inquit, *ut mea perditione Christus glorificaretur, ac Judæi salutem consequerentur, ne hoc quidem recusarem; optabam enim, ait, si liceret, si fieri posset, si quis mihi optionem daret*.

Adde quod præfatum Scripturæ locum eo sensu communiter interpretantur sancti Patres, quod naturæ humanæ veritatem demonstrare voluit Christus; non parum enim ad fidem veræ assumptæ hominis naturæ sanciendam confert, quod non tantum actiones corporis, ut famem, sitim & dolores in se susceperit, sed & propriam voluntatem quæ animæ proprietas est debita. Consule Origen. l. 2. contra Celsum; S. Athan. Orat. ad illa verba, *Nunc anima mea turbata est;* & Orat. 4. contra Arianos, S. Epiphan. hæresi 69. S. Chrysostom. homil. 83. in Matth. S. Hieron. in cap. 26. Matth. S. Cyrillum initio l. 4. in Joan. & alios passim.

Atque eodem plane modo explicandum esse docent hoc aliud Scripturæ testimonium, *Deus, Deus meus quare me dereliquisti?* Matth. 27. quo statim & prima fronte exhiberi videtur aliquis desperationis motus in summa illa Christi consternatione; nec aliud tamen quam veritas naturæ humanæ exprimitur. Insignis est inter alios super ea re locus S. Epiphanii, qui hæresi 69. Arianorum argumentum refutans ex illis verbis ductum, *quare me dereliquisti?* hæc scribit: *Quinam igitur ex persona divinitatis ipsius dici ista poterant: Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? Restat igitur ut ex ejus humanitatis persona & affectu quodam humano dictum illud videatur; ut Incarnationem non specie duntaxat adumbratam, sed reipsa vereque administratam fuisse discamus*. Cui expositioni consentiunt ultro cæteri Patres ac deinceps Theologi Scholastici.

Utrum Christus fuerit omnino impeccabilis.

TAmetsi fateantur omnes Theologi Christum nullum unquam in toto vitæ suæ curriculo admisisse peccatum; quidam tamen non dubitarunt dicere nihil esse absurdi quod humana Christi voluntas leve quoddam admisisset peccatum. Addunt illi impeccantiam illam quam ultro agnoscunt esse in Christo, repetendam non ex ipsa, ut ita dicam, natura rei, non unione hypostatica, sed ex ascititiis Dei muneribus & donis quibus cumulata fuit ejus humanitas, vel ex visione intuitiva & beatifica divinitatis, qua in ipso Incarnationis momento donata est: ita Scotus, Durandus, Gabriel, Gregorius a Valentia, & Molina, in quos sit

CONCLUSIO.

Christus fuit omnino & absolute impeccabilis, illudque sanctitatis & impeccantiæ privilegium in ipsa unione hypostatica fundatur. Duæ sunt hujus conclusionis partes.

Pro-

Probatur prior pars, nempe Christum absolute loquendo esse impeccabilem, idque ex iis omnibus momentis quæ modo adduximus tum ex Scripturis sacris, tum ex SS. Patribus, ut ostenderemus Christum nulli subjacuisse peccato, his enim ipsis efficitur similiter illum peccare non potuisse; quandoquidem dicitur sanctus, conceptus de Spiritu sancto, sicque impollutus, & incontaminatus, ut ejuscemodi privilegium solus & necessario habuerit.

Probatur autem posterior pars, nempe ejusmodi impeccantiam ex ipsa unione hypostatica repetendam. Ratio est quia Christus Dominus propter unionem hypostaticam est Filius Dei naturalis etiam quatenus homo, uti postea sumus demonstraturi: atqui absurdum est dicere filium Dei naturalem peccare; filium Dei naturalem esse peccatorem; ejusmodi propositiones ferri non possunt: igitur Christi impeccantia merito dicitur fundata in unione hypostatica.

Quapropter non sunt audiendi præfati Doctores, Scotus, Durandus, &c. qui nonnisi ex adventitiis gratiæ donis, vel visione beatifica profectam censent Christi impeccantiam; quam puto sententiam haud immerito ab aliis plerisque nota temeritatis inustam; tum quia manifeste adversatur universæ Patrum traditioni; tum quia ex illa opinione sequitur Christum simpliciter dici posse peccabilem, quippe qui donis victricibus eguit ne peccato succumberet; quod non leve Christo & Verbo ipsi opprobrium aspergit.

Nihil autem refert quod dicunt illi Theologi; Deum in ea hypothesi quod humana Christi voluntas leve quoddam admisisset peccatum, nonnisi propter communicationem idiomatum denominandum peccatorem; quod, inquiunt, neutiquam repugnat; nam Deus diceretur peccator quatenus homo, non quatenus Deus; non ratione naturæ divinæ, sed ratione humanæ assumptæ; quemadmodum propter communicationem idiomatum dicitur mori, ratione scilicet naturæ humanæ: non magis enim, inquiunt, peccatum repugnat divinæ bonitati, quam mors repugnet divinæ vitæ; nec Deus magis essentialiter est ipsa bonitas, quam sit ipsa vita.

Verum refelluntur tum quia ejuscemodi denominatio tribui non debet Verbo quæ ipsi injuriosa est, etiamsi id sequi videatur ex regulis communicationis idiomatum in rigore metaphysico; unde ab illa recesserunt pie peræque docte sancti Patres: tum quia non modo peccati labes in Deum caderet secundum denominationem, sed secundum veram attributionem; quippe quæ vere ipsam divinitatem afficeret: post unionem enim hypostaticam Verbum ita officio tenetur curam gerere naturæ humanæ, ut ab omni culpa eam præservare debeat; adeo ut ea peccante ipsum peccaret Verbum, quia officio moderatoris non fungeretur; quemadmodum peccaret homo, qui quamlibet sui partem, quodlibet membrum quod pro officio moderari debet, ab omni peccato non averteret. Quamobrem etiamsi Christus nec in gratia fuisset confirmatus, nec visione beatifica donatus, ob id solum fuisset ab omni peccato & peccandi potestate alienus, quod Deus esset. Ex quibus sequitur facilis ad comparationem adductam responsio; quod enim propter communicationem idiomatum Deus dicatur illudi, torqueri, mori, hoc sane Verbo Dei non est injuriosum, turpe & inhonestum.

Quod autem hic quærunt multi Theologi, an potuerit Verum sibi unire aliquam hominis naturam aliquo peccato maculatam; an proinde desiisset unio hypostatica, necne: quod iterum petunt utrum saltem potuisset Christus servare reatum pœnæ relictum a peccato quod admissum fuisset a sua humanitate, antequam sibi eam uniret; profecto

ejusce-

ejuscemodi sunt quæstiones adeo futiles ac frivolæ, ut in iis diutius immorari pudeat.

Utrum in Christo fuerit concupiscentia?

Concupiscentia hic non sumitur pro appetitu sensitivo præcise quo sensu est facultas hominis, & aliquid bonum, quod proinde fuit in Christo: sed concupiscentiam seu fomitem peccati intelligimus, appetitum sensitivum vitiatum; si actualis, actus est ab appetitu sensitivo elicitus rationi adversus; si habitualis, appetitus est sensitivus prout infirmus & ad actus inordinatos proxime dispositus; unde vulgo dicitur a S. Paulo fomes peccati, lex membrorum, morbus ad peccatum inclinans. Eam egregie describit August. lib. 2. de nuptiis cap. 9. his verbis: *Illa est pœna peccati, illa plaga vestigiumque peccati, illa illecebra somesque peccati: illa lex in membris repugnans legi mentis; illa ex nobis ipsis adversus nos ipsos inobedientia justissimo reciprocatu inobedientibus reddita, cujus nos pudet & merito pudet*. Quo quidem præintellecto, de ista concupiscentia agitatur nunc quæstio.

CONCLUSIO.

Non fuit in Christo Domino concupiscentia.

Probatur. Concupiscentia est propensio in malum quid & inhonestum: atqui nulla fuit in Christo propensio in peccatum; tum quia morbus est & vulnus ab originali peccato inflictum; tum quia nunquam appetitus sensitivus prævenit in Christo rationem; quippe nunquam agebat nisi imperatus a ratione: igitur non fuit in Christo concupiscentia.

Neque profecto audiendi sunt nonnulli qui nihil absurdi esse dicunt quod ejusmodi motus indeliberati admittantur in Christo, quæ peccata non sunt, nec nisi materialem habent malitiam; siquidem motus illi Christo prorsus indigni sunt, cujus pars inferior perfecte subjecta fuit superiori, in quo nulla unquam fuit interna potentiarum pugna, nulla carnis rebellio quæ eum ad peccati consensum incitaret, qualem nos experimur; nam indesinenter vigilabat ejus ratio; nihil ei ignotum, adeoque nullus motus rationem præveniens; unde insolitum quemdam motum in Christo excitatum significare volens S. Joannes cap. 11. ait Christum seipsum turbasse, *turbavit semetipsum*; quasi dixisset turbatum non fuisse eum nisi quia turbari voluit; vel potius turbari se quoquo modo non impedivit, ut poterat, sed permisit: unde fomes peccati dici non debet in Christo ligatus, quia in eo nullus omnino fuit.

Atque hanc de Christo semper fuisse constantem Ecclesiæ fidem liquido constabit ex aperto quorumdam inter alios selectorum Patrum testimonio: id imprimis non uno in loco reperias apud Augustinum, qui hominem assumptum a Dei Filio passim docuit nulla originali labe maculatum, ac proinde non ita vulneratum ut humanas suas affectiones in potestate non habuerit: ait lib. 4. Operis imperfecti n. 48. Christi virtutem fuisse non habere concupiscentiam, cum nostra sit ei non consentire. Dixerat num. 47. *Quisque credit carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit*; & num. 58. *Si igitur Christus*, inquit, *abstinuit a peccato, ut abstineret etiam ab omni cupiditate peccati, non ut ei existenti resisteret, sed ut illa nunquam existeret*. Quod idem plane habet infinitis in locis.

Hieronym. item explicans illa verba Matth. cap. 26. *Cœpit contristari & mœstus esse*, scribit Christum *ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatum esse; sed ne passio in illius animo dominaretur, per propas-*

sionem cœpisse contristari; aliud est enim contristari, aliud incipere contristari.

Insignis est super ea re locus S. Leonis Epist. 25. *Nativitas enim Domini secundum carnem*, inquit, *quamvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendat, sive quod solus ab inviolata Virgine sine concupiscentia est conceptus & natus .... nihil carnis suæ habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum: sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis.*

Quibus demum accedit quod scribit Gregorius Papa Homil. 26. in Evangelia, his verbis: *Nos cum tentamur, plerumque in delectationem aut in consensum labimur; quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus unde certamina toleramus. Deus vero qui in utero Virginis incarnatus in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed in ejus mentem peccati delectatio non momordit; atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit.*

Id paulo ante Gregorii tempora adversus Theodorum Mopsuestenum definierat quinta Synodus his verbis quæ Christum significant ab omni perturbatione vacuum: *Si quis defendit impium Theodor. Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, & alium Christum a passionibus animæ & desideriis carnis molestias patientem... anathema sit.*

Hujus autem summæ in Christo puritatis quæ non modo omne peccatum ab eo excludit, sed & omnem commotionem appetitus cum recta ratione pugnantem, causa ea fuit potissima quod ejus caro inusitato modo per operationem Spiritus sancti concepta, nihil penitus de ordinaria contagione traxerat, ut fides catholica docet.

Utrum in Christo fuerint passiones?

Respondeo veras ac proprie dictas fuisse passiones in Christo.

Probatur, quia Cristo passiones tribuunt Scripturæ multis in locis. *Tristitiam* quidem Marci cap. 14. *Cœpit Jesus pavere & tædere, & mœstus esse*, Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Item vero *iram*, quam satis manifestavit ipse Christus cum zelo accensus vendentes ejecit de Templo, quod Dei domum verterent in speluncam latronum, Lucæ 19. vers. 3. Et in Christo fuit *metus*, ex loco mox citato, *Cœpit Jesus pavere*. Quarto denique, *admiratio* (si tamen admiratio est passio seu actus appetitus sensitivi) Matth. c. 8. *Audiens Jesus miratus est*. Omitto enim quæ supra docuimus, Christum fuisse doloribus maxime obnoxium; non potuit enim appetitus Christi inferior ex tot tamque acerbis cruciatibus sensibilem quemdam dolorem non concipere; ejuscemodi autem doloris sensum revera suscepisse non semel patuit oculis omnium: ergo veræ fuerunt in Christo passiones.

Objicies. Christo tribui non debet quod est indignum viro sapienti: atque passiones indignæ sunt viro sapienti, sunt enim morbi animi atque infœlix culpæ originalis plaga: ergo non fuerunt in Christo passiones.

Nego min. Illud enim non est viro sapienti indignum, quod per se & ex natura sua indifferens est ad bonitatem aut malitiam moralem: atqui passiones de se indifferentes sunt ad bonitatem aut malitiam moralem; sunt enim bonæ moraliter bene utentibus; tristitia v. g. bona est moraliter, si sit de alieno malo concepta, quia in usum laudabilem clementiæ convertitur; mala est autem moraliter, si sit de alieno bono concepta; quia in pravum invidiæ usum trahitur, & ita de cæteris: quod egregie his verbis

bis docet Augustinus lib. 14. de civitate Dei, cap. 8. *Proinde volunt, cavent, gaudent & boni & mali, atque ut eadem aliis verbis enuntiemus, cupiunt, timent, lætantur & boni & mali, sed illi bene, isti male, sicut hominibus seu recta seu perversa voluntas est.* Et cap. 9. pugnans adversus Stoicos qui nullam passionem in animo sapientis inveniri posse contendebant, sic loquitur: *Apud nos autem juxta Scripturas sacras sanamque doctrinam, cives sanctæ civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes, metuunt cupiuntque, dolent gaudentque ... metuunt peccare, cupiunt perseverare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis.... sed cum rectam rationem sequantur istæ affectiones, quando ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum adhibuit eas ubi adhibendas esse judicavit.*

Quamobrem nonnullæ quidem passiones ex propria sua specie malæ sunt moraliter, ut invidia, proindeque eatenus non sunt in Christo; non autem præcise ut passiones sunt; quemadmodum aliæ possunt esse malæ & vitiosæ per accidens si sint inordinatæ, si excedant aut deficiant; non autem si per se & natura sua spectentur; passio enim nihil aliud est quam actus appetitus sensitivi circa bonum vel malum cum quadam corporis mutatione sensibili: atqui ejuscemodi actus viro sapienti & Christo ipso non fuit indignus, cum in illo actu nulla sit vitii turpitudo, nulla moralis inhonestas, contra vero ad integritatem naturæ humanæ requiratur appetitus sensitivus cum debitis suis actibus: ergo fuerunt in Christo passiones.

Nec moror quod Hieronymus in c. 26. Matth. observat in Christo fuisse *propassiones*, non passiones; siquidem eo sensu suam circa Christi passiones sententiam relaxavit Hieronymus, ut majorem in illum significaret reverentiam, non ut omnem ei passionem adimeret; ait enim ibidem *Dominum, ut veritatem probaret assumpti hominis, vere contristatum esse.*

An Christus sit filius Dei adoptivus?

QUæstio est de Christo ut homine, an scilicet ratione naturæ humanæ, vel potius an quatenus homo dici possit filius adoptivus, qui ut Deus & Verbum, Dei haud dubie filius est naturalis.

Christum quatenus hominem vere nuncupandum filium Dei adoptivum, sub finem octavi sæculi docuerunt Felix & Elipandus, ambo Hispani Præsules, Orgellitanus ille vel Urgellitanus, iste Toletanus; scilicet, inquit Eginardus ad an. 792. *Felix ab Elipando consultus quid de humanitate Christi Domini sentiret, an secundum quod homo est proprius, an adoptivus Dei filius dici debeat, valde incaute atque inconsiderate & contra antiquam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solum pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum libris pertinacissime pravitatem opinionis suæ defendere curavit. Hujus rei causa ductus ad Palatium Regis, qui tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem in qua & hyemaverat, residebat. Ubi congregato Episcoporum Concilio auditus est, & erràsse convictus, ad præsentiam Adriani Pontificis Romam missus, ubi etiam coram ipso in Basilica beati Petri Apostoli hæresim confessus est atque abdicavit, quo facto ad civitatem reversus est.*

Ibi cum artibus Elipandi ad pristinum rediisset vomitum Felix, ex omnibus suæ ditionis Provinciis Episcopos Francofurtum accivit Carolus Magnus Gallorum Rex & Imperator; quapropter celebrata est ibidem Synodus an. 794. in qua lecta est Elipandi Toletani Epistola, necnon alia Adriani Papæ ad Hispaniæ Episcopos, tum Liber qui di-

citur Sacrosyllabus Paulini Aquileiensis contra Felicis & Elipandi hæresim, quæ unanimi consensu omnium in illa Synodo proscripta fuit.

Hujus erroris hæc summa fuit, quod ambo Hispani Episcopi Christum dicerent, qua homo est, non naturalem Dei filium, sed adoptivum, ita ut duos in eodem filios discernerent; quod manifeste colligitur ex Autoribus utrique coævis, qui adversus grassantem illam hæresim stylum acuerunt. Agobardus Lugdunensis Episcopus, cui notus apprime fuit Felix Urgelitanus, affirmat hunc Nestorii dogma secutum fuisse; *dum timet*, inquit, *permixtionem Eutychetis, corruit in divisionem Nestorii*. Idem testatur Alcuinus Epistola ad Elipandum, & alii passim.

Cæterum nobis non est hic suscepta contentio adversus eos omnes qui Christum negant filium Dei naturalem, quales olim Ariani, qui filium Dei negabant vere genitum & natura similem Patri, quales etiam Nestoriani, qui cum aperte duplicem in Christo inducerent filiationem, eum dubio procul filium adoptivum constituerunt. Verum eos aggredimur qui cæteroquin catholice de Christo sentientes, eum ut hominem filium Dei adoptivum appellarunt, cujusmodi fuerunt Felix & Elipandus.

His autem affine quid invehit profecto Durandus in Schola cæteroquin acutissimus Theologus, qui lib. 3. dist. 4. quæst. 1. docet Christum ratione naturæ humanæ dici posse filium adoptivum Spiritus sancti; quippe, inquit, qui secundum humanam naturam habet gratiam a Spiritu sancto, per quam fit adoptio filiorum Dei; in quo quidem turpiter Felici & Elipando patrocinatur Durandus, tametsi ab illis hæreticis proprio ore alienum se præbeat, contendatque Christum non nisi ratione naturæ humanæ esse adoptivum, non autem ratione personæ; quia nempe non licet privato Theologo novas verborum notiones fingere; aliter nihil certum esset, nihil fixum in definitionibus Ecclesiæ; sed ut certum supponitur adoptionem cadere in personam; quo fit ut duplicem in Christo personam admittere jure præsumatur, qui eum dici filium Dei adoptivum, tametsi profiteatur se id intelligere ratione naturæ, non ratione personæ. Apage itaque sententiam Durandi & nonnullorum e Schola Theologorum qui ei hac in parte astipulati sunt.

CONCLUSIO.

Christus etiam quatenus homo est, dici non potest filius Dei adoptivus.

Probatur ex Scripturis, quæ super istare tria aperte docent: 1. Christum ut hominem esse proprium Dei filium, Rom. 8. cap. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Ubi proprius Dei filius dicitur quatenus fuit morti traditus, quatenus homo; ergo quatenus homo fuit filius Dei naturalis. 2. Legimus passim unicum esse Dei filium, Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre*. c. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Porro si unus est filius Dei Christus, non est adoptivus etiam in natura humana, aliter duplex in eo fuisset filiatio. 3. Aperte & expressis verbis idem qui homo est, & quatenus homo, filius Dei dicitur. Matth. 3. Deus Pater hominem illum ostendens quem videbant Judæi, ait: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Hic scilicet quem in carne videtis, filius est meus ab æterno e sinu meo genitus. Joan. 9. cum quidam a nativitate cæcus interrogaretur a Christo his verbis: *Tu credis in filium Dei?* respondit: *Quis est, Domine, ut credam in eum? Dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo Domine; & procidens adoravit.*

vit eum. Filius Dei est quatenus loquitur, at loquitur quatenus homo. Hisque simillimum est quod interrogatus a Caipha Pontifice his verbis Matth. 29. *Adjuro te per Deum vivum ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei?* Respondit: *Ego sum*. Et quod pariter responderat Petrus: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Is enim idem plane dicitur filius Dei qui in carne apparebat, & quatenus homo.

Probatur 2. ex sanctis Patribus, quorum hic ea solum adducemus testimonia, quibus aperte negatur & nominatim Christum esse filium Dei adoptivum; missa enim facimus alia quæ jam adversus Nestorium descripsimus, ut unum esse Dei filium, unam in toto Christo personam assereretur, quæ facile consuli possunt.

Sic S. Gregorius Nyssenus lib. contra Apollinarem ad Theophilum: *Objiciunt enim*, inquit, *quosdam ex Ecclesia Catholica duos in suo dogmate filios agnoscere, alterum naturalem, alterum qui adoptione postmodum accessit. Quod nescio a quonam audierint, aut cum qua persona luctentur; nam hactenus neminem novi qui talia perperam effutiret... quomodo nos cogit quispiam propter adventum illius in carne filiorum appellare binarium? tanquam alter sit anterior omnibus sæculis filius, qui per carnem a Deo sit genitus*.

Hilarius item lib. 3. de Trinitate, expendens illa Christi verba Joan. 17. *Clarifica me tu*, &c. hæc scribit: *Non solum*, inquit, *nomine contestatus est esse filium, sed & proprietate qua dicitur tuum. Multi enim nos filii Dei, sed non talis hic filius est. Hic enim & verus & proprius est filius, origine non adoptione, veritate non nuncupatione, nativitate non creatione*. Idem docet l. 6. ex illo Patris æterni testimonio, *Hic est filius meus dilectus*, Christo adoptivi nomen detrahens, his verbis: *Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum ab Apostolis traditum non ex adoptione, sed ex natura*.

S. Aug. eadem plane scribit Tract. 7. in Joan. *Oportebat ergo*, inquit, *ut ille baptizaret qui est filius Dei unicus, non adoptatus; adoptati filii ministri sunt unici; unicus habet potestatem, adoptati ministerium*.

Faustinus lib. contra Arianos idem egregie demonstrat cap. 2. *Et quomodo*, inquit, *de solo Christo vox divina testatur dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite? Si enim & Christus de adoptione filius est, cum staret inter duos filios adoptivos, dixisset utique, & hic filius meus est; ne Christus solus filius esse crederetur. At cum dixit, Hic est filius meus dilectus, adoptionis filios separavit, ut proprietas veræ nativitatis in Christo solo filio crederetur*.

Gregorius item Magnus lib. 1. Moralium cap. 6. ubi de Christo Domino verba faciens: *Omnes*, inquit, *qui in fide Deo nascuntur superat, quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat, qui etsi humanitate cæteris apparuit similis, divinitate tamen mansit super omnia singularis*.

Hildefonsus insuper Toletanus Episcopus libro de perpetua virginitate sic loquitur: *Ergo non illum, ut cæteros adoptio filios Dei, fecit filium; sed divinitatis natura illum in proprium Dei filium exaltavit*.

At luculentum est & magni ponderis, quod profitetur Leporius in libello Emendationis, quem obtulit Africanis Episcopis eidem fidei cum ipso Augustino scribentibus: *In hoc*, inquit, *maxime fides nostra consistit, ut credamus unicum filium Dei non adoptivum, sed proprium, non phantasticum, sed verum, non temporarium, sed æternum, &c.* cui & consentire censetur Cassianus, qui hæc Leporii verba descripsit lib. 1. de Incarn. cap. 5.

Quibus adjungi potest eorum autoritas qui contra Felicem & Elipandum Chri-

Christi adoptionis defensores dedita opera scripserunt, inter quos emicuerunt potissimum *Paulinus Aquileiensis* tum in libro qui dicitur Sacrosyllabus, tum in tribus libris contra Felicem; *Agobardus Lugdunensis* libro contra Felicem inscripto; *Alcuinus* libris septem contra Felicem; *Beatus* Presbyter in duobus libris contra Elipandum; *Etherius* Uxamensis Episcopus: ac demum Synodus Francofordiensis, quæ ex variis Provinciis collecta fuit contra Felicem & Elipandum, veramque Ecclesiæ fidem adversus illos stabilivit, quod paulo ante præstiterat Concilium Forojuliense præside Paulino Aquileiæ Patriarcha.

Probatur 2. ratione. Siquidem ille non potest dici filius Dei adoptivus, qui non est persona extranea; adoptio enim est assumptio personæ extraneæ in propriam hæreditatem: atqui Christus etiam quatenus homo non est persona extranea respectu Dei: aliter duæ essent in Christo personæ, scilicet persona Dei & persona hominis, quod aperte hæreticum & Nestorianum est: ergo Christus non solum absolute & simpliciter loquendo, sed etiam formaliter quatenus homo, dici non potest filius Dei adoptivus.

Objiciebant Felix & Elipandus autoritatem quorumdam Patrum, qui Christum affirmarunt filium Dei adoptivum, hominem in Christo adoptatum fuisse, hominem adoptione fuisse filium. Ita S. Irenæus lib. 3. adversus hæres. c. 21. *Propter hoc*, inquit, *Verbum Dei homo & qui filius Dei est, filius hominis factu est commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei*. Legitur apud Theodor. dialogo 1. Item Marius Victorinus: *Non*, inquit, *filius quemadmodum nos; nos enim aoptione filii, ille natura. Etiam quadam adoptione filius & Christus, sed secundum carnem: ego hodie genui te*. Accedit quod S. Hilarius lib. 2. de Trin. scribit: *Ita potestatis*, inquit, *dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Eusebius Cæsariensis lib. 1. de Eccles. Theolog. c. 16. confitetur Christum ut hominem esse filium Dei adoptione. Tum & quod scribit Cyrillus dialogo 3. ubi contra Arianos sic disputat: *Constat igitur id quod recte se habere tute ipse confiteris, consentaneum esse ut tunc datum existimemus fuisse filio nomen illud quod est super omne nomen, quando & formam nostri similem subiens tanquam unus ex nobis in filium ascriptus est Dei, adoptatus nobiscum & propter nos ille verus, &c.* Similiter Oecumenius in 1. Epist. ad Timoth. hæc scribit de Christo: *Etsi*, inquit, *legales implebat justitias, non tamen ex servitutis spiritu, verum Spiritu sancto qui adoptionis dicitur, quem, secundum quod homo erat, accepit, nobis donum hoc concilians germanus filius ac Spiritui sancto consubstantialis, non autem sibimetipsis*. Atque insuper Autor disputationis Athanasii cum Ario, quæ inter Athanasii opera legitur: *Arius dixit: Utrumnam alius est filius? Athanasius respondit: Filius quidem verus Dei unus est, Verbum & Deus. Est autem & tanquam alius filius adoptatus per templum ipsius corporis Domini nostri Jesu Christi*. Quibus adjungi merito potest luculentum Augustini testimonium, qui Christum gratia filium esse Dei docet lib. de Prædest. SS. cap. 15. nam gratia aut adoptione esse filium Dei idem plane est: *Ea gratia fit*, inquit, *ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus*. Cui simillimum est quod ait Facundus lib. 9. sub finem, Christum posse dici *adoptionem filiorum suscepisse, quia sacramentum adoptionis suscipere dignatus est, & quando circumcisus est, & quando baptizatus est, & potest sacramentum adoptionis adoptio nuncupari*. Quo pacto excusatum vult haberi Theodorum Mopsuestenum, qui Christum dixerat filium Dei adoptivum.

Verum nullo negotio respondetur his testimoniis, quæ in unum contracta, non

non separatim proposuimus, quia eandem videntur, si qua tamen sit, continere difficultatem; eo nempe sensu dixisse præfatos autores hominem in Christo fuisse adoptatum, vel adoptivum, quod summæ gratiæ ac benignitatis fuerit donum Dei erga naturam humanam, quod a Verbo Dei assumeretur in unitatem personæ; unde apud illos Scriptores adoptatum idem est quod ascitum, assumptum. Scilicet vel loquuntur de natura humana universim spectata, cui, ut ita dicam, gratulantur quod adoptata fuerit a Verbo, hoc est assumpta; quæ fuit dubio procul mens Irenæi: vel etiam loquuntur de natura humana Christi, quam considerant velut ante unionem hypostaticam, eatenusque illam gratiam & dono singulari habuisse dicunt quod a Verbo assumeretur; quod utique volunt Augustinus & Facundus; sed neutiquam hominem existimarunt in Christo adoptivum, quasi homini assumpto a Verbo, etiam ut homo est, competeret filiatio adoptiva per gratiam; quia nempe per gratiam unionis non fit adoptio, sed traditio filiationis naturalis.

Atque non frivolam & ad nutum excogitatam esse hanc responsionem cuique patebit consideranti: 1. nullum ex laudatis autoribus duplicem diserte in Christo astruere filiationem, duplicem filium. 2. S. Hilarius qui inter alios objicitur, aperte negare Christum esse filium adoptivum, ut ostendunt loca ex eo adducta. 3. Si quid esset obscuritatis in illis testimoniis, ea esse explicanda consentanee ad mentem omnium Patrum utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, qui Christum docuerunt unum esse Dei filium uniusque personæ, tum & diserte negarunt eum esse filium adoptivum.

Solvuntur objectiones.

OBjicies. Christus quatenus homo vel est filius Dei adoptivus, vel est filius naturalis: atqui Christus quatenus homo dici non potest filius Dei naturalis; etenim nemo cujuspiam filius est naturalis, nisi de ejus substantia sit genitus; filius enim naturalis pro eo solum proprie accipitur qui procedit per veram & naturalem generationem, quæ definitur origo viventis a vivente in similitudinem naturæ: atqui Christus quatenus homo non est de substantia Dei genitus; quia secundum humanam naturam a Deo non procedit per generationem; ut homo est a Deo datus, non autem ab eo natus: ergo Christus quatenus homo dici non potest filius Dei naturalis.

Nego min. & ad probat. dist. maj. Nemo cujuspiam est filius Dei naturalis per viam generationis, C. filius naturalis per unionem naturalem, N. Igitur duplex est via qua potest aliquis filiationem naturalem consequi; prior via fit per generationem, cum terminus per veram & proprie dictam generationem accipit naturam similem producenti, quo modo quilibet homo dicitur filius naturalis sui patris, quia per generationem accipit ab eo naturam suæ similem; & quo similiter pacto Deus Verbum accepit a Patre filiationem naturalem, quia nempe per veram generationem ei communicavit Pater æternus naturam divinam. Posterior modus quo aliquis potest filiationem naturalem obtinere, & cujus rei exemplum sola nobis suppeditat Incarnatio, fit per naturalem & substantivam unionem cum ipsa persona, quæ filius est naturalis per generationem.

Revera nemo cujuspiam filius est naturalis, nisi de ejus substantia sit genitus, filius, inquam, naturalis per generationem; sed filius est naturalis alia

via

via, nempe per communicationem ipsius filiationis naturalis; quod certe locum habet in mysterio Incarnationis, ubi Christus quatenus homo non est quidem filius Dei naturalis per generationem, quia natura humana Christi primo, formaliter, per se non fuit genita; sed filius est naturalis per naturalem, & substantivam unionem cum Deo Verbo, qui ut talis, filius est naturalis per generationem proprie dictam.

Quod autem ob illam unionem naturæ humanæ cum Verbo, quæ quidem unio naturalis, substantiva, physica, non moralis; non accidentalis, non affectiva, ut fatentur adversarii, qui longe se lateque differre a Nestorio profitentur; Christus ut homo dici debeat filius Dei naturalis, non adoptivus, constat, quia quando Verbum unitur naturæ humanæ, unione scilicet naturali & substantiva, tunc ei communicat omnem proprietatem personalem; unio enim fit in persona: atqui filiatio naturalis est proprietas relativa & personalis in Verbo: ergo filiatio naturalis communicatur naturæ humanæ assumptæ, eaque filiatio suum in natura humana consequitur effectum formalem; ita ut quemadmodum Christus homo propter unionem naturalem cum divinitate Deus est, & appellatus Deus, tum & Sanctus sanctitate increata; ita filius est naturalis propter unitam sibi physice & substantialiter naturalem Verbi filiationem.

Quamobrem si Pater divinus incarnaretur & fieret homo, homo ille esset Deus Pater, & paternitatis proprietatem haberet natura humana; tum si Spiritus sanctus fieret homo, hic homo esset Spiritus sanctus, & naturæ humanæ communicaretur spiratio passiva Spiritus sancti, siquidem paternitas facit Patrem, spiratio Spiritum; adeoque filiatio naturalis debet constituere Filium naturalem, & consequenter Christus ut homo debet dici filius Dei naturalis, non adoptivus.

Instabis. Atqui Christus quatenus homo non est filius Dei naturalis per communicationem filiationis naturalis: ergo nulla solutio. Probatur subs. Non magis quatenus homo filius est Dei naturalis, quam Deus: atqui tametsi simpliciter & absolute loquendo Christus dicatur Deus, tamen quatenus homo & cum illa reduplicatione, dici non potest Deus; hæc enim propositio non esset tolerabilis, Christus quatenus homo est Deus: ergo similiter Christus simpliciter quidem & absolute dici potest filius Dei naturalis, non autem cum illa reduplicatione, quatenus homo est.

Dist. min. Christus quatenus homo non potest dici Deus, Christus quatenus homo præcise, C. quatenus hic homo, N. Itaque non debet quidem usurpari hæc propositio, *Christus quatenus homo est Deus*; recte vero ista, *Christus quatenus est hic homo*, *Deus est*. Et ratio discriminis est quia hæc locutio *quatenus homo* solius naturæ præcisam continet significationem, nullam vero suppositi: videtur in illa propositione spectari sola natura humana, neutiquam vero persona; at e contra ista locutio *quatenus hic homo* includit formaliter conceptum personæ & suppositi, quod suppositum, cum aliud non sit in Christo quam Deus Verbum; inde fit ut vera sit propositio, *Christus ut hic homo*, *est Deus*; non autem ista, *Christus quatenus homo est Deus*.

Quamobrem (idque hic est observatione dignissimum) quando dicimus Christum quatenus hominem esse filium Dei naturalem, id intelligimus non de Christo homine simpliciter, sed de Christo *ut hic homo est*. Si enim Christus diceretur filius Dei naturalis, ut homo est simpliciter, hæc loquendi ratio aperte videretur annuere humanitatem ipsam, causam esse cur Christus sit Dei filius naturalis; quemadmodum quando dicimus

mus Christum quatenus hominem fuisse passum & mortuum, innuimus naturam humanam esse primarium, & ut ita dicam, formale subjectum passionis & mortis: atqui dici non potest humanitatem ipsam causam esse cur Christus sit filius Dei naturalis? ergo cum usurpatur ista propositio, *Christus quatenus homo est filius Dei naturalis*, id intelligitur non de Christo quatenus homo est præcise, sed quatenus hic homo est; eatenus enim spectatur humana Christi natura ut subsistens per Verbi personalitatem, & consequenter prout per filiationem naturalem Dei afficitur.

Instabis. Ut Christus quatenus homo foret filius Dei naturalis, deberet ipsi, ut homo est, communicari natura divina: atqui Christo, ut homo est, non communicatur natura divina; aliter homo in Christo constitueretur per deitatem, sicut alicui filio in creatis communicatur natura specifica patris, per quam constituitur filius: ergo ad summum Christus ut homo, est filius adoptivus; quippe qui per illam unionem sanctificatur, non autem fit Deus similis Deo.

Nego min. & dico naturæ humanæ communicari naturam divinam, quæ ei conjungitur reipsa & unione naturali & substantiva, non autem per gratiam & solo affectu; unde fit ut hic homo in Christo non sit solum divinus, deificatus, quæ vocabula Nestorianismum redolent, sed Deus & filius Dei naturalis; per unionem enim hypostaticam efficitur ut natura humana sit vere ac proprie natura substantialis filii naturalis Dei, adeoque oportet Christum, ut habentem illam naturam, esse filium Dei naturalem.

Instabis. Si Christus ut homo esset filius Dei naturalis, id intelligeretur vel de filiatione æterna, vel de temporanea: atqui neutrum dici potest; non de filiatione quidem æterna, quippe quæ proprietas est secundæ personæ; neque etiam de temporanea, aliter filiatio illa vel esset mere adoptiva, vel duplex esset filius naturalis, alter per generationem, alter per unionem hypostaticam, ut contendunt nonnulli Theologi: ergo Christus ut homo, non est filius Dei naturalis.

Nego min. & dico Christum, ut homo est, esse filium Dei naturalem filiatione æterna, quia, ut jam diximus, filius est naturalis ut homo, in quantum natura humana per unionem hypostaticam quæ naturalis est & substantiva, filiatione naturali quæ æterna est, perinde afficitur ac divina. Quod autem inde colligeret quis duas esse in Christo filiationes naturales, id procul dubio & a Scripturis & a sanctis Patribus & a Conciliorum decretis est maxime alienum, quibus nempe unum Dei filium esse Christum asseritur, ut abunde ostendimus; unde duas filiationes naturales perinde iisdemque principiis arcere a Christo debemus, ac filiationes quarum altera sit naturalis, altera vero adoptiva.

Instabis. Ille dici potest filius Dei adoptivus, qui respectu Dei est extraneus: atqui Christus ut homo, extraneus est Deo, scilicet Verbo secundum humanitatem, natura humana respectu divinæ prorsus extranea est: ergo eatenus dici potest filius Dei adoptivus.

Nego min. Ea siquidem natura non est extranea, quæ propria est Verbo, quam ut suam & propriam possidet Verbum: atqui ejusmodi est natura humana in Christo respectu Verbi post factam semel unionem hypostaticam, quæ naturalis est & substantiva, idque consentanee ad mentem Patrum, qui adversus Nestorium dimicantes, ut ostenderent carnem seu humanitatem non esse Verbo Dei alienam sed propriam, totis viribus allaborarunt: ergo natura humana Christi non est Verbo extranea; quo fit ut ratione naturæ humanæ Christus non possit dici filius adoptivus.

Instabis. Tam Christus quatenus homo dici potest filius adoptivus, quam ser-

servus, passus & mortuus: atqui Christus quatenus homo recte dicitur servus, passus & mortuus: ergo similitur dici potest filius Dei adoptivus.

Nego maj. & par. Disparitas est quod servitus, mortalitas, & alia ejusmodi attributa primario & per se cadunt in naturam, nec nisi oblique & ob communicationem idiomatum respiciunt personam; unde ut Christus dici possit servus & mortuus, satis est quod in eo sit aliqua natura quæ per se sit dependens & morti obnoxia; non requiritur autem ut persona ullo sit pacto per se se subjecta aut mortalis; sed adoptio primario & per se respicit personam, unde ut hic homo in Christo foret filius adoptivus, deberet hujus hominis persona, esse filius adoptivus, deberet adoptio afficere formaliter personam Christi: atqui persona hominis in Christo non potest dici filius adoptivus; siquidem filiatio naturalis quæ ei competit omnem filiationem adoptivam intercludit: ergo Christus non potest appellari filius Dei adoptivus etiam ut homo; tamensi communiter dicatur servus, passus, mortuus ut homo.

At, inquies, cum propugnatur Christum dici posse filium Dei adoptivum quatenus hominem, id solum intelligitur ratione naturæ humanæ, supponendo adoptionem cadere in naturam; neque enim in votis habuerunt Hispani Episcopi Felix & Elipandus & nonnulli recentiores Theologi duplicem in Christo introducere personam, qui nempe eo solum nomine Christum propugnarunt filium Dei adoptivum, quod sit in eo natura humana, ratione cujus ei competat adoptio; quod quidem nec hæreticum nec erroneum est.

Respondeo non posse dici Christum esse filium Dei adoptivum quatenus hominem in illa suppositione, quod adoptio cadet in naturam, non autem in personam; certe nemini privato homini licitum est pro nutu & arbitrio novas vocibus significationes affingere, præsertim cum inde in apertum vocatur discrimen catholica fides; at ex una parte certa omnibus tum Jurisconsultis, tum Theologis & fixa notio est adoptionis, quæ sit assumptio personæ extraneæ; ex altera vero parte imminenti cum periculo fidei affirmaretur Christum ut hominem esse filium Dei adoptivum; unde nimirum aperte sequitur non modo duos esse in Christo filios, sed & duas personas, reclamantibus ex adverso Scripturis, sanctis Patribus & Conciliorum decretis. Quibus adde falso supponere adversarios, cum istam proponunt objectionem, naturam humanam Christi esse Verbo extraneam, ut paulo supra monuimus, idque eo diligentius observandum est, quod omnes fere Theologi, cum præfatæ objectioni occurrunt, incaute fateantur naturam humanam Christi esse extraneam, vel Christum esse extraneum, ut ajunt, ratione naturæ humanæ, quod falsissimum est.

Objicies denique. In eo fuit filiatio adoptiva, in quo fuit gratia accidentalis sanctificans; effectus enim formalis primarius gratiæ sanctificantis in subjecto, est illud reddere formaliter sanctum sanctitate accidentali & filium adoptivum, quomodo nos sumus filii Dei per adoptionem, *ut filii simus & nominemur*. Atqui fuit in Christo præter sanctitatem substantialem unionis hypostaticæ, infusa gratia accidentalis, ut supra dictum est: ergo Christus fuit filius Dei adoptivus saltem ut homo est.

Nego maj. cujus probat. dist. Effectus formalis gratiæ sanctificantis est efficere ut subjectum sit filius adoptivus, quando non est aliunde filius naturalis, C. si sit filius naturalis, N. Filiatio enim naturalis omnem penitus intercludit adoptionem, quæ nonnisi personæ extraneæ competere potest. Nec porro adoptio est primarius gratiæ sanctificantis effectus, cum qua connexionem non habet nisi ex sola Dei voluntate.

Quæ-

Quæres an Christus ut homo dici possit filius Spiritus sancti; de hoc enim nonnulla dubitandi causa est quod legitur Matth. 1. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

Respondeo negative, tum quia id nusquam legimus vel in Scripturis sacris vel apud sanctos Patres; in præfato enim Evangelistæ loco Christus dicitur de Spiritu sancto; non autem natus de Spiritu sancto, tum quia Christus ut homo, est quidem de potentia Spiritus sancti, non est autem de ejus substantia; unde perinde est opus totius Trinitatis, ut docet Augustinus Enchir. cap. 38. his verbis: *Numquid tamen ideo dicturi sumus Patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset, & Dei Patris secundum Verbum, & Spiritus sancti filius secundum hominem, quod eum Spiritus sanctus tanquam Pater ejus de matre Virgine genuisset, quis hoc dicere audebit? ... Quomodo ergo dicimus Christum natum de Spiritu sancto, si eum non genuit Spiritus sanctus? An quia fecit eum? quoniam Dominus noster Jesus Christus in quantum Deus est, omnia per ipsum facta sunt; in quantum autem homo est, & ipse factus est, sicut Apostolus dicit: Factus est ex semine David secundum carnem. Sed cum illam creaturam quam Virgo concepit & peperit, quamvis ad solam personam filii pertinentem, tota Trinitas fecerit, neque enim separabilia sunt opera Trinitatis, cur in ea facienda solus Spiritus sanctus nominatus est? ... Hic ergo cum confiteamur natum de Spiritu sancto & Virgine Maria; quomodo non sit filius Mariæ Virginis, cum & de illo & de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio quippe non sic de illo ut de Patre, sic autem de illa ut de matre natus est.*

An & quomodo Christus fuerit servus Dei?

NON est super ista re una omnium Patrum antiquorum vel etiam recentiorum Theologorum sententia; plurimi enim nomen servi ut Christo indignum abjudicant, quod ipsi tamen tribuere cæteri non reformidant; nos vero quid in illo Scriptorum diffidentium conflictu sentiamus, relatis primum quoad poterimus brevissime utriusque partis Autorum testimoniis, dilucide aperiemus.

Ac primo Christum hominem Dei servum nuncupari posse fatetur S. Athanasius Orat. 1. contra Arianos: *Imperiti*, inquit, *& mente attoniti, etiam servus in Scripturis appellatus est & ancillæ filius, & agnus & ovis; tum fatigatus est, & sitivit, & vapulavit, & passus est. Sed facile constat illis omnibus legitima causa & excusandi ratio. Quippe talia subinde iisdem in litteris exprimuntur illum hominem hominisque filium esse factum, cum servi formam, hoc est humanam carnem assumpsisset.* Et Orat. 3. *Cum Dominus esset*, inquit, *in forma servi erat, serva quippe Verbi est omnis creatura, utpote per ipsum creata & condita.*

S. Hilarius lib. 11. de Trinitate id ipsum diserte tradit. *Si igitur*, inquit, *hæc servus & ad servos locutus est; quomodo professio ista non servi sit & ad eam magis naturam, quæ non in natura servi sit, transfertur, cui ei forma Dei manens formam servi assumpsit.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 36. cum dixisset Christum appellari posse creaturam, subjungit: *Hujus consectarium esse ut & servus audiat, tanquam multis bene serviens.*

Et Gregorius Nyssenus idem testatur in Opusculo de fide ad Simplicium: *Igitur*, inquit, *qui utero Virginis formatus est, ut Propheta dixit, servus est, non*

Dominus, *hoc est is qui secundum carnem homo est*, *in quo Deus manifestatus est*.

Idem non uno in loco reperias apud S. Ambros. qui lib. 5. de fide cap. 3. hæc scribit: *Nam & secundum generationem divinam Deo Patri æqualis est filius*, *& secundum susceptionem corporis*, *Deo Patri servus est; quia formam servi*, inquit, *accepit; unus tamen atque idem est filius* .... *servus dictus est homo*, *in quo sanctificatus est*, *servus homo in quo unctus est*, *servus homo in quo factus sub lege*, *factus ex Virgine est*, *& ut compendio dicam*, *servus dictus est in quo matrem habet*, *sicut scriptum est: O Domine ergo servus tuus*, *& filius ancillæ tuæ!* Quod idem docet cap. 6. & Epistola ad Sabinum Episcopum.

Sequitur Augustinus in Psal. 108. *Pater quippe*, inquit, *adjuvat filium*, *in quantum Deus hominem*, *propter formam servi; cui homini Deus & cui formæ servi etiam Dominus est Pater*.

Quibus accedit Cyrillus Alex. qui in responsione ad Theodoreti reprehensionem anathematismum sextum de Christo verba faciens: *Quocirca*, inquit, *si quis servum esse nominatum Prophetarum voce dixerit*, *offendi neminem oportet*. Idipsum docent Theodoretus Ancyranus Homil. 1. contra Nestorium, Petrus Diaconus lib. de Incarnatione cap. 6. Vigilius Tapsensis lib. 3. contra Eutychem, num. 3. & lib. 5. num. 4. & 11.

Nonnulli vero alii e sanctis Patribus Christum negarunt appellandum esse servum; ut Dionysius Alexand. qui in Epistola ad Paulum Samosatenum, & Responsione ad quæstionem septimam ejusdem, Christum negat *qui natura Dominus erat*, *fuisse natura servum*.

Quin & Augustinus, quem pro altera parte citavimus, hæc diserte scripsit in Homil. 39. quam laudant Patres Francofordienses in Epistola sua Synodica: *Dominus noster etiam in forma servi non servus*, *sed in forma etiam servi Dominus fuit*. Quod idem insinuat Tract. 3. in Joan.

Item Theodoretus Dialogo secundo ubi Eranistem redarguit, quod *corpus Christi nominaverit stolam*, *& creaturam*, *& instrumentum*, *necnon vocaverit servum; quod nullus nostrum antea ausus erat dicere*. Et in confutatione anathematismi sexti ait Paulum id quod assumptum est a Deo Verbo, formam servi nominasse. *Verum quoniam assumptio unitionem antecedit*, *de assumptione vero disputans beatus Paulus*, *formam servi appellavit assumptam naturam*, *non jam locum habet*, *unitione facta*, *servitutis vocabulum*.

Faustinus insuper scribens in Arianos Christum negat esse creaturam, filium adoptivum & servum: *Omnis creatura*, inquit, *servili conditione censetur*. *Si Christus creatura est*, *servus est*. *Quomodo redemit ad libertatem*, *cum servus nullo jure possit conferre libertatem*.

Quibus adjungi merito debent ii omnes qui adversus Felicem & Elipandum scripserunt; sic beatus Etherius, & Albinus Flaccus quin & Adrianus summus Pontifex in Epistola ad Hispanos Episcopos perinde vetat ne Christus dicatur servus filius adoptivus: *Adoptivum*, inquit, *filium quasi purum hominem calamitati humanæ subjectum*, *& (quod pudet dicere) servum cum impii & ingrati tantis beneficiis liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare*. Quo tandem pertinet quod in Epistola Synodica scribunt Patres Francofordienses: *Si enim*, inquiunt, *Deus verus est qui de Virgine natus est*, *quomodo tunc potest adoptivus esse vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum vel adoptivum*.

Omnium vero disertissime Joannes Damascenus lib. 3. de fide cap. 21. *Sciendum est*, inquit, *ignorantem & servam illam naturam assumpsisse; etenim serva est conditoris sui natura hominis*, *nec habet futurorum notitiam* .... *Sciendum est ne servum quidem posse nos illum nominare; siquidem servitutis & dominationis*

tionis vocabula, non naturæ sunt indicia, sed ex eorum genere quæ sunt ad aliud; quemadmodum paternitatis & filiationis nomina. Hæc enim non substantiam, sed habitudinem significant ...... Porro qui hunc dicunt esse servum, dividunt unum Christum in duos, ut Nestorius. Quæ eadem repetit lib. 4. c. 19.

Atque propter duas illas sanctorum Patrum ex adverso pugnantes sententias, in duas quoque partes scinduntur Theologi, quorum alii ægre ferunt Christum hominem, qui Dominus est & filius Dei naturalis, nuncupari servum; cæteri vero huncce titulum ipsi concedere non reformidant.

Verum ambæ partes nullo negotio conciliari possunt; si dicamus Christum recte appellari servum late, eo sensu quod servam seu subjectam habuit naturam humanam, quæ peræque serva fuit ac creata & dependens; cum postulet aliunde ratio ut id de Christo dicatur quod uni ex ejus naturis competit; sed recte non dici servum stricte, eo sensu quod sit merus servus, qui omnino juris est alieni, nec jus ad hæreditatem habet. Scilicet servitutis duplex est ratio; servum enim late dicimus eum qui alteri quoquomodo subjicitur & obtemperat, licet alioquin ingenuus sit; quo sensu filius est servus patris, discipulus magistri, ægrotus medici. Servum autem stricte dicimus eum qui inferioris est conditionis cum eo cui subjectus est, nec aliunde vir est ingenuus & liberalis, quo sensu communiter nomen servi usurpatur. Qua posita servitutis distinctione clare intelligitur veteres illos qui Christum dixerunt servum, de priori servitutis genere locutos, de posteriori vero alios qui putant nomen servi Christo non esse tribuendum.

Unus autem meo quidem judicio eximendus superest scrupulus, quo nimirum pacto loquendum sit in hoc negotio, an absolute & simpliciter Christus dici debeat servus, necne.

Ego quidem existimo satius esse abstinendum ab illa voce.

1. Quia nullibi hunc titulum Christo affigit Scriptura, cum enim ait Apostolus ad Philipp. cap. 2. Deum servi formam accepisse, id unum significat Deum assumpsisse naturam humanam, non autem servum appellari posse; unde in Epistola ad Hebræos c. 1. Christum cum Angelis hominibusve comparans, aperte negat illum esse servum, dicens solum Christum esse filium Dei, Angelos vero ministros; *Tanto melior*, inquit, *Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit; cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos*, id est servos. Et cap. 3. *Moses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erunt; Christus vero tanquam filius in domo sua.* Ubi Christum comparans cum Mose, in eo utriusque ponit discrimen, quod ille fuerit Dei filius, iste vero servus.

2. Quia eadem plane ratio est servi & filii adoptivi; sicut enim filiatio naturalis omnem intercludit adoptionem, ita & omnem penitus arcet servitutem; hæc enim duo manifeste pugnant, quod idem sit filius naturalis & servus. Neque refert quidquam, quod qui supponitur filius, dicatur servus servitute secundum latiorem quandam significationem accepta; siquidem hic non disceptamus an aliquo sensu Christo competat servitus, sed an simpliciter & absolute nuncupari debeat & possit servus; quo quidem in casu nomen servi in propria atque vulgatissima apud omnes significatione sumi debet; sed servus secundum communem vocabuli usum dicitur, qui infimæ conditionis est, qui non est filius, qui jus non habet ad hæreditatem, & omnino juris est alieni: quocirca qui filius est naturalis Dei, is idem servus dici non debet; quo argumen-

mento frequenter & copiose usi sunt, quotquot adversus Felicem & Elipandum scripserunt, ut paulo supra meminimus.

Quod autem in contrarium deflectere visi sunt nonnulli apud veteres & quidem magni nominis, quos supra citavimus, quique Christum putarunt servum nuncupari posse, non moror; siquidem illi plerumque scribunt adversus Arianos vel Apollinaristas, qui Christo divinitatem eo nomine eripiebant, quod dicatur passim in Scripturis factus, creatus, servus; cui objectioni ut faciant satis præfati Autores, qui negare poterant Christum appellari servum, quandoquidem nullus ea de re extat locus; brevius respondent Christum dici servum ratione naturæ humanæ, quatenus hominem, quia revera late quodammodo & universe, ut diximus, servus dici potest; sed Christum non dixerunt servum proprie, re perpensa accuratius, & ad proprie dictam servitutis significationem attendentes.

At, inquies, Christus dici potest servus peræque ac factus, creatus, missus, natus & mortuus, ratione scilicet naturæ humanæ.

Respond. id discriminis esse quod ista attributa naturam primo & per se consequantur, ratio vero servi primario respiciat personam; quas differentias forte non percipiet quisquis ad examen rigidioris & altercantis Philosophiæ recurret; recte vero qui bona fide & ex communi & obvio sensu voces sumere amabit; ac præterea Scripturas & sanctos Patres consulet.

An Christus dici merito possit creatura?

Respondeo nihil esse absurdi quod Christus appelletur creatura, quia nempe vox ista *creatura* ad humanam Christi naturam, qua natura est, non qua persona & suppositum primario refertur; creatura enim dicitur secundum essentiam naturæque proprietatem, non secundum subsistendi modum; cum aliunde hic loquendi modus & Scripturis sacris & sanctorum Patrum usu manifeste comprobetur.

Scripturæ quidem non uno in loco Christum creatum & factum prædicant; in Actis Apost. cap. 2. *Certissime sciat omnis domus Israel*, inquit D. Petrus, *quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixistis*. Et S. Paulus ad Rom. cap. 1. *De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Galat. 4. cap. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*. Ad Hebr. 3. cap. *Jesum qui fidelis est ei qui fecit illum*.

Quibus vehementer consentiunt omnes fere Patres. Sic Athanasius, ambo Gregorii Naziamzen. & Nyssenus locis mox citatis; tum vero Hilarius lib. 12. his verbis: *Filius itaque suus est in homine, & ex homine factura; neque factura tantum, sed etiam creatura... qui enim erat filius Dei, natus erat & filius hominis; quia non divinitatis erat nativitas, sed creatura carnis significationem sui generis accepit*.

S. Ambrosius lib. 1. de fide, cap. 7. *In eo*, inquit, *se creatum dicit in quo & hominem testificatur*. Et ad Ps. 118. *Non vereor*, inquit, *ne quis dicat, creatum ergo Christum asseris? Respondebo, ita creatum dico quemadmodum factum legi, hoc est factum ex muliere, factum sub lege*.

Item S. Hieronymus ad cap. 2. Epist. ad Ephes. pag. 342. tom. 4. redarguit eos qui Christum appellare creaturam reformidabant, & ait: *Nos libere proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem tota spei nostræ fiducia profitemur*.

S. August. non semel idipsum docet; sic Epist. 187. *Proinde*, inquit, *quod ad Verbum attinet, creator est Christus, omnia enim per ipsum facta sunt. Quod*

vero

vero ad hominem, creatus *est Christus*, vel secundum alios codices, *creatura est Christus*. Enchir. c. 38. *Sed cum istam creaturam*, inquit, *quam Virgo concepit & peperit*. Et similiter lib. de fide & Symbolo, c. 4. l. 1. de Trin. c. 12. & l. 2. contra Jul. cap. 4.

Cyrillus insuper Alexandr. Homil. 7. in Paschali: *Christus*, ait, *superiorem esse creata natura*, *quatenus est Deus*, *etiamsi creatus intelligatur qua homo est*.

Quibus astipulantur S. Leo Papa Sermone 2. de Pentecoste, S. Fulgentius Responsione ad quæst. 2. Ferrandi, Ferrandus ipse in Epistola ad Severum, Vigilius lib. 4. & 5. contra Eutychem, Maximus Martyr in Opusculo quodam ad Joannem Cubicularium, Ephræmius Antiochenus apud Photium codic. 22. S. Joannes Damascenus lib. 3. cap. 3. & in libello contra Acephalos.

Quamobrem perpauci tantum inter veteres recenseri possunt, qui Christum appellari creaturam reformidaverint, qui præterea de Christo absolute & ex toto locuti sunt, in suis nempe quas cum Arianis habuerunt concertationibus. Ita quidem D. Ambr. in Ep. ad Gratian. *Creaturam*, inquit, *Christum dicere pro objectu contumeliæ est*, *non pro confessione reverentiæ*. Quod in primo de fide libro cap. 6. & 7. copiose prosequitur, sed rem habet cum Arianis.

Citatur præterea Epiphanius, qui hæresi 69. quæ Arianorum est, Christum contendit, ne ut hominem quidem, creaturam oportere dici: *Et quid*, inquit, *prodesse nobis creatura posset? aut quid ad salutem hominum conferret*, *vel ad divini Verbi incarnati gloriam divinitatemque perfectum? quid*, *inquam*, *nobis profuerit*, *si creaturam illum dixerimus?* Verum alius non fuit Epiphanii sensus quam quod Dei nomine potius quam hominis insigniri debeat Christus, quod non inficiamur; isque præterea Arianos prosequitur.

Quibus simillimum est quod tradit Faustinus in libro contra Arianos, *Nam aliud est*, inquit, *dicere creari sapientiam*, *& aliud est dicere quod sit creatura; non enim omne quod creatum est*, *jam creatura dicendum est*, *licet omnis creatura creata sit*. Verum iste, ut opinor, nugatur in verbis, qui cum fateatur Christum dici posse creatum, negat appellari debere creaturam.

Proclus item citatur, qui Orat. 5. verba faciens de Christo, eum esse creatum inficiatur; *qui splendor esset paternæ gloriæ*, inquit, *non creatura*, *& qui adoratur*, *non autem est creatus*. Hic autem de Christo loquitur ratione personæ, non ratione naturæ, ut unam in Christo demonstret personam adversus Nestorium. Quo etiam pertinent quæ Nestoriano respondens Maxentius in Dialogo secundo scribit: *Impia omnino*, inquit, *& sacrilega atque Arianorum blasphemiis hæc affectio coæquanda est*, *quæ Christum non Deum prædicat*, *sed creaturam*. Quorum quidem verborum sensus est, Christum non absolute & ex toto creaturam esse, quod utique fatemur, qui tamen secundum humanam naturam & creatus & creatura recte nuncupari potest.

An Christus fuerit mediator Dei & hominum?

CHristum fuisse Dei & hominum mediatorem tam aperte docet Apostolus his verbis 1. ad Timoth. 2. cap. *Unus enim Deus*, *unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*; ut id inter hæreticos nullus unquam negaverit, quamvis & falsis ducti principiis Christum docuerint mediatorem, & in ei assignandis istius tituli muneribus graviter erraverint.

Ariani primum mediam quandam divinitatis naturam Christo affingebant, cujus beneficio partes mediatoris implere potuit, his obeundis cæteroquin impar; quod quidem commentum satis abun-

abunde, ut puto, profligavimus in Tractatu Sanctissimæ Trinit. cum invicte ostendimus adversus illos hæreticos Christum non esse quendam Deum dimidiatum, sed verum summum Deum Patri æterno consubstantialem.

Apollinaristæ insuper & Monophysitæ, cum ad duarum naturarum in Christo confessionem adigerentur a Catholicis præfato Apostoli testimonio utentibus, ex quo sequitur aperte duas esse in Christo naturas, si sit mediator Dei & hominum; dicere ausi sunt non alio pacto Christum fuisse mediatorem Dei & hominum, quam Moses fuerat olim mediator Deum inter & Judæos: *Quid igitur*, inquit Eranistes apud Theodoretum Dialogo 2. *nonne Moses mediator est dictus, cum homo duntaxat esset?*

Sociniani præterea & Anabaptistæ recentiores hæretici Christum esse nudum hominem, ut consentanee ad Apostoli locum dici possit *mediator Dei & hominum*, blasphemarunt sæculo decimo sexto. His autem tribus nefandis hæresum monstris occurremus, si eatenus Christum mediatorem esse demonstraverimus, quod naturam utramque divinam & humanam in se continebat.

Qua in re consentiunt omnes Græci & Latini Patres; ita Irenæus in primis lib. 3. cap. 20. *Oportebat*, inquit, *mediatorem Dei & hominum per suam cum utroque propinquitatem ambos in amicitiam & concordiam adducere*.

Athanasius in lib. de natura humana suscepta: *Verus*, inquit, *Deus est filius, & antequam homo fieret, & postquam factus est mediator Dei & hominum homo Jesus Christus unitus Patri secundum spiritum, nobis vero secundum carnem; atque ita mediatoris partibus functus inter Deum & homines, qui non solum homo est, sed etiam Deus*.

Item S. Chysostom. in priorem Epistolam ad Timoth. *Mediator*, inquit, *cum ambobus commune aliquid habere debet, quorum mediator est; quod si unum quidem propinquitate contingat, ab altero vero distractus sit, non jam mediator est*.

Et S. Augustinus Enchir. cap. 208. *Nam neque per ipsum*, inquit, *liberaremur unum mediatorem Dei & hominum Christum Jesum, nisi esset & Deus*. Quæ eadem scribunt S. Basilius lib. 4. contra Eunomium, S. Epiphanius in Ancorato, S. Hilarius lib. 9. de Trin. Theodoretus Dial. 2. S. Cyrill. Alex. lib. 11. in Joan. cap. 12. S. Fulgent. lib. 1. ad Trasimundum c. 15. Vigilius Tapsensis lib. 5. contra Eutychem, S. Greg. Magn. lib. 22. Moral. c. 13. & alii omnes ne uno quidem excepto, quorum singula loca hic sigillatim describere nihil necesse est, in materia scilicet sub oculis omnium posita.

Quæres vero hic secundum quam naturam Christus Dominus fuerit mediator Dei & hominum, an ratione naturæ divinæ vel humanæ, an quatenus erat Deus, vel quatenus homo.

Huic quæstioni priusquam faciamus satis, observandum est duplicem super ista re hæreticorum fuisse sententiam fidei catholicæ oppositam. Prima fuit cujusdam Stancari Mantuani, qui Christum pertendit mediatorem fuisse Dei & hominum, non qua Deum, sed qua hominem; non ratione naturæ divinæ, sed humanæ; propterea quod si, ut Deus est spectetur, nec pati nec mori potuerit, quæ tamen partes præcipuæ sunt mediatoris.

Altera ex adverso pugnans sententia fuit Calvini, Melancthonis, aliorumque tam Lutheranorum quam Calvinistarum, qui cum in Stancarum intemperantius scriberent, Christum contenderunt ut Deum, non ut hominem, atque ita quatenus æternum Dei Verbum est, non solum ex quo carnem induit, sed ab initio creationis, mediatorem fuisse, quod nempe complura ejus muneris officia ab sola divinitate

pro-

proficiſcuntur, velut illuſtrare hominum animos, immittere Spiritum ſanctum, immutare corda &c. quæ omnia perſonæ ſunt Chriſti, ſed quatenus Deus eſt; quibus ita præmiſſis,

Reſpondeo adverſus ambas illas opiniones, Chriſtum dici debere mediatorem Dei & hominum, quatenus Deum ſimul & hominem: quod quidem ſatis aperte ex iis evincitur ſanctorum Patrum teſtimoniis, quæ mox a nobis adducta ſunt ex quibus colligitur eos neceſſarium putaſſe ut Chriſtus ad obeundas mediatoris partes, foret Deus ſimul & homo. Scilicet in officio, ſeu potius opere mediatoris duo diſtingui debent, nimirum opus ipſum materialiter & entitative, ut ajunt, ſpectatum, ſeu actiones ipſæ ſumptæ phyſice & in ſe prout eliciuntur, & a dignitate perſonæ agentis præſcindunt; alterum eſt dignitas, valor & meritum illarum actionum, quod nempe ex præſtantia & nobilitate perſonæ ejuſcemodi actiones exerentis reperitur; quæ duo inſeparabilia ſunt in adminiſtratione mediatoris, quia partes implere mediatoris cenſetur agens ratione utriuſque principii influentis.

His poſitis, mediatorem exhibuit ſe Chriſtus Dominus in hoc Incarnationis myſterio, & quatenus homo, & quatenus Deus; quatenus homo exinanivit ſemetipſum, oravit Patrem, paſſus eſt & mortuus, quod opus eſt phyſicum & materiale in ſolam hominis congruens naturam; at vero quatenus Deus valorem, dignitatem & pretium contulit hiſce actionibus, quæ hoc ipſum non ex humanæ conditionis modulo, ſed ex adjuncta divinitate conſequuntur, uti fuſius a nobis dictum eſt fere ad initium hujus Tractatus, cum de ſatisfactione Chriſti actum eſt.

Atque hoc plane modo Veterum opiniones cæteroquin late diſſitas nullo negotio conciliamus, quorum alii Chriſtum affirmant mediatorem, qua homo eſt; alii vero quatenus Deus: quæ quidem non pugnant propter ambarum naturarum officiorumque quibus funguntur, communionem. Unde ſi dicatur cum Stancaro Chriſtum quatenus Deum non oraſſe, non paſſum eſſe, non mortuum, facile utique reſpondetur Deum oraſſe, & paſſum in natura aſſumpta, quæ quidem in ſeſe ſuſcipere potuit ut Deus. Si vero objiciatur cum Calvino non potuiſſe hominem immittere Spirit. ſanctum, corda immutare &c. illico reponitur iſta præſtitiſſe in Chriſto non purum quidem hominem, ſed qui eſſet per Verbi perſonam ſubſiſtens.

Quæres præterea quænam fuerint Chriſti mediatoris partes & functiones.

Reſpondeo varias fuiſſe Chriſti prout mediatoris functiones. Prima omnium ac præſtantiſſima fuit generis humani redemptio, æternaque ſalus ei procurata; de qua quidem, quoniam plura nobis adverſus Socinianos dicenda ſuppetunt, ſingularem poſtmodum inſtituemus quæſtionem. Secunda, fuit oratio. Tertia, quod Chriſtus fuerit Sacerdos & ſacrificium obtulerit. Quarta, quod fuerit Rex. Quinta demum, quod Judex: de quibus ſigillatim ac breviter nonnulla dicemus.

An & quomodo Chriſtus oraverit Patrem.

CHriſtum Dominum, tametſi ut Deum omnis gratiæ & ſanctitats fontem, cum in terris degeret, oraſſe Patrem æternum clamant non uno in loco Scripturæ ſacræ. *Pater*, inquiebat, *ſerva eos in nomine tuo*; & ibidem, *ſerva eos à malo..... Pro eis rogo, non pro mundo rogo*, Joan. 17. & præterea Lucæ 16. ait, *Rogo ergo te, Pater, ut mittas eum in domum Patris mei*, & quæ de Chriſto tamen non ſunt eo ſenſu explicanda, quod ſervili quadam precatione uſus fuerit, qua cæteræ creaturæ incerta ſpe vo-

toque pendentes aliquid a Deo petunt, sed ut propria sui ac voluntaria demissione, christianæ exemplum humilitatis probaret, fidemque hac in parte erigeret, ut egregie observat Hilarius l. 10. de Trinitate. *Excitaturus Lazarum*, inquit, *orat ad Patrem; nunquid prece eguit dicens, Pater, gratias ago tibi, quia exaudisti me, & ego sciebam, quia semper me exaudis; sed propter turbam dixit, ut credant quia tu me misisti: Pro nobis itaque oravit ne Filius ignoraretur, & cum sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostræ fidei loquebatur*. Cui simillimum est quod scripsit Damascenus lib. 3. c. 24. Christum nulla adactum necessitate oravisse Patrem, *Verum ut personam in se nostram exprimeret; & exemplar nobis fieret, ac doceret nos a Deo petere & ad ipsum attolli, & ut sanctissima sua mente viam nobis aperiret, qua ad Deum conaremur ascendere*.

Non est quoque dubitandum quin Christus, dum in carne mortali viveret, pro se Patrem oraverit; id enim aperte colligitur ex istis Apostoli verbis ad Heb. cap. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Quod quidem ad orationem illam qua mortem in horto deprecatus est, referunt Chrysostomus, Theodoretus & plerique alii. Quapropter ubi contrarium docere visus est Paulinus Aquileiensis in lib. 1. contra Felicem, his verbis: *Non sibi nec pro se orabat, quia non est sibi natus, nec pro se passus, vel mortuus; sed pro illis, id est membris suis, orabat*. De illa profecto oratione intelligi debet, quæ necessitatem supponat & indigentiam, non enim quasi indigens venia & reconciliatione, uti pro hominibus ceteris, ita pro se ipso Christus oravit.

Certum est denique Christum in cœlo regnantem cum Patre, & assidentem ad ejus dexteram, etiamnum pro nobis orare; siquidem id clare & aperte docent Scripturæ, ad Romanos 8. *Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Idem Apostolus ad Hebræos scribens cap. 7. *Unde*, inquit, *& salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Et S. Joannes in prima sua Epistola, *Filioli mei*, inquit, *hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum*. Dixerat ipse Christus Joan. 14. cap. *Rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis*.

Quibus Scripturarum testimoniis, quoniam nullum dubitandi locum relinquunt, Patrum interpretationem adjungere nihil necesse est. Unus, quem ad instar cæterorum præsenti loco citabimus, id apprime testatur Augustinus in Epistola 149. ubi Christum ait & orando & postulando interpellare pro nobis. *Nam*, inquit, *& de ipso Domino Jesu Christo dictum est quod interpellat pro nobis, nunquid interpellat, & non etiam postulat? immo vero quia postulat, pro eo positum est, interpellat, evidenter quippe alibi de eo dicitur, & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est exoratio pro peccatis nostris*. Et in Psal. 85. *Sitque unus ipse salvator corporis sui Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur a nobis: orat pro nobis ut Sacerdos noster; orat in nobis ut caput nostrum: oratur a nobis ut Deus noster*.

Atque propter hæc postrema Augustini verba in publicis Ecclesiæ precibus Christo, uti cæteris Sanctis, non dicimus *Jesu Christe ora pro nobis*, ne illum in aliorum Sanctorum ordinem reducamus, cujus est nempe non solum orare pro nobis & intercedere, sed & misereri & propria indulgere autoritate.

An

An & quomodo Christus fuerit Sacerdos.

ALterum Christi mediatoris officium fuit ejus Sacerdotium. Sacerdos idem plane ac interventor & mediator Deum inter & homines, at Sacerdotem & Pontificem esse Christum manifeste docet Apostolus in Epistola ad Hebr. cap. 3. *Considerate*, inquit, *Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum*. Et c. 4. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei*, idque *secundum ordinem Melchisedech*, qui expressa fuit Christi Sacerdotii figura; tum in eo quod in Scripturis celebratur Melchisedech sine patre, & matre; tum in eo quod panem & vinum obtulit, quæ quotidie in sanctissimo Altaris Sacramento etiamnum offeruntur. Ubi etiam Apostolus capite nempe septimo, Christi Sacerdotium Aaronis sacerdotio longe anteponit multis nominibus, ac potissimum perpetuitate, quod, uti & ipsa nova gratiæ lex, futurum sit æternum.

Christi Sacerdotii & Pontificatus præter orationem, de qua mox dicebamus, aliud officii genus fuit oblatio & sacrificium. Christus enim, inquit S. Augustinus in Psal. 26. est *Sacerdos quia pro nobis interpellat, & quidem solus ille Sacerdos talis extitit, ut ipse esset etiam sacrificium; obtulit Deo non aliud quam seipsum*. Unde Apostolus Epistola ad Ephesios cap. 5. *Dilexit nos*, inquit, *& tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*.

Quibus accedit iste locus jam citatus Epistolæ ad Hebræos, *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum &c.* Ad quem Epiphanius hæresi 69. *Quod Pontifex*, inquit, *factus esse dicitur, id eo pertinet quod in corpore suo Patri seipsum obtulit pro humano genere: ipse Sacerdos, ipse hostia, semetipsum obtulit pro omni creatura pontificatus officio fungens*. Quibus similia prope docent S. Athanas. orat. 3. S. Aug. in Psal. 132. Theodoret. dial. 1. Fulgent. lib. 1. ad Trasim. cap. 12. & alii.

An & quomodo Christus fuerit Rex?

SEquitur alter Christi mediatoris titulus, quod nempe fuerit Rex, & illud quidem ei passim ascribunt Scripturæ sacræ Psalmo 71. *Deus judicium tuum Regi da*. Jeremiæ 3. *Et regnabit Rex, & sapiens erit*. Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus* Quæ quidem loca Christo accommodant vulgo plerique Interpretes. Sic vero in novo Testamento Rex appellatur Christus. Matthæi 27. *Hic est Jesus Rex Judæorum*, qui tum etiam se Regem esse sciscitanti Pilato confessus est ipse Joan. 18. cap. *Dixit ei Pilatus, Ergo Rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia Rex sum ego*; cui doctrinæ universa consonat Patrum omnium traditio, quorum unum alterumve tantum adducemus testimonium, ne in longum oratio nostra procedat in re minime necessaria.

S. Clemens Alex. lib. 1. Strom. de Christo verba faciens; *Rex*, inquit, *& a pueris imperitis, & ab Judæis pronuntiatus incredulis & ignaris, & ab ipsis Prophetis prædicans ostenditur*.

S. Augustinus in Psalm. 149. *Christus*, inquit, *a chrismate dictus est, id est ab unctione; Reges autem ungebantur & Sacerdotes, ille vero unctus est & Rex & Sacerdos. Rex pugnavit pro nobis; Sacerdos obtulit se pro nobis*. Porro extra omnem dubitandi aleam positum est, Christum, qua Deus est, regiam dignitatem eandem cum Patre & Spiritu sancto penitus habere ab æterno; sed de ea contendimus hoc præsenti loco, quæ Christo ut mediatori, ac proinde ut Deo homini competit.

Si vero percontetur quis, cujusmodi regnum illud sit, spiritale an terrenum, nonnihil difficultatis continet quæstio. Quidam enim Christum contenderunt regiam habuisse dignitatem temporalem, quasi hæreditaria successione transmissam, quod de stirpe Davidis oriundus esset. Ita sensisse videtur sanctus Epiphanius hæres. 9. quæ est Nazaræorum.

Verum nonnisi spiritale fuisse Christi regnum unanimi consensu tradunt cæteri Patres. Omnium vero disertissime S. Aug. in illum Joan. 18. locum, *Regnum meum non est de hoc mundo*; ad quæ verba sic scribit tract. 115. *Audite ergo, Judæi & gentes; audi circuncisio; audi præputium; audite omnia regna terrena; non impedio dominationem vestram in hoc mundo. Regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille major, cum Christus natus nuntiaretur, expavit; & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit, timendo magis quam irascendo crudelior. Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo; quid vultis amplius? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo, venite credendo, & nolite sævire metuendo.*

An Christus fuerit Judex?

POstremum denique quod recensuimus Mediatoris officium, est judicare homines; quod quidem ipsi similiter adjudicant Scripturæ sacræ, nam legitur Joan. 5. cap. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio..... potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Actorum 10. *Ipse est*, inquit Petrus, *qui constitutus est a Deo judex vivorum & mortuorum.* Tum denique divus Paulus in Areopago verba faciens, *Statuit diem*, inquit, *in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis*; quam functionem ipse Christo vindicat Evangelista Matthæus, cum judicii ultimi pompam ac formulam describit cap. 25.

Hæc porro judiciaria dignitas & functio, ut & reliquæ Mediatoris, competit Christo ut Deus est simul & homo; quod egregie docet Augustinus l. 1. de Trin. cap. 13. *Dicimus*, inquit, *quia secundum id quod Deus est, judicat, hoc est ex potestate divina, non humana: & tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est .... Quapropter filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea qua Filius Dei est. Et rursus Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est æqualis Patri, &c.*

An & quo sensu Christus sit Salvator hominum?

UT Christum perfectum fuisse, suisque numeris absolutum mediatorem Dei & hominum demonstremus, altera quæstio de Salvatoris titulo nobis demum expedienda est adversus Socinianos, qui reclamantibus universis ac singulis sacrorum codicum paginis, affirmare ausi sunt Christum eo solum nomine Salvatorem hominum nuncupari, quod salutis viam doctrina & exemplis præmonstraverit: non autem quod eam suorum operum meritis proprie hominibus procuraverit; hinc in illorum systemate nulla vis, efficacia nulla passioni mortive Christi, qui nonnisi metaphorice dicitur sanguine suo vitam nostram acquisivisse; ajunt enim eum mortuum non ad divinam iram placandam, non ad delenda peccata, sed in exemplum duntaxat nostrum, & vim suæ doctrinæ confirmandam. Scilicet Deo nullam tribuunt justitiam vindicem, qua utique a nobis satisfactionem exigat; unde nonnisi verbotenus dicitur Mediator, Salvator, & Redemptor hominum.

Nos.

Nos vero quibus infinitum humano generi collatum Christi beneficium, aut evacuare aut quicquam minuere animus non est; contendimus Christum vere ac proprie salvatorem esse nostrum, quod bonis operibus ac potissimum sanguinis sui effusione vitam nobis per peccatum amissam reparaverit: mediatorem, quia cum Deo propter hominum delicta irato, in pacem & veniam eosdem homines reduxit. Denique redemptorem, quia soluto vere aliquo pretio, nos a peccati, diaboli, & mortis debito liberavit; sit igitur

CONCLUSIO.

Christus proprio nomine fuit salvator & redemptor generis humani.

Probatur 1. Ille merito & proprio nomine æstimatur salvator & redemptor generis humani, qui dicitur verbis expressissimis mediator, redemptor, salvator; neque enim verosimile est hæc singula Christi attributa toties in Scripturis decantata, nonnisi metaphorice accipi debere. 2. quem testantur Scripturæ in sese sumpsisse nostra peccata, vadem esse & sponsorem nostrum. 3. qui hostia & victima appellatur. 4. qui nos cum Deo irato reconciliasse dicitur: atqui hæc singula frequentissime Christo tribuuntur in Scripturis.

Ac primo Christus diserte appellatur mediator, salvator & redemptor; mediator quidem, primæ ad Timoth. 2. cap. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis*. Ad Heb. 9. cap. *Et ideo novi Testamenti mediator, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant*. Et c. 12. *Et testamenti novi mediatorem Jesum & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel*. Ubi mediator Dei non dicitur Christus, quo sensu Moses qui Dei interpres fuit & internuntius, ut volunt Sociniani, sed quod perditum genus humanum, suo sanguine, seipsum offerens in pretium reparavit.

Deinde Christus dicitur salvator, Lucæ 2. *Natus est nobis hodie salvator, qui est Christus*. Joan. 4. cap. *Scimus quia hic est vere salvator mundi*, quod itidem legitur Act. 5. & 13. primæ ad Timotheum 1. 2. & 4. secundæ ad Titum c. 1. 2. & 3. tum secundæ Petri 1. 2. & 3. primæ Joan. 4. in quibus profecto locis Christus non dicitur salvator, quasi salutis nostræ viam præmonstraverit; sed quod salutem nostram vere sit sua morte operatus, ut aperte declarat S. Matthæus, maximam præfatis locis commodans lucem cap. 1. *Et vocabit*, inquit, *nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*.

Demum Christus dicitur redemisse homines, ad Galat. 3. c. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Et cap. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*. Ad Titum c. 2. *Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*. Primæ Petri c. 1. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi*. Apocalypseos c. 5. *Quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo*. Ubi generis humani redemptio tribuitur non doctrinæ & bonis Christi operibus, quæ nobis in exemplum proposita sint, sed ipsius sanguini & morti.

Secundo & constat ex iisdem Scripturis Christum ut vadem nostrum & sponsorem, nostra in sese sumpsisse peccata. Isaiæ de Christo Domino præcinit Propheta: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ*

stra super eum, & livore ejus sanati sumus ... Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum ... & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit. Quibus profecto nihil ad rem nostram illustrius, hæc enim ad Christum pertinere fatentur Sociniani.

Item secundæ ad Corint. 5. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso;* id est eum qui non habebat peccatum, *nosse* etenim hoc loco dicitur pro *habere;* Deus eo sensu peccatum fecit, quod peccata nostra in se sumpsit, pœnasque pro peccatis nostris debitas humeris suis imposuit. Galat. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, hoc est qui in locum nostrum substitutus, Dei maledictionem peccatis nostris debitam sustinuit. Heb. 7. cap. *In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus*. Secundæ Petri c. 2. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati sumus*. Igitur Christus sponte quidem & libere, sed vere tamen sponsorem, vadem & debitorem constituit seipsum pro peccatis nostris; adeoque quantumvis innocens, solvere debuit.

Tertio, hæc eadem nostra doctrina adversus Socinianos aperte colligitur ex iis Scripturæ locis, quæ Christum declarant hostiam, victimam, & propitiationem pro peccatis hominum; idque potissimum legitur in tota fere Epistola ad Hebræos, ubi Apostolus ait eo veteribus sacrificiis excellentius esse Christi in cruce pendentis sacrificium, quod istud unum expiandis omnium hominum delictis sufficiat, cap. 7. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel se offerendo*. Et cap. 9. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emendationem carnis, quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Et ideo novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum*. Et cætera quæ leguntur eodem capite & sequenti, quæ quidem e diametro stant opposita systemati Socinianorum, quasi ex mera divo Paulo contradicendi prurigine scripserint.

Quarto demum, Ecclesiæ doctrina iis nititur Scripturæ testimoniis, quæ Christum affirmant divinam placasse iram, ejusque beneficio Deum inter & homines sancitam fuisse pacem; ad Romanos 5. c. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*. Et secundæ ad Cor. 5. c. *Omnia*, inquit Apostolus, *ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis*. Denique ad. Coloss. 1. cap. *In ipso* Christo, *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*. Scilicet cum per primi hominis prævaricationem rupta cum Deo fuerit pax, necesse fuit ut a Patre mitteretur Filius, qui pacem ipsi concordiamque procuraret,

ret, non doctrina modo & virtutum omnium exemplis, sed, ut ait Apostolus, per suum sanguinem & mortem crucis.

Atque in hujusce veritatis confirmationem accedit, quod falso utique fundamento nituntur Sociniani, cum aiunt in Deo non esse iram ex hominum delictis, nullam in eo justitiam vindicem, qua pœnas peccatis debitas reposcat vel destinet; quo quidem impio dogmate omnem subruunt Christi salvatoris & redemptoris titulum, atque omne satisfactionis ejus meritum.

At vero innumeris prope Scripturarum locis facile revincuntur; ubique enim & singulis fere paginis in peccata hominum inquirit Deus, eorumque destinatis pœnis sese ultorem exhibet.

Id primum habemus ex cap. 2. Geneseos, ubi antequam lapsus fuisset Adamus, ei Deus mortem intentaverat his verbis: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*. 2. Geneseos, capite 6. propter multam hominum malitiam universum ipsis denuntiatur diluvium, quo quidem omnes præter Noe & familiam ejus submersi sunt. 3. ibid. cap. 18. Sodomorum eversio prædicitur, quia, inquit Scriptura, *peccatum eorum aggravatum est nimis*, iique postmodum magno devorati sunt incendio. 4. Exodi 20. cap. Deus dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios*. 5. In toto passim Levitico pro peccatis hominum expiandis postulat Deus, instituitque varia sacrificia, futurus alioquin scelerum ultor; unde dicit Deuteronomii cap. 8. *Omne mandatum quod ego præcipio tibi, cave diligenter ut facias...... sicut gentes quas delevit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei tui*. Et cap. 27. *Meledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit*.

Idem plane legitur apud Prophetas, divinæ voluntatis præcones, Isaiæ cap. 10. *Væ, Assur*, inquit Deus, *virga furoris mei & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea...... adhuc enim paululum modicumque, & consummabitur indignatio & furor meus super scelus eorum*. Jerem. 5. cap. *Nunquid super his non visitabo*, dicit *Dominus, & in gente tali non ulciscetur anima mea*. Ezechiel. 18. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Nahum 1. *Deus æmulator & ulciscens Dominus, & habens furorem; ulciscens in hostes suos, & irascens inimicis suis*. Denique & eadem dubio procul leguntur in novo Testamento sexcenties repetita, ubi & ira Dei in peccata hominum, indignatio, vindicta, tum destinata sceleribus supplicia frequentissime commemorantur. Quamobrem vix concipi potest qua fronte adversus tantam testimoniorum nubem, tam inscite quam impie argutari ausi sint Sociniani.

His vero aliisque similibus sacræ Scripturæ locis, quæ consulto missa facimus, ne longius quam par sit, procedat oratio nostra, universa consonat Patrum traditio, quorum testimonia huc non adducemus; tum quod nullius pretii sint apud Socinianos, tum quod satis superque sensus verborum Scripturæ pateat omni non cæcutienti; adeo ut nulla indigeant interpretatione. Consule si volueris S. Justin. in dialogo cum Tryphone, Tertull. contra Jud. cap. 13. Origen. Homil. 24. in Numeros. S. Cypr. Epist. 63. ad Cæcil. Euseb. lib. 10. Præp. Evang. cap. 1. S. Athanas. lib. de Incarn. S. Basil. lib. 2. de Baptismo, quæst. 1. Sanctum Ambr. lib. de Joseph. & in Psal. 36. & 37. S. Hieron. in cap. 53. Isaiæ. S. Aug. tract. 104. in Joan. lib. 14. c. Faustum c. 4. S. Cyril. in Joan. lib. 2. Theodor. quæst. 9. in Num. S. Leonem sermone 1. de Passione, &c.

Quibus invictis catholicæ doctrinæ firmamentis, adjungi potest validissima hæc ratio, quæ magnum valde incommodum indi-

indigitat, quod ex perverso Socinianorum dogmate sequitur. Scilicet, si non alius est mortis Christi finis, non alius, ut volunt illi, effectus, quam exemplum & confirmatio ejus doctrinæ, ita ut hoc solum sensu dicatur mortuus pro hominibus, redemisse suo sanguine humanum genus, & semetipsum Deo obtulisse in pretium, aliaque id genus, constat profecto Christum nihil amplius pro nobis præstitisse, quam quod præstiterunt martyres; isti enim ad exemplum & doctrinæ suæ confirmationem vitam profuderunt: ergo isti suo sanguine Ecclesiam acquisiverunt; ergo Paulus pro nobis crucifixus est; ergo non in solo Christi Jesu nomine posita est nostra salus. Quorsum autem nonnisi in Christo Domino gloriari debemus, teste Apostolo? Quis alius factus est nobis sapientia a Deo & justitia, & sanctificatio, & redemptio? Ruunt igitur per sese absurdissima Socinianorum deliria.

Objiciunt 1. Sociniani veram & propriæ dictam pro peccatis satisfactionem ex eo ascribi non posse Christo, quod dicatur mediator Dei & hominum; siquidem & mediator appellatur Moses in Scripturis, hoc est divini verbi internuntius & interpres: ergo nonnisi metaphorice & improprie dici debet Christus satisfecisse pro peccatis hominum.

Respondeo alio plane sensu Christum fuisse mediatorem Dei & hominum ac Mosem, tum quia primæ ad Timoth. 2. Christus dicitur unus mediator Dei & hominum, adeoque non merus divini fœderis cum hominibus initi, divinarumque promissionum præco, ut Moses aliique Prophetæ, sed alio plane modo longe excellentiori; tum quia mediationis Christi officium aliis Scripturæ locis monstratur, in quibus dicitur morte sua intercessisse pro hominibus sanguine suo salvum fecisse populum a peccatis eorum, & alia similia quæ nec de Mose, nec de quovis alio dicta unquam reperias.

Objiciunt 2. Christum reconciliatorem appellari in Scripturis, non quod Deum hominibus iratum placaverit, sed quod homines a Deo per peccatum aversos exemplo & doctrina revocaverit; idque probant: 1. quia antequam mitteretur Christus, jam Deus propenso in homines erat animo, jam mundum dilexerat: *Ipse enim*, inquit, Jo. 1. Ep. c. 4. *prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Quapropter necesse non fuit, ut iram Dei placaturus adveniret Christus. 2. quia manifeste constat ex cap. 5. Epist. 2. ad Corinth. non alia ratione Christum dici reconciliatiorem ac ipsos Apostolos, exemplo scilicet & doctrina. *Omnia autem*, inquit Apostolus, *ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis .... & posuit in nobis verbum reconciliationis*: ergo nihil concluditur ex eo quod Christus dicitur in Scripturis homines cum Deo reconciliasse.

Nego ant. siquidem contrarium ex innumeris Scripturæ sacræ locis invicte demonstravimus.

Ad primum vero quod objiciunt Sociniani, revera prior Deus nos dilexit antequam Filium mitteret, verum id nihil quicquam Christi satisfactioni obest; ex benignitate enim utique voluit Deus, ut Christus satisfaceret pro peccatis hominum, isque propterea non desiit strictioris justitiæ partes explere; sicque in hoc salutis nostræ negotio misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.

Ad secundum dico duplicem commendari reconciliationem, secundæ ad Cor. cap. 6. alteram quam Christus dedit, alteram quæ procuratur ab hominibus, sed alia longe & diversa ratione; Christus enim suis meritis, suo sanguine, sua morte efficacissima mundum Deo reconciliavit, quod de alio nemine præter ipsum affirmari potest: homines vero, ut Prophetæ & Apostoli, non habent

bent ministerium reconciliationis nisi verbo doctrinæ, ut ait ibidem Paulus, *Et posuit in nobis verbum reconciliationis*.

Objiciunt 3. satisfactionem Christi non fuisse veri nominis & proprie dictam satisfactionem, si Deus dicatur passim in Scripturis peccata hominum gratis condonare: atqui Deus dicitur in Scripturis peccata nostra gratis condonare, Rom. 3. bap. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu*. Ad Coloss. cap. 2. *Et vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum:* ergo veri nominis non fuit Christi satisfactio.

Nego maj. Tametsi enim Christus Dominus secundum accuratas justitiæ leges Deo satisfecerit, verum est tamen dicere Deum nobis gratiam singularem contulisse, & nos gratis per gratiam ipsius justificatos; quia nempe donum est Dei summum ac singulare quod miserit Filium suum, ut salvos faceret homines qui perierant; idque adeo clare significatur in utroque testimonio Apostoli mox citato, ut mirum profecto videatur, illud in suas partes trahere voluisse Socinianos: ait enim Apostolus nos esse justificatos per redemptionem Christi, *quæ est in Christo Jesu*, ait *Christum delevisse quod adversus nos erat chirographum*. Igitur hæc duo recte conveniunt inter se, & ex una parte benignissime nobiscum egit Deus, qui nos ab onere satisfactionis liberavit, omniaque peccata nostra in Christum Jesum vadem nostrum ac sponsorem transferri liberaliter permisit; Christus tametsi ex altera parte ad strictos juris severioris apices satisfecit, ut fuse ostendimus sub initio hujusce Tractatus.

Instant Sociniani: Christus utpote innocens non potuit exhibere se vadem & sponsorem, ideoque vel etiam volens plecti, & solvere pro reo & nocente; siquidem ejuscemodi iniquitas & pugnat cum ratione, quæ nunquam sinit ut sæviatur in justum & innocentem, tum & cum lege divina; legitur enim Deuteron. cap. 24. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur;* ac demum cum omnium gentium vel barbararum moribus, apud quas iniqua semper visa est ejusmodi substitutio.

Respondeo iniquum quidem esse ac illicitum ut innocens etiam volens pœnas luat in alterius locum, si serventur leges ordinariæ; secus autem si in casu extraordinario res spectetur, in quo potissimum ratio habetur supremæ Dei potestatis in vitam & necem hominum; neque enim omnia semper ad normam cujusdam ordinariæ & humanæ justitiæ mensurari debent, præsertim ubi agitur de insolitis Dei gestis & facinoribus, quæ revelata occurrunt in Scripturis sacris, quæque cum stupore & magna animi demissione colere & venerari debemus; qua ratione dogma de peccato originali in singulos infantes transfuso, tametsi in speciem justitiæ legibus adversum suscipimus, quia novimus plura posse Deum in ordine quodam supra omnem humanam legem & captum posito, quæ vix aut justa esse aut possibilia cogitamus: atque quod argumentum peremptorium est contra Socinianos (quibus male audit peccati originalis ut & satisfactionis Christi dogma), Christus Dominus, quem fatentur ab omni labe peccati purum & immunem, dirissimis tamen suppliciis, mortique ipsi addictus fuit, Deo ita volente, ita statuente; oportuit enim Christum pati ut intraret in gloriam; quod longe magis abhorret ab æquitate, quam si volens hominum factus sponsor & vas, eorum peccata luenda in se suscepit.

Cui responsionis nostræ momento,

quod nempe ex suprema Dei potestate deprompsimus, favent & nonnullæ circunstantiæ satisfactionis Christi, in quibus juste potest innocens pro alio plecti. Primo, Christus lubens ac volens propter hominum salutem & redemptionem mortuus est, a nemine pulsus & coactus, oblatus est quia ipse voluit: *Ego*, inquit Joan. 10. cap. *pono animam meam ut iterum sumam eam; nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso:* sed volenti, inquiunt Juriscosulti, non fit injuria.

2. Christus Dominus justam & legitimam vitæ suæ profundendæ potestatem habuit, quod quidem nemini alteri præter ipsum ita contingere potest; nemini enim licet sibi quocumque in casu mortem inferre, nullique licitum est Judici aliquem hominem innocentem etiam volentem in locum alterius morti addicere.

3. Ea ex causa vetitæ sunt ejusmodi substitutiones, quod gravissima inde in rempublicam redundarent incommoda; tunc enim scelesti homines remanerent in ejus sinu, & probi perirent; at ex Christi morte non modo nullum damnum sensit humanum genus, sed omnia inde illi profluxerunt bona; hinc enim pax & reconciliatio cum Deo, perfecta a servitute peccati libertas, vitaque ipsa in æternum duratura.

Cæterum alias etiam objectiones proponunt Sociniani, ut veram Christi satisfactionem enervent; eas jam abunde diluimus supra, cum de Christi satisfactione ex professo diximus.

De Christi morte & meritis.

CHristum esse mortuum pro hominibus, ut eos ab æterna damnatione, quam per peccatum incurrerant, ex gratia & beneficio singulari redimeret, satis superque manifestum est ex dictis. Non est etiam quod hoc loco multum laboris & operæ impendamus in illius controversiæ disquisitione, an & quomodo Christus mortuus sit pro omnibus & singulis hominibus, hoc enim dedita opera examinabimus in Tractatu de *Gratia*. Quærendum nunc venit utrum Christus, qui totus fuit in procuranda hominum salute, aut saltem ejus anima in triduo mortis descenderit ad inferos, ut justorum animas inde extraheret.

An Christi anima corpore soluta ad inferos descenderit?

QUamquam ab omni ævo receptissima sit apud Christianos hæc doctrina, qua mox invicte demonstrabimus animam Christi ab corpore separatam descendisse ad inferos, uti expresse habetur in symbolo Apostolorum, *Crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferos;* tamen his posterioribus sæculis contrarium asserere non dubitarunt Novatores nostri, quod ut ab omni erroris suspicione liberent, vel etiam aliquo fundamento confirment.

1. Quæcumque sanctorum Patrum testimonia prope innumera & aliunde expressissima in subsidium nostræ sententiæ proferimus, ea, uti mox videbitur, falsis omnino interpretationibus contorquent.

2. Cum Christi descensum ad inferos tot Scripturæ & sanctorum Patrum locis assertum negare penitus non possint, in varias de eo sententias abeunt; nimirum alii descensum ad inferos interpretantur de morte ipsa, ut Zuinglius; alii de sepultura, ut Beza, Bucerus, Witacherus, &c. alii denique de doloribus inferni, ut Bucanus, Polanus, Windelinus cum Calvino, qui lib. 2. Instit. c. 16. nomine *inferni*, in illis Scripturæ locis ad asserendam doctrinam catho-

tholicam vulgo usurpatis, intelligit pœnas ipsas damnatorum, quas sustinuisse Christum impie pronuntiat.

3. Articulum de Christi descensu ad inferos putant recens symbolo assutum ex errore Amanuensium, qui hunc in margine scriptum textui inseruerunt, hoc videlicet fundamento, quod Ruffinus in expositione symboli testatur articulum de descensu ad inferos non haberi in symbolo apud Orientales Ecclesias, & præterea cum reipsa expressus non sit in Nicæno & Constantinopolitano, quod in Ecclesia publice cantari solet. In eos vero omnes sit

CONCLUSIO.

Anima Christi ab copore suo soluta vere descendit ad inferos.

Probatur 1. ex Scripturis Psal. 15. David Deum sic alloquitur: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno;* quæ verba Christo Domino sic applicantur. Actor. 2. cap. David dicit in eum: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* igitur anima Christi descendit in infernum.

Huic Scripturæ testimonio respondent hæretici vocem *inferni* omnibus assentientibus ubique & passim in divinis Litteris sumi pro sepulcro. Verum licet hoc ipsis concedatur, *infernum* accipi nonnumquam pro sepulchro, hoc ipsum tamen in præsenti loco affirmari non potest, anima enim Christi non descendit in sepulchrum; unde coactus est Beza, qui nomen inferni interpretabatur de sepulcro, loco animæ, græce Ψυχὴ, ponere in sua versione corpus vel cadaver, quæ quidem licentia plane incredibilis est.

Est alter locus in hoc argumento disertissimus nimirum 1. Epist. sancti Petri cap. 3. vers. 18. *Quia Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & his qui in carne erant spiritibus veniens prædicavit.* Ubi Christus dicitur a sancto Petro post mortem inferis illapsus, ut efficaci suæ divinitatis potentia beneficium redemptionis impertiret.

Quod ipsum clarius expressit Apostolus ad Ephesios cap. 4. his verbis, *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit bona hominibus; quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ.* Quæ sunt autem infimæ partes terræ, nisi infernus proprie dictus, qui in centro terræ collocatus vulgo creditur? uti demum hunc locum exposuisse sanctos Patres nunc demonstraturi sumus.

Probatur itaque ex sanctis Patribus, qui tam aperte & unanimiter hanc suis scriptis doctrinam consignarunt, ut mirum sit Erasmo, cæteroquin Catholico & in eorum lectione versatissimo, istud hæreticorum commentum placuisse.

Ac 1. quidem istud colligitur ex S. Justino qui dialogo cum Tryphone queritur inter alia quæ de Christo intelligenda putat, ab Judæis abrasum hoc Jeremiæ Prophetæ testimonium, *Recordatus est Dominus Deus ex Israele mortuorum, qui dormierunt in terra aggeris, & descendit ad ipsos, ut evangelizaret eis salutare suum.* Igitur ex Justini sententia Christus post mortem descendit ad inferos.

Clarius longe hoc ipsum docet S. Irenæus, tum lib. 4. cap. 45. his verbis, *Eapropter Dominum in ea quæ sunt sub terra descendisse, evangelizantem & illis adventum suum, remissam peccatorum existentem his qui credunt in eum; crediderunt autem in eum omnes qui sperabant in eum, id est qui adventum ejus prænuntiaverunt, & dispositionibus ejus servierunt Justi, & Prophetæ, & Patriarchæ.* Tum vero lib. 5. cap. 31. *Nunc*

Et in lib. 2. de fide resurrectionis, *Sibi autem ubi erat necessaria resurrectio, quem mortis vincula non tenebant? nam etsi secundum hominem mortuus, in ipsis tamen erat liber infernis... & bene liber qui alios descenderat redempturus;* quod idem scribit lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 5. his verbis: *Nam cum esset unctus a Joseph, & in ejus monumento sepultus, novo opere quodam ipse defunctus defunctorum sepulcra reserabat, & corpus quidem ejus jacebat in tumulo, ipse autem inter mortuos liber remissionem in inferno positis, soluta mortis lege, donabat.* Hoc testimonio nihil clarius desiderari potest.

Omnium vero disertissime S. August. ut perspicuum maxime est in Epistola nunc 164. alias 99. ubi sic loquitur: *Et Dominum quidem carne mortificatum venisse in infernum satis constat. Neque enim contradici potest vel prophetiæ quæ dixit, Quoniam non derelinques animam meam in inferno, quod ne aliter quisquam sapere auderet, in Actibus Apostolorum idem Petrus exponit, vel ejusdem Petri illis verbis, quibus eum asserit solvisse inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri. Quis ergo nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?* Et postea, *Quamobrem teneamus firmissime quod fides habet fundatissima autoritate firmata, quia Christus mortuus est secundum Scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, & cætera quæ de illo testatissima veritate conscripta sunt. In quibus etiam hoc est quod apud inferos fuit.* Eamdem doctrinam tradit lib. duodecimo de Genesi ad litteram c. 33. Epistola 187. c. 3. & Comment. in Psal. 85. n. 17.

Astipulatur & S. Hieronymus Commentario in c. 4. Epistolæ ad Ephesios, *Necnon & illud*, inquit, *pariter retractandum, quomodo ipsa descensio & ascensio sentienda sit. Utrumnam secundum corpus localiter, an supra corpus spiritaliter, vel certe utroque modo. Inferiora autem terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster Salvator descendit, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cœlos victor abduceret.* Et in Epistola ad Algasiam cap. 1. *Quod autem dicit, Tu es qui venturus, an alium expectamus? hunc quoque sensum habere potest. Scio quod ipse sis, qui tollere venisti peccata mundi, sed quia ad inferos descensurus sum, etiam hoc interrogo, utrum & illuc ipse descendas.*

Item Fulgentius l. 3. ad Trasimundum cap. 20. *Restabat*, inquit, *ad plenum nostræ redemptionis effectum, ut illuc usque homo sine peccato susceptus descenderet, quousque homo separatus a Deo peccati merito cecidisset, id est ad infernum, ubi solebat peccatoris anima torqueri, & ad sepulcrum, ubi consueverat peccatoris caro corrumpi, sic tamen ut nec Christi caro in sepulcro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur.*

Cassianus lib. 3. de Institutis Cœnobiorum c. 3. idcirco in Ecclesia horam nonam celebrari, quia Christus, inquit, *hora nona inferna penetrans inextricabiles tartari tenebras coruscatione sui splendoris extinxit, portasque ejus æreas effringens, ac seras ferreas conterens, captivitatem Sanctorum, quæ clausa tenebris immitis tenebatur inferni, salubriter captam transvexit secum ad cœlos, igneaque romphea summota antiquum incolam paradiso pia confessione restituit.*

Quibus demum subjungimus sanctum Gregorium Magnum, qui lib. 12. Moralium cap. 7. hæc habet: *Qui tamen*, inquit, *iste furor Dei, quantum ad electorum animas in Redemptoris nostri adventu pertransiit, quia eos ab inferni claustris ad Paradisi gaudia Mediator Dei & hominum, dum ipse illuc pie descenderet, reduxit.* Vide etiam, si libuerit, librum 13. cap. 15. & lib. 1. in Ezechielem homil. 1. tum vero alios

omnes

omnes Latinos Scriptores, Prudentium in hymno nono, Gaudentium Brixianum in tractatu decimo, Sanctum Leonem Papam in Epiſtola ad Turibium c. 17. Ferrandum Diaconum in Epiſtola ad Severum, Fauſtum Regienſem in lib. de ratione fidei, Iſidorum Hiſpalenſem lib. 1. Sent. cap. 16. Eccleſiam Lugdunenſem libro de tenenda veritate Scripturæ, & Rupertum lib. 12. de victoria Verbi Dei cap. 12. quorum nomina appellare ſatis ſit, ne lectoribus moleſtus ſim, ſi illorum teſtimonia velim integra exſcribere.

Probatur inſuper hæc doctrina ex Symbolo Apoſtolorum, quod præcipuos fidei noſtræ articulos complectitur; ibi quippe habetur, *Crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferos*. Unde mirum neutiquam videri debet, quod confidenter affirmaverit Auguſtinus loco ſupra citato, neminem, niſi ſit infidelis, negare poſſe hanc Chriſti ad inferos deſcenſionem.

Objiciunt Heterodoxi non multum roboris eſſe in hoc noſtro argumento, quia recens inſertus fuit Symbolo articulus iſte, *Deſcendit ad inferos*. Idque probant 1. quia reipſa, ut ait Wendelinus exercitatione 65. non habent articulum hunc Concilia Nicænum, Sardicenſe, Syrmienſe, Romanum III. Conſtantinopolitanum œcumenicum, Toletanum I. Toletanum VI. Toletanum XI. Epheſinum, Mediolanenſe, Francofortanum, Wormatienſe; neque extat in Symbolo Chariſii, quod legitur in Chalcedonenſi.

2. Inquit idem Calviniſta, hujus articuli mentionem non faciunt Clemens in Conſtitutionibus Apoſtolicis, Irenæus in repetitione Symb. Apoſtolici lib. 1. adverſus hæreſes cap. 2. Sanctus Auguſtinus lib. de Symbolo ad Cathecumenos; Cyrillus Alex. in Epiſt. ad Neſtorium, ubi Apoſtolicam fidem Occidenti & Orienti probatam reperit, non Epiphanius hæreſ. 31. 72. 73. ubi Symbolum recitat.

3. Id confirmant ex teſtimonio Rufini, qui expoſitione in Symbolum Apoſtolorum ſcribit hunc articulum non reperiri in Symbolo Eccleſiæ Romanæ, neque in Orientali Eccleſia: *Sciendum ſane*, inquit, *quod in Eccleſiæ Romanæ Symbolo non habetur additum, Deſcendit ad inferna, ſed neque in Orientis Eccleſiis habetur hic ſermo*.

Verum meo quidem judicio nihil omnino efficiunt iſthæc argumenta.

Quoad primum ſpectat, fatebor lubens in nonnullis antiquioribus Symbolis, vel etiam in Nicæno & Conſtantinopolitano, non reperiri verbis expreſſis articulum hunc *deſcendit ad inferos*, ſed non inde ſequitur eumdem tunc non extitiſſe in Symbolo Apoſtolorum, quia nimirum, ut recte obſervat Eſtius, hoc antiquis Conciliorum Patribus propoſitum fuit, non omnia Chriſtianæ fidei capita ſuis ſymbolis complecti, ſed ea ſolum de quibus excitata tunc temporis erat controverſia, unde de ſepultura Chriſti nulla quoque mentio facta eſt in Symbolo Nicæno, uti nec in Symbolo quod dicitur ſancti Athanaſii.

Adde quod idem articulus legitur in actibus plurimorum Concilior. Epheſini, Toletani 4. &c. idemque clare aſſeritur ex unanimi conſenſu ſanctorum Patrum, ut ex dictis perſpicuum eſt.

Atque hoc pacto ſolvitur ſecundum momentum quod adducitur, petitum nempe ex ſilentio quorumdam Patrum, qui Symbolum Apoſtolorum referunt, & ſuis commentariis illuſtrant, nulla mentione facta iſtius articuli. Solummodo probat illum non extitiſſe in omnibus & ſingulis Symbolis, quæ præ manibus habebant illi Patres; at certe omnibus perſuaſum eſſe debet ipſos ſanctos Doctores hujus articuli doctrinam fuiſſe profeſſos, uti conſtat ex adductis probationibus; nam v.g. S. Aug. illum

affe-

asserit tanquam fide & fundatissima autoritate confirmatum, neminem nisi infidelem, negare Christum fuisse apud inferos.

Quantum ad testimonium Rufini, in quo potissimum nituntur Calvinistæ, dico ex illo ipso Rufino constare, in multis & quidem antiquis Symbolis contentum fuisse articulum hunc *descendit ad inferos;* extitit enim in isto symbolo quod exponebat Rufinus, eratque Ecclesiæ Aquilejensis; monet enim duntaxat Rufinus, *neque in Romanæ Ecclesiæ Symbolo*, *neque in Orientis Ecclesiis* haberi præfatum articulum. At vero doctrinam de Christi descensione ad inferos agnovit Rufinus, ait enim verbis immediate sequentibus, *Vis tamen Verbi eadem videtur esse in eo quod sepultus dicitur*. Et postea ibidem, *Sed & ipse Dominus per Prophetam dicit*, *tanquam de futuro: Quia non derelinques animam meam in inferno*, *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem ; quod rursus nihilominus prophetice ostendit impletum*, *cum dicit; Domine*, *eduxisti ab inferno animam meam*.

An Christus sit Caput hominum & Angelorum?

COnstat apud omnes Christum Dominum esse caput hominum, id enim disertis verbis nec semel docet Apostolus 1. Corint. 11. *Omnis viri caput Christus*, *caput autem mulieris vir*, *caput vero Christi Deus*. Ad Ephes. c. 1. *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, *quæ est corpus ipsius*, & c. 4. *Crescamus in illo per omnia*, *qui est caput Christus*, *ex quo totum corpus compactum*. Ad Coloss. cap. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ qui est principium*, *primogenitus ex mortuis*, *ut sit in omnibus ipse primatum tenens*.

Et ratio est quia tria potissimum capitis titulus & dignitas secum trahunt. Primum est, si res illa quæ dicitur caput, cum corporis membris intimam habeat conjunctionem. Secundum est, eminentia & dignitas, qua membris antecellat, ea regat ac moderetur. Tertium est, communicatio virtutis ad agendum; virtus enim capitis per universa membra diffundi debet: atqui tria hæc occurrunt in Christo in ordine ad fideles, ex quibus componitur Ecclesia: ac primo quidem Christi capitis cum corpore mystico, seu Ecclesia conjunctio; ut enim docet sanctus Paulus ad Rom. 12. Christus cum corpore unum efficit: *Sicut enim*, inquit, *in uno corpore multa membra habemus*, *omnia autem membra non eumdem actum habent*, *ita multi unum corpus sumus in Christo*, hoc est in Ecclesia, ut exponunt Sanctus August. in Psal. 127. & 142. & S. Fulg. lib. 2. ad Mon. c. 9. Secundo, Christus eminentia & dignitate hominibus antecellit, quos nempe peculiari cura regit & gubernat, & quorum est Salvator, Redemptor & Judex, uti supra ostendimus. Tertio demum, ex illo ut fonte in singula membra profunduntur cœlestia gratiæ dona; nulla siquidem gratia, quamlibet tenuis, per aliam quam per Christum in homines derivatur: ergo Christus jure dicitur caput hominum.

Sed major exoritur difficultas, an Christus dici quoque possit caput Angelorum, Christus, inquam, non modo ut Deus; sic enim dubio procul est supra omnem potestatem & principatum, sed etiam quatenus homo.

Respondeo affirmative; idipsum enim communiter docent Theologi nonnullis ducti Scripturæ testimoniis, quæ Christum Angelorum caput constituere videntur, modo ad examen rigidioris scholasticæ non revocetur nomen *capitis:* id insinuabat ipse Christus his verbis Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. Longe vero clarius docet Apostolus ad Ephes. cap. 1. *Quam operatus est*, inquit, *in Christo suscitans* il-

illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & denominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus, quod idem habet diserte divus Petrus 1. Epist. c. 3. *Jesu Christi*, inquit, *qui est in dextera Dei deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis & potestatibus, & virtutibus.*

Quibus consonat communis sanctorum Patrum doctrina.

S. Hieron. in c. 1. Epist. ad Ephes. his verbis Apostoli, *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*, ait, *non solum hominum, sed etiam Angelorum, cunctarumque virtutum, & rationalium creaturarum Ecclesiam intelligi posse.*

S. Ambros. idem testatur in Epist. ad Irenæum, *In quo*, inquit, *non solum sanctorum hominum, sed omnium credentium, omnium etiam superiorum rationabilium virtutum ac potestatum connexionem, fidei spiritusque accipiendum arbitror... Non est ergo dubitandum cœlestium potestatum adhæsura ad hoc templum ædificandum consortia.*

Sic & S. Chrysost. Homil. in Epist. ad Ephes. *Omnibus*, inquit, *unum posuit caput Christum Angelis & hominibus, sed hominibus secundum carnem, Angelis vero quatenus est Deus Verbum.*

Quibus affine est quod scribit Theodoretus ad eadem Apostoli verba, *Qui nostrum quidem caput est*, inquit, *secundum humanitatem, Angelorum vero & Archangelorum secundum divinam naturam Dominus est: ibi enim caput pro principatu posuit:* quod idem docent Æcumenius in cap. 2. ad Coloss. Theophilactus ad eundem locum, & ante illos Cyrillus Alex. lib. 9. de adoratione in spiritu.

Objiciunt nonnulli: Is non fuit Angelorum caput, de cujus plenitudine nulla in Angelos profluxit gratia, nullum donum; est enim istud *capitis* insigne, quod ab eo in membra corporis eorumque emolumentum derivet peculiaris quædam vis & efficacia: atqui nulla gratia a Christo ad Angelos dimanavit; suam enim sanctitatem & perseverantiam ex sola Dei creatoris liberalitate, non ex meritis Christi redemptoris acceperunt: ergo Christus non est caput Angelorum.

Dist. maj. non fuit Angelorum caput simpliciter, & quoad singula *capitis* insignia, C. secundum quid, & quoad aliqua *capitis* insignia, N. Igitur Angelorum caput esse Christum contendimus, eo sensu tantum quod Angelos habuerit, atque etiamnum habeat sibi subjectos; vel etiam eo sensu quod ad Ecclesiam, cujus Christus dux est & rector, quodammodo pertineant Angeli, quorum proinde est caput dignitate, præeminentia & regimine, ut ostendunt mox citata Scripturæ & Patrum testimonia; sed non dicimus Angelorum caput esse Christum per liberalem gratiæ, sanctitatis & perseverantiæ largitionem; siquidem ultro fatemur non ex meritis Christi sanctitatem & perseverantiam adeptos esse Angelos.

Hinc notandus graviter damnandusque venit Origenes, qui eo usque erravit, ut Christum affirmaret non solum pro hominibus passum esse, sed pro Angelis, quod docuit Commentario in Joan. & in Epistolam ad Romanos; quem errorem pauci admodum in tota retro antiquitate amplexi sunt. *Non enim*, inquit August. Enchir. c. 61. *pro Angelis mortuus est Christus; sed ideo etiam pro Angelis fit quicquid hominum per ejus mortem redimitur & liberatur a malo: quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines & sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur: propter quod ait Apostolus instaurari omnia in Christo quæ in cœlis sunt & quæ in terris.*

Atque hinc etiam eorum refellitur Theologorum opinio, qui Christum existimant meritis suis salutem Angelorum acquisivisse; ita ut ejus beneficio gratiam qua steterunt, & perseverantiam obtinuerunt; cum enim Scripturæ causam inquirunt, & finem cujus gratia carnem suscepit Dei Filius, hominum salutem memorant, neutiquam Angelorum. *Decebat enim*, inquit divus Paulus ad Hebr. cap. 2. *eum propter quem & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduceret, autorem salutis eorum per passionem consummare; qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex uno omnes... nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Ubi aperte negatur Christum esse autorem salutis Angelorum; atque adeo eos suam per Christum adeptos gratiam & sanctitatem: cui sententiæ facile consentiunt omnes græci latinive Patres, quorum plurima jam adduximus loca, ubi Christum ostendimus non venturum fuisse, si homo non peccasset.

An Christus ut homo sit adorandus?

Adoratio hic sumitur stricte pro eo cultu qui soli Deo debetur propter summam excellentiam, infinitàmque merendi vim quæ in eo est, & cultus latriæ dicitur a Latinis. Quanquam enim latius nonnunquam pateat ea vox, & ad honorem hominibus vel Angelis reddendum adhibeatur, tamen ad Deum magis proprie restringitur, ut cum dicitur Matth. 4. cap. *Dominum Deum tuum adorabis; & illi soli servies*, quod & Patres imitati plerumque, & jam communiter sequuntur omnes Theologi.

Christum adorandum esse ut Deum, nemo catholicus inficiari potest; sed difficultas est, an eodem cultu latriæ afficì debeat quatenus homo; aut potius utrum ita dividi cultum Christi oporteat, ut vera adoratione ejus prosequamur divinitatem, nonnisi autem honore quodam humana afficiatur natura: qua in re haud una fuit omnium opinio.

Ac primo quidem carpere merito possumus Apollinaristas, aliosque Synusiastas, qui revera Christum totum contendebant unica adoratione proprie dicta colendum, sed falso ducti principio; siquidem unam in eo admittebant naturam; quapropter Catholicos incessebant, quos probrose nominabant *Hominicolas*, eo quod naturam humanam in Christo pari cultu ac divinitatem Verbi prosequerentur, ut testatur S. Gregorius Nazianzenus orat. 25.

Sequitur Nestorius, qui simul adorandam cum Verbo carnem Christi asserebat, sed qui hac in parte fucum faciebat, adorationem soli divinitati proprie & directe imputans, homini vero nonnisi quemdam relativum cultum, sicut valde diversus est cultus qui Regi cuipiam, ab eo qui ejus vestimento impenditur.

Christi humanam naturam etiam Verbo unitam non latriæ cultu, sed inferiori dignam docuit Rabanus Maurus teste Alensi 3. part. quæst. 30. qui quidem error ipsi placuit Alensi & Gabrieli; quod idem quoque sensit Joannes Wiclefus, ut refert Thomas Waldensis tom. 1. doct. fid. lib. 1. art. 3. cap. 44. ac fere omnes & Calvinistæ & Lutherani.

Si fides adhibeatur Gaufredo Claræ-vallensi Monacho, S. Bernardi discipulo, Gilbertus Porretanus, Pictaviensis Episcopus, carnem Christi non existimavit eadem cum Deo adoratione afficiendam, sed media quadam inter eam quæ Deo soli, & quæ rebus creatis impenditur. Id refert Gaufredus in Epistola ad Cardinalem Albanensem ex ipsius Gilberti scholiis in Psal. 98. *In libro*, inquit, *glossarum Psalterii quas idem Gilbertus Porretanus composuit super versum, Adorate*

tate scabellum pedum ejus, ita scriptum inveni, caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit Christus. Hæc sine impietate adoratur a nobis, quia nemo carnem ejus spiritualiter manducat, nisi prius adoretur. Hus usque verba Augustini, quibus continuo addit Gilbertus declarationem, quod est additamentum eorum. *Non illam dico adorationem quæ latria est, quæ soli creatori debetur; sed illam quæ dulia dignior est, quæ etiam creaturæ exhibetur, quæ duas habet species, unam quæ hominibus indifferenter, alteram quæ soli humanitati Christi exhibetur.* Hunc Monachum, aliunde tamen non parum Gilberto infensum, imposturæ nolim insimulare; veruntamen testatur Petavius lib. de Incarn. 15. cap. 3. se legisse librum istum Gilberti manu exaratum in Bibliotheca Victorina, in quo quæ Gaufredus refert minime continentur: isque præterea glossam Gilberti describit, quæ ex omni parte catholica est.

Mirum vero quod super ista re nonnulli ex impio Socinianorum grege docuerint Christum, tametsi verum hominem & Prophetam, non Deum, divinis tamen honoribus esse afficiendum, in quo quidem ab aliis ejusdem sectæ patronis culpantur; quid nos super ea re sentiamus, nunc aperiendum.

CONCLUSIO.

Eadem unica adoratione humana Christi natura cum Verbi divinitate colenda est.

Probatur 1. ex Script. Matth. 2. cap. Christum adhuc puerum recens natum adorarunt Magi: *Et procidentes adoraverunt eum*. Joan. 9. Cæcus a nativitate a Christo sanatus eidem sciscitanti, *Tu credis in Filium Dei?* Respondit, *Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus, Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. Et ille ait, Credo, Domine; & procidens adoravit eum*. In utroque loco de Christo agitur ut homo est, ut nempe oculis conspiciebatur, ut infans, ut loquebatur.

Deinde Apostolus ita scribit Epist. ad Philipp. cap. 2. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum*, hoc est, ut genu flexo hunc Deum hominem exinanitum adorarent. Sed insignis est ejusdem locus in primo c. Epist. ad Hebr. his verbis, *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*, ut primogenitus est scilicet omnis creaturæ, adeoque ut homo.

Probatur 2. ex sanctis Patribus.

Ordior a sancto Athanasio in Epist. ad Adelphium hæc scribente: *Nos*, inquit, *creaturam non adoramus, absit; Gentilium enim & Arianorum ejusmodi est error: sed Dominum creaturæ incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro per sese pars est creaturarum, tamen Dei corpus est facta; ac neque corpus ejusmodi per se dividentes per Verbum adoramus, neque Verbum adorare volentes ipsum longe a carne disjungimus*. Ubi ait Christi corpus, *quod indumentum Verbi fuit, adorabile esse*.

Sequitur S. Epiphanius, qui in Ancorato, corpus Christi adorandum esse dedita opera contendit. *Etenim*, inquit, *purpura indutus Imperator adoratur. Utrumnam igitur purpura, an Imperator adoratur? perspicuum est ipsum adorari Imperatorem, cum eo vero adoratur ea quæ gestatur purpura.... sic igitur nemo Unigenito dixerit, Depone corpus ut adorem te. Quin potius ipsum adorat cum corpore Unigenitum increatum cum templo sancto, quod veniens assumpsit*. Hic censet perinde carnem Christi cum Verbo adorandam, quia nempe caro Verbi est quod per se adorari debet.

Idem testatur S. Greg. Nazianz. in priore ad Cledonium Epistola, ubi adversus Apollinaristas agens, *anathema dicit ei qui crucificum non adorat, & in eorum numero reponit, qui Deum occiderunt.*

Præterea id ipsum diserte docet S. Ambros. in lib. 3. de Spiritu sancto c. 12. *Itaque*, inquit, *per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterio adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt. Neque enim divisus Christus sed unus, neque cum adoraretur, tanquam Dei Filius, natus ex Virgine negabatur. Cum igitur Incarnationis adorandum sit Sacramentum, Incarnatio autem opus Spiritus sit.... haud dubie etiam sanctus Spiritus adorandus est, quando adoratur ille qui secundum carnem natus ex Spiritu est.*

Omnium vero disertissime S. August. in Psal. 98. his verbis: *Exponens autem mihi quid sit scabellum pedum ejus, dicit: Terra autem scabellum pedum meorum; anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum ejus; Scriptura, Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit; inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

Mox vero non semel id docet Cyrillus Alex. in Nestorium, scilicet in epistola secunda ad ipsum, in epistola ad Monachos Ægypti, in Scholiis de Incarnat. Unigeniti cap. 20. & in Paschali homil. 8. quibus & ultro consenserunt Orientales quos impugnabat anathematismo octavo, dum dicunt, *Non se coadorari vel hominem Deo, tanquam duæ sint personæ & hypostases, aut tanquam duo intelligendi sint filii, neque aliter adorationem carni, aliter Deo Verbo adhibendam putare, quin potius unam adorationem ac cætera*, inquiunt, *veluti uni Filio deferimus.*

Joannes insuper Damascenus l. 3. de fide cap. 8. *Unus igitur*, inquit, *Christus est Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum Patre ac Spiritu unica adoratione cum ejus immaculata carne, nequaquam carni ipsius adorationem denegantes. Adoratur enim in una Verbi hypostasi, quæ hypostasis ei facta est. Neque tamen hoc agentes, creaturæ servimus; non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam.* Quod idem plane habet lib. 4. cap. 3. Quibus accedunt Hildephonsus Toletanus Episcopus in libro de Virginitate sanctæ Mariæ, Rufinus Diaconus in libro contra Acephalos, & alii passim.

Probatur 3. ex Decretis Synodalibus, & quidem ex Synodo Alexand. Præside Cyrillo rem ita definiente in octavo Capitulo: *Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo, oportere & conglorificari, tanquam alterum cum altero; nam particula cum addita hoc cogit intelligi, & non magis una reverantia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.* Quod Synodi Alexandrinæ decretum in sua fidei definitione solemniter approbavit Chalcedonense Concilium; tum quinta Synodus generalis canone nono, itidemque Lateranensis Synodus sub Martino I.

Probatur demum & ratione; siquidem honor seu cultus respicit personam,

adeo

adeo ut partes quæ totum seu suppositum componunt, eodem cultu & honore affici debeant ac ipsum totum, quoadusque nimirum sint a se invicem separatæ, nec amplius ut partes ad illud totum seu suppositum pertineant; quis enim eodem cultu non venerabitur animam vel corpus Regis, quo & ipsum colit Regem? atqui natura humana in Christo est pars Verbi incarnati, naturam humanam ut suam & propriam naturam sibi vindicat Verbum; quandoquidem Verbum caro factum est non accidentali quadam & morali unione, quomodo corpus unitur indumento, sed naturali & substantiva, sicut corpori unitur anima in homine: ergo unica eademque adoratione *latriæ*, humana Christi natura debet affici ac ipsum Dei Verbum.

Objicies. Adoratio soli Deo competit, sola divinitas est adoranda, nihil creatum adorari potest: atqui Christus quatenus homo non est Deus, est quidem Deus & homo, sed quatenus homo non est Deus; ergo Christus quatenus homo, non est adorandus proprie. Quamobrem Christus simpliciter & absolute spectatus, est quidem cultu latriæ donandus, quia Christus simpliciter loquendo Deus est, non autem Christus quatenus homo; ejusmodi enim scilicet reduplicatio explicata per *quatenus*, efficit ut subjectum propositionis sit determinate natura humana, cui proinde tribuitur adoratio in illa propositione: atqui adoratio determinate tribui non potest naturæ humanæ; nam id solum adorari debet quod est summe excellens, quod est primum & summum; quod enim minus est & inferius, minori quoque & inferiori cultu affici debet: atqui natura humana ut talis Deo longe minor est & inferior, ipsius divinitatis summam non habet excellentiam: ergo ipsa ut talis cultu *latriæ* affici non debet.

Dist. maj. Adoratio soli Deo competit, sola divinitas est adoranda primario & per se, C. simpliciter & absolute, N. revera soli divinitati competit adoratio, qua nempe propter seipsam & primario ordinetur; ea enim sola per se summam habet illam excellentiam, cui respondet adoratio proprie dicta, seu cultus latriæ; sed & aliud eodem plane cultu affici posse facile intelligitur, si nempe per unionem naturalem & physicam unum quid in ratione suppositi cum Deo ipso evaserit; tunc enim idem ipsi debetur honos ac Deo, cujus est pars & natura. Porro natura humana in Christo beneficio unionis hypostaticæ, quæ naturalis est & substantiva, non affectiva & moralis, evasit unum quid in ratione suppositi cum Verbo Dei, facta est natura propria Verbi, pars Verbi incarnati: ergo & ipsa cultu latriæ coli debet, non quidem per se, propter se, & præcise; secus enim res se haberet, si a Verbo sejuncta foret, sed propter divinitatem, & prout per Verbum subsistens.

Quod autem subjungitur in objectione proposita, adorationem cadere in naturam humanam, quando Christus adorari dicitur quatenus homo, propter reduplicationem significatam per *quatenus*, quod valde absurdum est.

Respondeo ad hujusce difficultatis enodationem duo hic esse summopere distinguenda, objectum scilicet adorationis, & causa propter quam illud objectum adoratione donatur. Revera Christus, quatenus homo, non est adorandus, si propter illam reduplicationem, *quatenus homo*, intelligatur naturam humanam per suam propriam excellentiam esse adorandam; vel esse rationem formalem propter quam adoratur Christus; recte vero dicitur adorandus etiam ut homo, eo sensu quod natura humana sit quoque objectum adorationis, ejusdemque qua & ipsa colitur deitas; cum hoc tamen discrimine quod majestas

ftas quæ ineft divinitati, ipfam efficiat neceffario & effentialiter adorabilem; natura vero humana Chrifti, nonnifi per accidens, & propter fuam cum divinitate conjunctionem, adorari debeat.

Atque nihil hic argutari attinet dicendo, ejufcemodi reduplicationem, *quatenus homo*, poftulare, ut natura humana fit per fefe primarium adorationis objectum; ficut cum dicitur Chriftus paffus quatenus homo, fignificatur primarium doloris fubjectum effe naturam humanam: fiquidem profitemur non alium effe præfatæ propofitionis fenfum, quam ut fignificetur humanam in Chrifto naturam effe objectum adorationis ejufdem qua & ipfum afficitur Dei Verbum; ita ut unus, non duplex cultus, toti Chrifto impendatur; nos enim cum fanctis Patribus & Conciliis unicam latriæ adorationem toti Chrifto afcribentibus, loqui amamus.

Inftabis: Si natura humana cultu divino latriæ afficeretur propter fuam cum Verbo habitudinem, eadem plane ratione coli debent mater, crux, & imago Dei; non quidem propter fe, fed propter habitudinem quam habent cum Deo; abfurdum confequens, ergo & antecedens. Quapropter honor latriæ debetur foli Deo, cæteris vero quæ cum Deo habent aliquam affinitatem, nonnifi inferior debetur cultus.

Nego ant. eft enim latum difcrimen inter matrem Dei, crucem ejus, & imaginem, quæ nonnifi extrinfecam quamdam cum Deo habeat relationem, & naturam humanam quæ in Chrifto pars eft Verbi incarnati, propria ejus natura: quando autem fuppofitum per fe honoratur, per accidens fimul tamen, & eodem cultu honoratur quidquid pertinet ad illud fuppofitum.

De Imaginibus.

OCcafione difputationis quam de humanæ Chrifti naturæ adoratione inftituimus, nafcitur alia perdifficilis, multumque propter rerum dicendarum multitudinem falebrofa quæftio de cultu fcilicet Imaginum, cui quidem difquifitioni alias adjungemus, nimirum de adoratione fanctæ Crucis; eam vero præfenti loco tractamus plerorumque Theologorum methodo fervientes, ac poftea de cultu Sanctorum, tum & de Reliquiarum veneratione.

De cultu Imaginum.

INter eos qui Imaginibus bellum indixere, primi appellari poffunt Judæi, qui propria lege ufi, omnem prorfus exterminarunt imaginem; atque inter Chriftianos Marcionitæ, Manichæi, ac Phantafiaftæ, quos inter Iconomachos enumerat Tharafius act. 5. feptimæ Synodi generalis, huncque fortaffis errorem amplexi funt, quia Chriftum, cujus potiffimum refpuebant imaginem, vero carere putabant corpore.

Idem & aufus eft Xenaias quidam genere Perfa, conditione fervus, qui a domino profugus, a Petro Gnaphæo inter Eutychianos antefignano, Hieropolitanus Epifcopus creatus eft circa annum 485. Is autem omnem Chrifti & Angelorum fuftulit imaginem, ut referunt Tharafius act. 1. Concilii feptimi pag. 78. Theodorus Lector de Ecclefiaftica Hiftoria act. 5. pag. 367. citatus Theophanes, & ex eo Cedrenus & Anaftafius Biblioth. ad an. Zenonis 16.

Dehinc fuam in facras imagines impietatem prodidit anno 723. Jefidus Arabum Princeps, agens ex molitionibus cujufdam infignis præftigiatoris Hebræi, ei diuturnum pollicentis imperium, modo imagines ex omnibus Chriftianorum templis exturbaret, qui tamen eodem

anno

anno ſublatus eſt. Hoc perverſum impietatis exemplum ſecutus eſt Theophilus Natholiæ in Phrygia Epiſcopus, ut videre eſt in actione quarta ſeptimæ Synodi.

Omnium vero Iconoclaſtarum facile princeps dubio procul fuit Leo Iſauricus obſcuro genere natus, uti Theophanes, Cedrenus & alii complures teſtantur, promoventibus etiam Judæis Imperator factus, publicum de evertendis imaginibus Edictum publicavit anno 726. Hinc magna in populo excitata ſeditio; quoad potuit, ſed incaſſum interceſſit in Oriente Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, tum & in Occidente Gregorius II. qui cum Leonem ab hac impietate litteris ad eum datis avocare non potuiſſet, Concilium coegit Romæ, in quo tam illum quam alios eadem inſania captos anathemati ſubjecit, ut denarrant Adrianus I. in Epiſt. 1. ad Carolum Magnum, Cedrenus & Zonaras; quod idem præſtitit Gregorius III. deceſſori virtutibus & pietatis zelo par; is enim & ad Imperatorem ſcripſit & Romæ Concilium habuit trium ſupra nonaginta Epiſcoporum, in quo *extorris ab Eccleſia declaratur, qui antiquæ conſuetudinis & Apoſtolicæ Eccleſiæ fidelem uſum contemnens, adverſus venerationem ſacrarum imaginum depoſitor atque deſtructor & prophanator, vel blaſphemus extiterit.* Quibus adjunxit ſeſe S. Joannes Damaſcenus, qui tunc Damaſci Præfectus pro cultu ſacrarum imaginum fortiter dimicavit.

Leoni Imperatori vita functo an. 741. ſucceſſit ejus filius Conſtantinus Copronymus, qui paternæ impietatis hæres fœdiſſimus, anno 754. Concilium coegit Conſtantinopoli trecentorum triginta & octo Epiſcoporum, quo videretur ab omnibus ſacras imagines publico Eccleſiæ decreto aboleviſſe. Eos inter Iconomachos non aderat ullus patriarchalium ſedium Epiſcopus. Exinde Imperator, legatos ad Pipinum Galliarum Regem miſit, ut eum in ſuæ perfidiæ ſocietatem pertraheret, ſed & otioſe quidem; Pipinus enim Concilium Gentiliaci haud procul Lutetia an. 754. celebrari juſſit, ut memorant Eginhardus in Chronico, Ado Viennenſis, Rhegino, Aimoinus libro 4. capite 37. & Annales Bertiniani; ibi vero Græci Oratores Cæſarem ſuum admonere juſſi ſunt, ut cum cæteris pie ſentiret, ut ſcribit Æmilius ex antiquioribus hiſtoricis apud Cointium ad præfatum annum. Conſtantinum in imperio excepit ejus filius Leo, paulo minus in ſacras imagines furens.

Verum eo demortuo, cum imperaret Conſtantinus cum Irene matre ſua, tum vero Sedem Conſtantinopolitanam occuparet Patriarcha Tharaſius, vir pietate non minus quam eruditione conſpicuus, habita eſt Synodus ſeptima generalis, quæ Conſtantinopoli primum incepta, Nicææ vero demum celebrata fuit anno 787. In ea Synodo decretum eſt ſacras imagines cultu & adoratione afficiendas eſſe, iique omnes anathemate percuſſi, qui eas frangere auderent. Hanc Synodum Adrianus ſummus Pontifex probavit, ejuſdemque acta in linguam latinam verſa miſit in Gallias; ubi cum viderent noſtrates certa venerationis ſigna imaginibus aſcribi ſolito honorificentiora, hiſque in plagis inuſitata, illico reclamarunt adverſus Orientales, Synodumque damnarunt.

Id egit potiſſimum Carolus Magnus celeberrimis quatuor illis libris, qui Carolini dicuntur, quod vel ab ipſo Carolo, vel ejus mandato editi ſunt circa an. 790. Ibi ſingula Nicænæ Synodi acta rigidiori examini ſubjecta acerbe plus ſatis carpuntur. Inſuper anno 794. collecta eſt Synodus Francofurti ad Mænum adverſus Felicem & Elipandum, ut ſupra diximus, ibique acriter condemnati ſunt Patres Nicæni. Quo conſilio id factum ſit & a Carolo Magno

& a

& a Synodo Francofordiensi, suo loco examinabitur.

Quin etiam anno 824. Michael Balbus in Occidente Imperator, legatos misit ad Ludovicum Pium, Caroli Magni filium, tunc regnantem, quibus eum de Orientalis Ecclesiæ super imaginibus dissidio certiorem fecit. Ludovicus, permittente summo Pontifice Eugenio II. conventum Episcoporum haberi curavit Lutetiæ in palatio. Inibi sanctorum Patrum de Imaginibus sententias sedulo collegerunt Gallicani Præsules, quibus ad terminandam controversiam adjuvari possent, atque prædecessorum vestigiis insistentes, Nicænam quoque Synodum damnarunt. Hanc collectionem Romam miserunt ad summum Pontificem cum alia Epistola quam scripserunt ad Græcos, si ita ei videretur, dirigendam; quæ omnia extant nunc compacta in unum volumen, quod nomine Synodi Parisiensis non ita pridem lucem conspexit. Paulatim vero contigit ut Ecclesia Gallicana, una cum Romana Nicænam Synodum amplexa sit, & ad hunc diem in eodem sacrarum imaginum cultu perseveret.

Quanquam eadem Iconomachorum identidem revixit impietas secutis temporibus, puta in Joanne Wiclefo, qui ob id in Concilio Constantiensi sess. 15. proscriptus est, ac postmodum sæculo decimo sexto in Luthero & Calvino eorumque sequacibus, inter quos famosus fuit unus e Ministris Calvinianis Dallæus, qui librum edidit de imaginibus, quem & nos ad perfectam hujusce materiæ tractationem, maxima qua poterimus diligentia oppugnabimus.

Id ut majori cum luce præstemus, duo circa imagines magnopere sunt distinguenda, usus nempe & cultus. Usus in eo consistit, quod imagines asserventur, & in Ecclesiis collocentur sine ullo cultu, quo plane modo in ædibus nostris flores, urbes, & animalia habemus depicta; quæ tamen nullo cultu & honore prosequimur. Cultus vero supra usum addit, quod illæ imagines aliqua honoris significatione donentur: de utroque igitur seorsim nobis agendum est.

De usu Imaginum.

USum imaginum non esse ad fovendam catholicam fidem absolute necessarium, & ad meram disciplinam pertinere; ita ut, etiamsi in toto orbe terrarum nulla esset imago, nullum inde fidei nostræ afferretur præjudicium, abunde constabit ex iis quæ modo statuemus de varia Ecclesiarum consuetudine pro temporum aut locorum diversitate: scilicet hæc verissima esse puto.

Primo, rarum admodum & valde infrequentem fuisse usum imaginum in tribus prioribus Ecclesiæ sæculis.

Secundo, istum morem imagines exponendi in Templis, satis usitatum fuisse quarto sæculo & sequentibus.

Tertio, hunc usum non simul fuisse usurpatum in omnibus Ecclesiis & locis; sed alibi citius, alibi tardius, nec eodem modo ubique introductum; quæ quidem sigillatim ac veluti historice ante discutienda sunt, quam de earumdem cultu imaginum quicquam dicamus: itaque sit

Prima Conclusio.

Rarus admodum & infrequens fuit imaginum usus in tribus primis Ecclesiæ sæculis, idque ex iis momentis aperte demonstratur, quæ adduxit Dallæus adversus cultum imaginum.

Prima ratio est, quia Christiani illorum temporum Doctores Ethnicis, quibuscum de religione disputant, imaginum & statuarum cultum passim exprobrant, & tanquam immanis stultitiæ plenum exagitant. Sic Tertullianus Apologet. cap. 12. Ethnicos insectatur quod simulacra colant; *Quæ*, inquit, *soro-*

sorores sunt vasculorum, instrumentorumque communium .... imagines frigidas, mortuorum suorum simillimas non adoramus, quas milvi, & mures, & araneæ intelligunt. Sic Octavius in dialogo Minucii Felicis Paganos irridet, quod publice colerent imagines, *dum opinio*, inquit, *& mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore præstringitur, argenti nitore & candore eboris hebetatur*. Ita & Lactantius eleganter quidem ac diserte, ut moris est, lib. 2. cap. 2. *Quis igitur*, inquit, *amentia est, aut ea fingere quæ ipsi postmodum timeant, aut timere quæ finxerint;.... Quid sibi templa, quid aræ volunt, quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum aut absentium monumenta sunt?* Cap. 17. *Docui religiones Deorum triplici ratione vanas esse; una, quod simulacra ipsa quæ coluntur, effigies sint hominum mortuorum... altera quod ipsæ imagines sacræ, quibus inanissimi homines serviunt, omni sensu carent, quoniam terra sint*.

Sed quod omnino certissimum est, his dubio procul argumentis usi non fuissent Patres, si tum usitatum fuisset apud Christianos imagines in Templis collocare; eodem enim jure cultum imaginibus delatum Christianis objecissent Pagani.

Neque enim verisimile est quod nonnulli e nostris huic argumento responderunt, ideo veritos non fuisse antiquos Patres, ne in imagines argumentum retorquerent Pagani, quod isti de suis idolis existimaverint ea esse vera numina, veros deos; siquidem etsi ea opinio in rudiorum animis defixa fuisset, tamen apud eruditos qui scripserunt adversus Christianos, eam non invaluisse constat ex ipsorum Ethnicorum testimonio. *Quis enim*, inquit Celsus apud Origenem lib. 7. adversus eundem, *alius est, nisi sit plane fatuus, qui hæc Deos esse putet, non autem Deorum donaria & simulacra?* Idipsum hoc testatur Athenagoras legatione pro Christo. Tum & Arnobius lib. contra gentes, ubi paganum sic inducit loquentem: *Sed erras, & laberis; nam neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias, quibus signa fiunt, eas esse per se Deos & religiosa decernimus numina*.

Quod idem plane profitentur Ethnici apud Lactantium l. 2. c. 2. his verbis: *Non ipsos*, inquiunt, *timemus*, ligna scilicet & marmora, *sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt*; igitur nullus omnino tunc temporis erat imaginum usus apud Christianos.

Secunda ratio est, quia Ethnici nunquam objecerunt Christianis usum imaginum, sicut recte colligitur ex silentio S. Justini, Tertulliani, Origenis, Minutii Felicis & aliorum; id certe non omissuri ad mitigandam saltem suæ in idola superstitionis invidiam; notum est enim omnibus qua diligentia omnes Christianorum ritus exagitare solebant; cujus rei meminit quidam paganus, qui cum Joanne Thessalonicensi disputavit in Synodo 7. actione 5. *Vos ergo*, inquit, *in Ecclesiis imagines non pingitis Sanctis vestris, & adoratis illas? & non solum Sanctis, sed & ipsi Deo vestro? Sic ergo æstima & nos simulacra circumfoventes non ea adorare, sed incorporales virtutes quæ per illa coluntur*.

Tertia ratio est, quia Christianis etiam crimini verterunt Ethnici, quod nullis uterentur imaginibus; sic Cæcilius gentilis apud Minutium, *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra?* Idem queritur Celsus de Christianis apud Originem lib. 8. *Post hæc*, inquit Origenes, *Celsus ait nos ararum, statuarum, templorumque dedicationes fugere*. Et similiter Arnobius lib. 6. contra Gentiles, quæ quidem non fuissent dubio procul conquesti Ethnici, si frequens apud nos fuisset imaginum usus.

Quarta ratio est, quia Judæi primum cum Christianis disputantes, nunquam imaginum cultum objecerunt, ut colligere est ex dialogo S. Justini cum Try-

phone Judæo, & ex libro Tertulliani contra Judæos; quis autem id omissuros fuisse Judæos putaverit, quos nemo nescit implacabiles disciplinæ nostræ hostes, imprimis vero cujuscunque ob expressum suæ legis decretum in sculptilia & imagines.

Quinta demum ratio est, quia nullæ imagines commemorantur apud autores primævæ illius ætatis; seu Ecclesiarum instrumenta & sacram supellectilem accurate describant; seu templorum ab Ethnicis aut Hæreticis factam direptionem recenseant, altum semper apud eos de imaginibus silentium.

Ex iis porro videre est, quam frustra & otiose adversus Ecclesiæ Catholicæ doctrinam præfata hæc momenta obtrudat Dallæus Calvinista; quandoquidem nos & ipsi confitemur cordate nullum fuisse his prioribus Ecclesiæ sæculis, aut certe rarissimum imaginum usum.

Porro rarum diximus fuisse tunc temporis imaginum usum, qui tamen nonnullus fuit, ut gravissimis ostenditur monimentis.

1. Enim Tertullianus circa annum 200. scribens, lib. de Pudicitia, Christum testatur his temporibus sub pastoris habitu pingi solitum, cap. 7. *Procedant*, inquit, *ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Christiano an Ethnico peccatori de restitutione conliniet.* Et cap. 10. *Cui ille, si forte patrocinabitur pastor quem in calice depingis;* hujusmodi enim emblema ex Scripturæ parabola ductum, Christi referebat imaginem, non ficti cujuscunque alterius pastoris, quidquid in contrarium garriat Dallæus: ait enim Tertul. cap. 7. *Sed ovis*, inquit, *proprie Christianus; & grex Domini, Ecclesiæ populus; & pastor bonus, Christus.*

2. Narrat Eusebius lib. 7. hist. c. 18. historiam mulieris a Christo sanatæ, quæ statuam Cæsareæ Philippi in ejus honorem erexerat. *Mulierem illam*, inquit, *sanguinis profluvio laborantem, quam ex sacris Evangeliis discimus a Servatore nostro curatam fuisse, ex hac civitate originem traxisse ferunt, domumque ejus ibidem conspici, & collati in eam a Servatore nostro beneficii illustria extare monumenta. Quippe juxta januam domus illius, ænea mulieris effigies stare dicitur columnæ lapideæ imposita, genibus flexis protensisque manibus, instar supplicantis. Ex adverso autem effigies viri ex eodem metallo conflata, stantis ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis, ad cujus pedes in ipsa basi ignota quædam nasci dicitur planta, quæ ad fimbriam usque æneæ diploidis assurgens, depellendis omnis generis morbis præsentissimum remedium est Hanc statuam Jesu Christi speciem referre ajebant. Mansit porro ad nostra usque tempora, nosque adeo urbem illam ingressi, ipsam conspeximus;* quod idem scribunt Philostorgius lib. 7. cap. 3. Sozomenus l. 5. c. 21. & Nicephorus lib. 6. c. 15. Addit Eusebius ibidem se *Apostolorum Petri ac Pauli, Christique ipsius pictas imagines in tabulis vidisse.*

Neque est quod dicat Dallæus testari Eusebium verbis sequentibus, hoc mulieris factum e gentilium consuetudine originem ducere; ex eo enim inferre licet, Dallæo invito, imagines ubique non fuisse prohibitas; istam enim statuam non improbat Eusebius, & quod longe majus est, Deum ejuscemodi imagines insigni quodam miraculo approbasse.

Secunda Conclusio.

Quarto sæculo, & deinceps usitatior fuit mos apud Christianos imagines exponendi in Templis: idque aperte colligitur

1. Ex Philostorgio jam citato, qui lib. 7. cap. 3. relata illius mulieris historia, quæ in Christi honorem statuam erexerat, addit statuam illam ab ædibus istius mulieris in Diaconicum Ecclesiæ fuisse

fuisse a Christianis translatam, ubi honore afficiebatur.

2. Sozomenus lib. 5. cap. 21. refert hanc Christi statuam, tunc quidem ab Imperatore Juliano confractam fuisse: *Postea vero Christianos collectam in Ecclesia reposuisse, ubi etiamnum*, inquit, *servatur*.

3. Idem ostenditur ex S. Greg. Nyss. qui oratione de Filii & Spiritus sancti deitate, Abrahamici sacrificii depicti meminit; *Sæpenumero*, inquit, *miserabilis hujus rei imaginem in pictura vidi, nec absque lacrymis spectaculum præterii: adeo perspicue & evidenter ars pingendi oculis rem gestam subjecit*. Et orat. in Theodor. martyrem loquens de ornatu & magnificentia templorum, *Ubi & faber*, inquit, *in animalium figuram lignum formavit, & latomus ad argenti levitatem crustas lapideas expolivit; induxit autem etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas & immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeum illum fornacem, beatissimam consummationem Athletæ, certaminum præsidis Christi humanæ formæ effigiem, omnia in tabulis, tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose depingens, certamina atque labores Martyris nobis expressit, ac tanquam pratum amœnum & floridum templum exornavit*.

Sic S. Hieronymus in cap. 4. Jonæ, *Et revera*, inquit, *in ipsis incucurbitis vasculorum, quas vulgo saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrari*, e quibus & ille sibi non suum nomen assumpsit.

Idem docet Ambrosius in Epist. 53. ubi de Sancti Gervasio & Protasio sibi per visum oblatis sic loquitur: *Cum quadam mihi tertia apparuerunt persona, quæ similis esse B. Paulo Apostolo videbatur, cujus me vultum pictura docuerat*.

Et S. August. qui in libro 22. contra Faustum, c. 73. Abrahami filium suum immolantis picturam commemorat. Tum Sermone 316. qui olim erat 94. de diversis, meminit imaginis pictæ in qua expressum erat S. Stephani martyrium: *Dulcissima*, inquit, *pictura est hæc, ubi videtis, S. Stephanum lapidari; videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem*. Vide & quæ scribit l. 1. de consensu Evangelistarum c. 10.

Item S. Asterius Amaseæ Episcopus in Sermone panegyrico de S. Euphemia Martyre, tabulam pictam ad ejus loculum appensam commemorat: *Pictor vero*, inquit, *etiam ipse religiose per artem suam, totam pro viribus in linteo designatam historiam, ibidem juxta sacram thecam appendit, ac proposuit spectaculum*.

Hunc eundem usum colligimus ex S. Chrysost. qui orat. 45. ad populum Antiochenum, laudes S. Meletii ex eo suscepit, quod Christiani *sanctam ejus imaginem, & in annulorum circulis, & in calicibus & phialis, & in thalamorum parietibus ubique exaraverint*. Is idem sanctissimus Præsul jubet in sua Liturgia, ut Sacerdos conversus ad imaginem Christi inter duo ostia caput flectat.

Tum S. Paulinus Epist. 12. ad Severum Sulpitium, effigiem SS. Trinitatis sua in Basilica his versibus describit.

Pleno coruscat Trinitas Mysterio,
Stat Christus agno: vox Patris cœlo tonat,
Et per columbam Spiritus Sanctus fuit.
Crucem corona lucido cingit globo;
Cui coronæ sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro.

Et similiter Prudentius in libro *Peristephanon*, hymno nono, qui est de S. Cassiano, scribit se Cassiani martyris imaginem Romæ in ipsius Basilica vidisse.

Erexi ad cœlum faciem, ſtetit omnia contra
Fucis colorum picta imago Martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus;
Ruptam minutis præferens punctis cutem.

Theodor. in religioſa hiſtoria c. 26. teſtatur *ſancti Simonis Stylitæ Romæ paſſim in officinarum propilæis erectas fuiſſe imagines, ut hanc ſibi tutelam ac præſidium adjungerent*.

Nilus Abbas, S. Chryſoſtomi diſcipulus, in Epiſtola ad Olimpiodorum Præfectum, conſulenti huic, quibus picturis templum exornaret, ſuadet uti crucis effigiem & ſacras hiſtorias eligat, *ut qui litteras neſciunt, neque ſacras litteras poſſunt legere, picturæ contemplatione in memoriam revocent illorum præclara facta, qui vero Deo ſincere ſervierunt*.

His adde alia multorum præclara teſtimonia, ut S. Gregorii Magni, quæ quidem paulo poſt adducturi ſumus; Leontii in Cypro Epiſcopi apolog. pro Chriſtianis quæ legitur act. 4. ſeptimæ Synodi pag. 235. Venerabilis Bedæ l. 1. hiſt. Anglic. cap. 25. S. Maximi Martyris in collatione quæ extat inter Collectanea Anaſtaſii Bibliothecarii, Sophronii Jeroſolymitani in oratione de miraculis SS. Cyri & Joannis, quæ omnia & ſimilia manifeſte oſtendunt a ſæculo quarto ad octavum uſque, quo hæc de imaginibus efferbuit controverſia, ubique fere uſitatas fuiſſe imagines.

Tertia Conclusio.

Mos exponendi ſacras imagines in Templis non invaluit ſimul, & eodem modo in omnibus locis; ſed alibi citius, & alibi tardius.

Ac primo in Hiſpania receptum non fuiſſe iſtum uſum initio quarti ſæculi, abunde colligitur ex canone 36. Concilii Illiberitani his verbis concepto: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus pingatur;* quem canonem male utique exagitarunt nonnulli e noſtris, ubi confiteri non auſi ſunt ab Hiſpanis improbatas fuiſſe imagines, quarum nondum apud ipſos percrebuerat uſus; multo magis autem quam cæteri Melchior Canus, vir cætera doctus & acutus, qui lib. 5. cap. 4. ſcribit Concil. Illiberitanum *non imprudenter modo, verum etiam impie legem tuliſſe de tollendis imaginibus*. Qua in re multum allucinatus eſt ille Theologus; neque enim aut imprudentiæ aut impietatis inſimulari debent Hiſpani Præſules, quod imagines & picturas arceant ab Eccleſiis, hoc eſt a Templis, quia videlicet nondum receptus erat ille uſus in Hiſpania.

Secundo, receptæ nondum quarto ſæculo in Palæſtina circa imagines diſciplinæ, teſtis eſt luculentiſſimus Euſebius Cæſarienſis, a quo cum petiiſſet Conſtantia Conſtantii ſoror, ut ad ſe Domini Jeſu imaginem mitteret, hæc reſpondit: *Quia vero de quadam imagine quaſi Chriſti ſcripſiſti, hanc volens tibi a nobis mitti, quam dicis & qualem, hanc quam perhibes Chriſti imaginem? Utrum verum & incommutabilem, & natura caracteres ſuos portantem? An iſtam quam propter nos ſuſcepit ſervi formam induens? Sed de forma quidem Dei neo ipſe arbitror te quærere ſemel ab ipſo edoctam, Quoniam nemo Patrem novit niſi Filius, neque Filium niſi ſolus Pater... ſed utique ſervi formæ imaginem quæris, & corpuſculi quo amictus eſt propter nos... Quis autem hujuſmodi dignitatis & gloriæ vibrantes & præfulgentes ſplendores exarare potuiſſet mortuis & inanimatis coloribus & ſcripturis umbraticis?* Ubi ait Euſebius neutram Chriſti naturam depingi poſſe, ſiquidem in iis locis plerumque diſplicebant imagines, in quibus nondum erant uſurpatæ.

patæ. Legitur præfata Epist. in actis septimæ Synodi pag. 857.

Tertio, usum imaginum nondum pervenisse in Cyprum sub finem quarti sæculi, ostendit aperte historia quam denarrat S. Epiphanius Salaminis in eadem Insula Episcopus, in fine Epistolæ ad Joan. Jerosolymitanum, quam latine reddidit Hieronymus. *Quando simul*, inquit, *pergebamus ad locum sanctum, qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum more Ecclesiastico facerem, & venissem ad villam quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogassem quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam, & intrassem ut orarem, inveni ibi velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi vel Sancti cujusdam (non enim satis memini cujus imago fuerit); cum ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi contra authoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent & efferrent; illique contra murmurantes dixerunt: Si scindere voluerat, justum erat ut aliud daret velum atque mutaret. Quod cum audissem, me daturum esse pollicitus sum... nunc autem misi quod potui reperire, & precor ut jubeas Presbyteros ejusdem loci suscipere velum a latore quod a nobis missum est; & deinceps præcipere in Ecclesia Christi ejusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi.*

Cui Epiphanii facto aliud adjungi potest ejusdem testimonium ex Epistola ad Theodos. Imperatorem quam Catholicis objecerunt Iconoclastæ, ut videre est in Synodo septima pag. 474. *Attendite*, inquit, *vos ipsi, & tenete traditiones quas suscepistis, ne declinetis ad dexteram .... ne inducatis imagines in Ecclesias, neque in cœmeteria Sanctorum, sed per memoriam habete Deum in cordibus vestris; sed neque in domum communem, non enim expedit Christiano per oculos & vagationes mentis efferri.* Quæ quidem quoniam veteris disciplinæ studio duntaxat ab Epiphanio prolata sunt, nihil quicquam adversus præsentem Ecclesiæ praxim efficiunt, uti postea dicemus.

Quarto, nec in Licaonia receptas fuisse imagines sub finem quarti sæculi docet Amphilochius Iconiensis Episcopus, qui hæc dixisse perhibetur a Patribus septimæ Synodi pag. 473. *Non enim in tabulis carneas personas Sanctorum per colores curæ nobis est figurare, quoniam non his opus habemus, sed conversationem eorum virtutibus imitari.*

Objecerunt & veteres Iconomachi hæc Sancti Chrysostomi verba, *Nos per Scripturas fruimur Sanctorum præsentia, non corporum eorum sed animarum imagines habentes; quæ enim ab illis dicta sunt, animarum ipsorum imagines sunt.* Quæ usum Ecclesiæ Orientalis manifestant, quemadmodum & similia quæ proferuntur ex Theodoro Ancyrano deprompta.

Atque hæc abunde sufficiunt, ut nemini non persuasum sit, usum sacras imagines in Templis exponendi non fuisse simul & semel in iisdem locis receptum, sed alibi citius & alibi tardius; quod ut accuratius disceptetur, nihilque a nobis circa usum imaginum relinquatur intactum, operæ pretium judico nonnullas instituere quæstiones de variis imaginum generibus.

Quæres primo quid sit sentiendum de imaginibus Dei.

Resp. circa imagines Dei varias subinde fuisse & veterum & recentiorum inter Catholicos sententias, & quidem usum imaginum Dei expedire negant:

1. Tertullianus libro de Spectaculis cap. 23. S. Clemens Alexand. lib. 6. Stromatum; Origenes lib. 8. contra Celsum; Minutius Felix in Dialogo; Lactantius lib. 2. Instit. c. 2. qui, quoniam adversus Gentiles scribunt, mi-

mirum non est si Dei nullam fabricandam imaginem censeant.

2. S. August. lib. de fide & symbolo cap. 7. ait: *Nefas esse Christiano simulacrum Deo collocare in Templo*. Agit ibi Sanctus Doctor adversus Antropomorphitas.

3. Citari possunt Autores ipsi qui scripserunt adversus Iconoclastas, quique ultro confessi sunt imaginem Dei exprimi non debere; ita Germanus, Patriarcha Constantinopolit. Epist. ad Joannem Synadensem, quæ extat inter acta Synodi septimæ pag. 290. agnoscit *nullam invisibilis deitatis formari figuram & imaginem*. Theodorus, Patriarcha Jerosolymitanus, fatetur nullam coli deberi imaginem deitatis, quia, ut ait, *invisibilis, incircunscripta, & informis est*. Hæc leguntur pag. 186. Tum Gregorius, ejus nominis secundus, Epist. 1. ad Leonem Isaurum, quæ extat inter acta Concil. 7. pag. 14. sic scribit: *Cur tandem Patrem Domini Jesu Christi non oculis subjicimus ac pingimus? quoniam quis sit non novimus, Deique natura spectanda proponi non potest ac pingi*. Quod idem docet S. Joannes Damascenus lib. 4. de orthodoxa fide cap. 17. & Nicephorus lib. 18. hist. cap. 53. ubi loquens de erroribus Armenorum, *Imagines*, inquit, *Patris & Spiritus sancti effigiant, quod perquam absurdum est; imagines enim corporum eorum sunt, quæ videri & circunscribi non possunt*.

4. Demum, Deum non esse pingendum statuerunt longe post septimam Synodum Durandus in 3. Dist. 9. q. 2. ad quartum, Henricus quodlibeto 10. cap. 6. Abulensis in cap. 4. Deuter. q. 5. Tostatus, Martinus de Aiala, Clictovæus ad Damascenum, & ante illos S. Thomas p. 3. q. 25. art. 3. ad primum.

Alii vero Deum existimant pingi posse, his fulti momentis.

Primo, quia antiquissima fuit Ecclesiæ consuetudo, aut Patrem sub effigie senis, aut Spiritum sanctum sub figura columbæ depingere. Sanctus Basilius columbas in Spiritus sancti imaginem suspensas habuit, teste Amphilochio in ejus vita. S. Paulinus Trinitatis effigie decoraverat S. Felicis Basilicam, ut constat ex versibus paulo supra descriptis.

Secundo, ex deprecatione quæ data est a Clericis & Monachis Antiochenis contra Severum Acephalorum ducem, quæ legitur act. 5. septimæ Synodi pag. 371. ubi sic legitur: *Porro præsumptum est ab eo etiam hoc, o beatissimi; eas enim quæ in typum Sancti Spiritus sunt, aureæ & argenteæ columbæ, suspensas supra divina Sacramenta, & altaria cum aliis defraudabat, dicens, non oportere columbas nominari Spiritum Sanctum*. Quibus lectis in septima Synodo, Tharasius dixit: *Si in nomine Sanct. Spiritus superpositas columbas receperunt Patres, quanto magis incarnati Verbi Iconas, quod apparuit super terram cum corpore*. Porro has imagines Spiritus Sancti, vel etiam aliarum Sanctissimæ Trinit. personarum, nec approbarunt nec respuerunt Patres Nicæni, ut indicat eorum decretum.

Tertio, quia jam frequens dudum receptissimus Ecclesiæ viget usus pingendi tres SS. Trinitatis personas, quam consuetudinem consecravit Conc. Trident. sess. 25. cum supponit in suo Decreto Deum pingi solere. Quibus accedit quod identidem Deus ipse sub aliqua sensibili figura sese oculis hominum objecerit; Deus quidem Pater, Isajæ sub imagine Principis super solium sedentis; Spiritus vero Sanctus in effigie columbæ, Matth. 3. cap.

Quæres 2. an liceat Angelos pingere.

Resp. affirmative; cur enim Angelos non pingeremus, qui se hominibus identidem conspiciendos sub humana figura exhibuerunt? Hoc argumento usus est Joannes Thessalonicensis in Conc. Nicen. act. 4.

act. 4. ubi dicit Angelos esse pingendos quia corporei sunt; hunc enim duriorem loquendi modum quo videbatur Joannes innuere Angelos esse natura corporeos, explicat his verbis Tharasius: *Ostendit pater*, Joannes, *quod & Angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt, & veluti homines apparuerunt multis*. Qua etiam ratione intelligenda esse hæc Concilii Nicæni verba dicemus postea.

Longe ante septimam Synodum testis est Gregorius Nazianz. orat. 23. usitatum quarto sæculo fuisse morem pingendi Angelos cum forma corporea sub candidis vestibus. Præterea sub finem quinti sæculi Severus, Eutychianorum dux, Angelos contendebat non purpurea, sed alba veste pingendos; ob id reprehensus a Joanne Gabalensium Episcopo, act. 4. Conc. pag. 371.

Quæres quænam fuerit Ecclesiæ praxis circa imagines Christi.

Respondeo morem pingendi Christum, fuisse iis omnibus in locis usitatum, in quibus usurpatæ sunt imagines; pingebatur in sacris calicibus sub figura pastoris ut ostendimus ex Tertulliano, conflata ex metallo; & erecta fuit ejus statua, apud Eusebium: nonnulli vero qui cunctas aliunde respuebant imagines, Christum contenderunt pingi non debere, idque potissimum propugnare conati sunt Iconoclastæ in suo conventiculo, eo quod, inquiebant, nulla potest esse Christi imago perfecta Christum exhibens integrum, cum nulla sint divinitatis lineamenta; quod validissime confutavit septima Synodus exemplo hominis qui recte pingi solet, tametsi constet ex anima, cujus nulla sunt lineamenta, nullæ partes.

Sub finem septimi sæculi vetuerat Synodus Trullana canone 82. ne Christus sub agni forma depingeretur, quod nempe ejuscemodi figura ignobilis sit, & ad veterem legem potius quam ad novam pertinet; verum, meo quidem judicio, parum efficax est utraque Trullanorum ratio: primo quidem, nihil est cur sub agni imagine non depingatur Christus, quem sub illo nomine, digito permonstravit Joannes Baptista, dicens: *Ecce Agnus Dei*. Secundo, effigiem agni non ad solam veterem legem pertinere satis aperte colligitur ex Evangelio & Apocalypsi; quibus adde aut nullam aut exiguam esse apud nos Concilii Trullani autoritatem.

Quæres utrum eadem in Ecclesiarum disciplina fuerit ratio statuarum & picturarum.

Respondeo negative; siquidem tardius videtur usurpatus mox exponendi statuas, quasi pictas imagines; ut constat ex judicio Stephani Bostrorum Episcopi, quod refertur act. 2. septimæ Synodi, discrimen statuas inter & picturas ponentis. *De sanctis imaginibus*, inquit, *confitemur quod omne opus in nomine Dei factum, bonum est & Sanctorum; aliud porro est imago, aliud statua*. Tum ex testimonio Germani Constantinopolitani, qui adducto exemplo statuæ, quam commemorasse Eusebium non semel diximus, ait: *Non autem hoc dicimus nos, ut statuas æneas facere studeamus*. Ex quibus colligitur usum statuas exponendi in templis nondum percrebuisse. Qua forsitan ex causa, septima Synodus in sua fidei definitione solius meminit picturæ.

Tardius vero statuas a Christianis fuisse usurpatas merito crediderim, quod de statuis seu figuris extantibus intelligi potissimum debeat ea Dei lex, qua vetitum fuit omne sculptile, & præterea quæ super imaginum usu scripserunt antiqui Patres in concertationibus cum Ethnicis, cadant præsertim in statuas. Unde Augustinus libro de fide & symbolo capite septimo jam citato, ait, *Simulacrum Dei nefas esse Christiano in templo collocare*.

De cultu Imaginum.

QUæ ad usum Imaginum pertinent, fuse, quantum oportuit, & nitide adduximus; superest ut de cultu earumdem agatur adversus redivivos Iconoclastas, recentiores hæreticos Lutheranos & Calvinistas, qui hoc præcipue Catholicis vitio vertunt, non quod imagines habeant, sed quod eas cultu ac veneratione quadam religiosa colant, crimen idololatriæ ipsis imponentes, quod imagines pietatis & religionis causa in templis erigant, erectasque colant.

Nos vero dicimus (atque in eo præcise consistit status istius quæstionis) cultum imaginum esse licitum, nec sine manifesta impietatis nota improbari posse, utpote qui dudum sit universa Ecclesiæ praxi consecratus; quamobrem sit

CONCLUSIO.

Licitus est imaginum cultus.

Probatur primo ex Scripturis, quæ licet imagines aut potius statuas extantes expresse prohibeant, metu nimirum idololatriæ cui propensissimi erant Judæi, nobis tamen validissimum subministrant argumentum, quo possimus inferre cultum imaginum esse licitum, pietati consentaneum, non idololatricum; ubi nempe videmus res multas inanimatas haberi in aliqua æstimatione, sanctas appellari, vel etiam Deo jubente, summis affici honoribus; siquidem imagines, quibus nonnullam deferimus venerationem, his rebus inferioris non sunt conditionis. Id porro constat,

Primo, ex iis locis in quibus res multæ creatæ & inanimatæ sacræ vel sanctæ appellantur. Exodi 3. c. de medio rubi Deus dicit Mosi, *Locus in quo stas, terra sancta est*, scilicet propter Angeli præsentiam. Cap. 12. *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis*, quod scilicet dicata erat cultui divino. Cap. 28. vestes Sacerdotum dicuntur sanctæ; *Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem*. 2. ad Timoth. 3. Scripturæ dicuntur sacræ litteræ; *Ab infantia sacras litteras nosti*. Quæ omnia quoniam dicuntur sancta propter habitudinem ad res sacras, non video cur imagines Christi & Sanctorum dici non possint sacræ & sanctæ.

Secundo, extant alia testimonia quæ meras creaturas & quidem inanimatas docent religiose honorandas propter solam relationem ad cultum divinum. Cœlum quidem honorandum jubetur, quia thronus Dei est, terra quidem quia pedum ejus scabellum. 95. *Adorate scabellum pedum ejus*. Et Matth. 5. *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus*. Quibus vero honoribus decorata non est Arca Domini? Deuteron. 10. cap. Moses *separavit tribum Levi, ut portaret Arcam Domini*. Josue 3. cap. *Cavete ne appropinquetis ad Arcam.... & ait ad Sacerdotes: Tollite Arcam fœderis & præcedite populum*. Cap. 7. *Josue vero scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israel*. 2. Reg. c. 6. cum extendisset Oza manum ad Arcam Domini, *Iratus est indignatione Dominus contra Ozan, & percussit eum super temeritate*. Quid vero fuit apud Judæos Arca Dei, nisi eorum religionis instrumentum? Quidni autem & apud nos erit crux sancta & imagines?

Tertio, & addi possunt quædam loca, in quibus exhibentur nonnullæ imagines, quæ non omni penitus cultu & honore destitutæ fuerunt. Exodi 25. duo Cherubim super Arcam poni jubentur; at dubio procul qui proni adorabant Arcam, ut ait Scriptura, iidem

& Che-

& Cherubinos adorarunt. Numer. cap. 21. serpens æneus erigi jubetur in medelam Judæorum; is in loco sublimi positus, salutem miseris afferens, aliquo certe honore non potuit non affici.

Probatur 2. quia cultus ille imaginum, tametsi non semper viguerit in Ecclesia, tamen a mente veterum non fuit alienus; immo vero a multis satis clare insinuatus.

Philostorgius lib. 7. cap. 3. loquens de statua Christi quam erexerat Cæsareæ Philippi jam laudata mulier, ait huic Christianos *competentem curam atque observantiam detulisse*.

Heraclides Nyssenus eodem quarto nempe sæculo degens scripsisse dicitur de antiquitate *venerandarum* imaginum.

S. Hieronymus in vita Paulæ, *Prostrata*, inquit, *ante crucem quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat*. Si prostrata ante crucem, colebat ipsam crucem. Et Epist. 17. ad Marcellam, *Venerabantur*, inquit, *quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim & Propitiatorium & Arca testamenti... nonne venerabilius tibi videtur Sepulcrum Domini?*

S. Chrysost. in Liturgia jam a nobis citata, *Sacerdos*, inquit, *ad imaginem Christi caput inclinat*.

S. Ambros. lib. de Incarnat. Dominicæ Sacramento cap. 7. *Numquid*, inquit, *cum in Christo imaginem Dei crucemque veneramur, dividimus eum?* Et de obitu Theodosii, *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quæ crucem Christi in capite Regum levavit & locavit, ut crux Christi in Regibus adoretur*.

S. August. lib. 3. de Trinit. loquens de sacris figuris, quales litteræ & serpens æneus: *Hæc*, inquit, *honorem tamquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt*. Tractatu 47. in Joan. de monte differens ex quo Christus in cœlos ascenderat, hæc scribit: *Ibi sunt vestigia ejus; modo adorantur ubi novissime stetit, unde ascendit in cœlum*. Et lib. 22. de Civ. Dei c. 8. ait terram sanctam Jerosolymis ablatam magna in reverentia habitam esse apud Christianos.

Paulinus, jam a nobis laudatus, *sacras* vocat figuras in templis depictas; unde usus simul & pii cultus imaginum testis est luculentissimus, sic enim ait Natali 10. S. Felicis.

Miremurque sacras veterum monumenta figuras.

Quibus adde S. Gregorium M. cujus postea super ista re sententiam discutiemus. Canonem 82. Synodi Tullanæ ante Iconoclastarum furorem habitæ, ubi *venerabiles* dicuntur imagines; ac denique S. Joannis Damasceni, Germani Constantinopolitani Patriarchæ, Grægorii II. aliorumque autoritatem, qui probatissimi fuerunt testes consuetudinis qua tunc tenebatur Ecclesia nonnihil cultus & venerationis exhibere imaginibus, cum in earum cultum furiari cœperunt Iconoclastæ.

Quapropter his aliisque similibus fulta momentis, suam pro asserendo imaginum cultu definitionem his verbis emisit septima Synodus Act. 7. cap. 555. *Sequentes divinitus inspiratum SS. Patrum nostrorum magisterium & Catholicæ traditionem Ecclesiæ; nam Spiritus sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat; definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus & tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis, tam videlicet imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratæ dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum simul & almorum virorum. Quanto autem frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius*

crius eriguntur ad primitivarum earum memoriam & desiderium, & ad osculum & ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impertiendam; ita ut istis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis, & sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est traditio sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines terræ suscepit Evangelium.

Cui definitioni, quæ octavæ Synodi generalis decreto & consensione roborata est; tametsi primum nonnullæ restiterint Ecclesiæ, præsertim Gallicana, quæ hunc cultum ejuscemodi signis exterioribus nimium & intemperantiorem reputavit, totus demum subscripsit christianus orbis, & diu quidem antequam in piam illam & laudabilem Ecclesiæ praxim insurgerent redivivi Iconomachi, Calvinistæ & Lutherani, quorum impietatem merito confixit Tridentina Synodus sessione 25. his verbis: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Synodi Nicænæ, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. Illud vero diligenter doceant Episcopi per historias mysteriorum nostræ redemptionis picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis & assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum & munerum quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula & salutaria exempla oculis fidelium subjiciunt, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem, vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ad diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit.* Hic præfatas Conciliorum definitiones integras descripsimus, quia in iis tota continetur Ecclesiæ super imaginum cultu doctrina, quas proinde sedulo meditari debet quilibet Christianus.

Probatur demum ratione. Si cultus imaginum esset illicitus, vel quia malus est in se intrinsece & absolute loquendo, vel quia malus est relative saltem & occasionaliter, vel quia abstrahendo ab eo quod sit malus de se, lege aliqua divina prohibitus est: atqui nullum ex illis tribus dici merito potest. Primo quidem, cultus imaginum non est malus in se, intrinsece, & absolute loquendo: quod enim inservit ad multos & quidem honestos fines, non est malum in se & intrinsece, ut ajunt: atqui imagines inserviunt ad multos fines de se honestos, nempe ad instruendam rudem & indoctam plebem, ad conservandam vel excitandam passionis Christi, aliorumque Dei beneficiorum memoriam; denique ad Sanctorum imitationem, eorumque virtutum, experientia teste: ergo in usu & cultu imaginum absolute loquendo, nihil mali occurrit.

Se-

Secundo, cultus imaginum non est malus relative & occasionaliter; nam si malus esset relative & occasionaliter, maxime quia indoctæ plebi vel sunt, vel esse possunt imagines occasio eas adorandi, quæ vera esset idololatria: atqui hæc ratio non valet quicquam; tum quia singulis Christianis notum est imaginibus non exhiberi verum adorationis & latriæ cultum, sed aliquam solum venerationem relativam, ut dicemus infra; tum quia si qua populis obreperet ignorantia in illo imaginum usu, ad Pastores Ecclesiæ pertinet illam removere; tum quia simili ratione probaretur solem, lunam & stellas mala esse, quia persæpe fuerunt occasio idololatriæ: ergo imagines non sunt malæ relative & occasionaliter, nisi per accidens, quo non efficitur eas esse rejiciendas.

Tertio, imagines non fuerunt prohibitæ ulla lege divina, ut enim mox dicturi sumus, solvendo objectionem quæ petitur ex lege lata in veteri Testamento, qua cautum fuit ne ullum fieret sculptile; lex illa juris fuit positivi ad aliquod tantum tempus lata pro solis Judæis, qui tunc ad idololatriam erant propensissimi.

Et certe Ecclesiæ doctrina super imaginum cultu in eo præcise posita est, quod aliqua exhibeatur veneratio rebus creatis & inanimatis, eo quod ad rem per se venerabilem spectant, ut ejus signum, figura, imago, ad memoriam ejus refricandam: atqui hoc ipsum admittunt Calvinistæ, qui tanto cum studio rejiciunt nostras imagines; ii enim censent Eucharistiam esse rem quamdam creatam & inanimatam, meram esse figuram & imaginem corporis Christi, meram panis substantiam: atqui tamen ipsi cultum, honorem, & reverentiam deberi omnes illi una voce docent: Calvinus enim jubet ut Eucharistia suscipiatur *reverenter*. Catechismus Genevensis, ut *digne & reverenter*. Albertinus insignis Calvinista lib. 2. de Sacram. Euchar. pag. 432. explicat aliquem sancti Cyrilli Jerosol. locum, quo jubet Cyrillus ut flexo genu adoretur Eucharistia *de veneratione & reverentia rebus sacris competenti*. *Genevensis Ecclesia ministros Evangelii diserte jubet sacrum cœnæ dominicæ panem cum reverentia distribuere*, inquit Dallæus lib. 3. de imaginibus cap. 7. ergo imagines honore quodam relativo, eo quod sunt rerum per se venerabilium vel adorandarum imagines aut symbola, affici possunt circa ullam superstitionis vel idololatriæ maculam.

Accedit insuper quod fieri non possit, ut viros virtute & meritis præstantissimos propter singularem eorum dignitatem aut beneficia nobis præstita veneremur, quin & eorum imagines honorificentissime habeamus; cum e contra in omnium pervulgata hominum opinione constet, injuriam imaginis in prototypum redundare; quid ergo erit absurdi, quod nostram in Christum & Sanctos observantiam significemus, colendo eorum imagines? Quo vero ingenio, qua fronte audent Calvinistæ maculare, discerpere, conculcare imagines Christi, quem ipsi summo adorationis cultu prosequuntur?

Neque est quod dicant cum Albertino injuriam imaginis in archetypum redundare, cum imago ab ipso Rege, vel illius jussu aut saltem approbatione, ad memoriam aut honorem erecta & constituta est; at, inquit ille, nulla est imago Christi ab ipsomet constituta præter unicam Eucharistiam; quod idem observaverant priores Iconoclastæ in suo Conciliabulo anno 754.

Scilicet falsum est quam quod falsissimum istud ratiocinium; neque enim, ut injuria Regis imagini vel statuæ illata in Regem redundet, necesse est hanc imaginem vel statuam ab ipso Rege fuisse erectam, ut nemo non videt.

At, inquiunt, nullam Christus con-

ſtituit imaginem præter Euchariſtiam ; quid inde vero ſequitur , niſi cultum poſitivum imaginum nulla lege præceptum, quod ultro confitemur?

Solvuntur objectiones.

OBjiciuntur ea loca Scripturæ in quibus diſerte prohibentur imagines. Exodi 20. hoc expreſſum continetur Dei mandatum : *Non facies tibi ſculptile , neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum ; nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra , non adorabis ea , neque coles* . Item Levit. cap. 26. *Non facietis vobis idolum & ſculptile , nec titulos erigetis , nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra , ut adoretis eum*. Et Deuteron. cap. 4. *Cuſtodite igitur ſollicite animas veſtras* , inquit Moſes ; *non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt vobis Dominus in Oreb de medio ignis , ne forte decepti faciatis vobis ſculptam imaginem, aut imaginem maſculi vel fœminæ ... ne forte elevatis oculis ad cœlum videas ſolem & lunam & omnia aſtra cœli , & errore deceptus adores ea , & colas quæ creavit Dominus*. Ubi Deus omnem proſcribit imaginem, omnem ſtatuam.

Solent reſpondere hac lege Dei prohiberi tantummodo earum imaginum uſum , quæ ad numen aliquod repræſentandum & colendum fabricarentur , ut aperte , inquiunt, colligitur ex iiſdem locis ; dicit enim Deus : *Non adorabis ea, neque coles* ; unde , inquiunt illi , præmiſerat illa verba, *Ego ſum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me* . Quæ omnia eodem tenore Iudæis præſcribuntur, & conjunctim accipi debent , quaſi legeretur , Non facies ſculptilia ut ea adores.

Verum ut, quod rei eſt, cordate fatear, non modo Dei & ſupremi cujuſdam numinis adorandi ſculptile Judæis prohibetur , ſed & omnis cujuſcunque imaginis uſus & cultus ; nimirum ad omnem idololatriæ occaſionem tollendam , in quam propenſiſſimos eſſe Judæos noverat Deus, omnem voluit iis interdicere imaginem , præſertim vero omnem ſtatuam, idque conſtat : 1. ex ipſorum Judæorum teſtimonio ; Philo enim Judæus lib. de Decalogo & in legatione ad Caium, & Joſephus lib. 1. in Apionem, & lib. 2. de Bello Judaico teſtantur omnes imagines Judæis fuiſſe prohibitas ; quibus & facile conſentiunt SS. Patres , Juſtinus in Dialogo cum Tryphone , Origenes lib. 4. contra Celſum , Tertull. de idololatria & lib. 4. contra Marcionem c. 12. S. Joan. Damaſc. orat. 2. de Imaginibus & alii. 2. Id ſatis ſuperque demonſtrarunt Judæorum mores & uſus ; cum enim Herodes aquilam collocare voluiſſet ſupra majorem templi portam, graviter id tulit natio Judaica, teſte Joſepho lib. 17. antiq. cap. 8. cumque Pilatus quædam ſigna cum effigie Cæſaris in urbem Jeroſolymam intuliſſet ſpreta lege , quæ ejuſcemodi imagines prohibebat, omnes ſeſe morti potius addici voluerunt quam id paterentur.

Quamobrem reſpondeo legem illam, quantumvis de omni ſculptilium & imaginum genere intellectam, nihil tamen quicquam efficere adverſus hodiernam noſtram Eccleſiæ de retinendis & colendis imaginibus conſuetudinem ; quia nimirum lex illa juris fuit poſitivi, ad aliquod tempus lata, peculiariter ad ſolos Judæos directa , & quidem ſapienter ob illam ad idololatriam amplectendam, qua laborabant Judæi , ſummam propenſionem, & ratio eſt,

1. Qua , ut jam ſupra monuimus, iſta Dei lex de ſtatuis & figuris extantibus, quæ animum hominis ad idololatriam fortius inclinant quam picturæ, eſt potiſſimum intelligenda ; quo fit ut a Deo lata merito cenſeatur ob imminens idololatriæ periculum , adeoque jamdudum exoleverit, nec obliget homines ſemoto hocce idololatriæ diſcrimine.

2. Quia

2. Quia iisdem temporibus alias imagines, quæ nimirum ad idololatriam non invitant, ipsis Judæis præscripsit Deus: scilicet Num. 21. cap. erigi jussit serpentem æneum; cap. 25. duos Cherubim super Arcam poni voluit; 3. Regum cap. 6. duos insuper alios addidit Salomon de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis, & ut habetur ibidem: *Omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno, & fecit in eis cherubim & palmas & picturas varias, &c.* quæ quidem manifeste ostendunt, vel Deum non omnes perhorruisse imagines, sed eas tantum quæ in idololatriam inclinare poterant Judæos; vel ipsum suæ tandem legi derogasse, quod persæpe evenit ubi lex est positiva, & certis temporibus & occasionibus alligata.

Atque ejuscemodi fuisse illam Dei legem, qua omne idolum & sculptile prohibuit, ex eo maxime colligitur, quod licet in loco Levitici citato vetuerit Deus ne insignis ullus lapis erigeretur, Josue tamen, ut constat ex ejusdem lib. c. 24. *tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini, & dixit ad omnem populum: En lapis iste erit in testimonium, &c.* Idem factum est a Samuele lib. 1. Reg. c. 7. *Tulit autem Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphat & inter Sen, & vocavit nomen loci illius lapis adjutorii;* scilicet prudenter judicarunt viri isti sanctissimi Josue & Samuel, nonnisi ad tempus, & ubi instabat idololatriæ periculum, Judæis datam fuisse a Deo legem de non erigendo lapide, quem ipsi postea in memoriam beneficiorum Dei erexerunt. Quidni ergo potuit Ecclesia perpetuo Spiritus sancti afflatu gubernata, imagines olim Judæis in idololatriam propensissimis vetitas, suis demum alumnis semoto quovis idololatriæ periculo colendas proponere?

Objicies cum Dallæo plurima veterum testimonia, qui & usum & cultum omnem imaginum impugnant, ut absolute malum & illicitum; quippe qui sit divina lege prohibitus: ita nempe, præter eorum loca quæ jam adduximus supra, ut nullas in Ecclesia prioribus Ecclesiæ sæculis fuisse imagines ostenderemus.

Tertullianus qui non uno in loco imagines proscribit lib. de Idololatria cap. 3. *Nam eo die*, inquit, *extra templum & sine idolo agi potest. At ubi artifices statuarum & imaginum & omnis generis simulacrorum diabolus sæculo intulit, rude illud negotium humanæ calamitatis & nomen de idolis consecutum.* Cap. 4. *Propter hanc causam ad eradicandam scilicet materiam idololatriæ, lex divina proclamat: Ne feceris idolum; & conjungens, neque similitudinem eorum quæ in cœlo sunt, & quæ in terra, & quæ in mari, & toto mundo ejuscemodi artibus interdixit servis Dei ..... sed ait quidam adversus similitudinis interdictæ propositiones: Cur ergo Moses simulacrum serpentis ex ære fecit, seorsum figuræ quæ dispositioni alicui arcanæ perstruebantur, non ad derogationem legis, sed ad exemplarium suæ causæ? Alioquin si hæc ut adversarii legis interpretemur, nunquid & nos, quod & Marcionitæ, inconstantiam ascribimus omnipotenti, quem illi hoc modo destruunt ut mutabilem, dum alibi vetat, alibi mandat?* Libro de spectaculis cap. 21. *Jam vero*, inquit, *ipsum opus personarum quæro an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis suæ?* Lib. 4. adversus Marcionem cap. 22. *Quomodo enim*, inquit, *Moysem & Eliam cognovissent nisi in spiritu; nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset & similitudines, lege prohibente?*

Idem docet Clemens Alex. lib. 5. Stromatum, his verbis: *Moses multis ante sæculis aperte legem sanxit, nullam oportere sculptilem, vel fusilem, vel fictam*

ctam vel pictam imaginem, simulacrumve facere, ut sensilia minime attenderemus, sed ad ea transiremus, quæ percipiuntur intelligentia. Et in Protreptico, *Nobis enim*, inquit, *est aperte vetitum artem fallacem exercere; Non facies enim*, inquit *Propheta, cujusvis rei similitudinem eorum quæ sunt in cœlo, & quæcunque sunt in terra infra*.

Origenes idem prosequitur argumentum lib. 4. contra Celsum, de Judæis scribens; *Nullus*, inquit, *apud eos pictor admittebatur, nullus statuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, ne qua occasio præberetur hominibus crassis, neve animi eorum a Dei cultu avocarentur ad res terrenas per hujuscemodi illicebras*.

Addit postea Dallæus canonem 36. Concilii Illiberitani, testimonium Eusebii Cæsariensis ex epistola ad Constantiam Licinii uxorem. Insigne factum S. Epiphanii, testimonia Chrysostomi, Amphilochii & Theodoreti, quæ superius a nobis descripta sunt.

Optatus insuper Milevitanus satis significat libro 3. non modo nullas fuisse imagines, sed divinum cultum mixtis imaginibus pollui, cum hæc scribit: *Dicebatur illo tempore venturos esse Paulum & Macarium qui interessent sacrificio, & cum altaria solemniter aptarentur, proferrent illi imaginem, quam primo in altari ponerent, si sacrificium offerretur. Hoc cum acciperent aures, perculsi sunt & animi, & uniuscujusque lingua in hæc verba commota est, ut omnis qui hoc audierat, diceret: Qui inde gustat, de sacro gustat. Et recte dictum erat, si talem famam talis veritas sequeretur. At ubi ventum est, a supra dictis nihil tale visum est ex eo, quod fuerat paulo ante mentita fama. Nihil viderunt oculi christiani, quod horrerent*.

S. Hieronymus in tertium caput Danielis, *Sive statuam*, inquit, *ut Symmachus, sive imaginem auream, ut ceteri transtulerunt, voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent: ergo judices & principes sæculi qui Imperatorum statuas adorant & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere volentes placuerunt Deo; & notanda proprietas, Deos coli, imaginem adorari dicunt, quod utrumque servis Dei non convenit*.

Eodem pertinent quæ scribit S. Augustinus concione 2. in Psalm. 113. ubi in simulacra Ethnicorum insurgit quæ ipsi stulte veneramur quamvis sint manuum suarum opera ex auro argentove fabricata, ubi & de Christianis postea: *Sed enim & nos*, inquit, *pleraque instrumenta & vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur, in ejus honorem cui pro salute nostra inde servitur. Et sunt profecto etiam ista instrumenta vel vasa, quid aliud quam opera manuum hominum; verumtamen nunquid os habent, & non loquentur? &c.* Tum & lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 34. *Nolite*, inquit, *consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quidquid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores*.

Ex quibus omnibus sic juvat argumentari: Ex iis locis non modo colligitur in prioribus Ecclesiæ sæculis usurpatas non fuisse imagines, sed nec posse unquam licite usurpari & coli; in quibus testantur Patres ejuscemodi cultum divina lege etiam pro Christianis prohibitum; atqui in præfatis locis Patres testantur omnem imaginis cultum lege divina fuisse prohibitum; eamque legem censent pro Christianis valere: quandoquidem ex illa inferunt nefas esse Christianis habere, asservare, exponere, & venerari imagines: ergo licitus non est imaginum cultus.

Dist. min. Patres pene omnes & singuli testantur omnem imaginum cultum esse divina lege vetitum spectatis

tem-

temporum circunſtantiis, C. in ſe & abſolute ſpectatum, N. Mirum igitur videri non debet, quod ubi autores eccleſiaſtici ſcripſerunt adverſus gentiles, & in iis temporibus in quibus nondum uſus percrebuerat exponendi & colendi imagines, ad Chriſtianos etiam ætatis ſuæ extenderint legem Moſis quæ omnem exterminat imaginem, quos nempe eadem tunc temporis urgebat ratio, imminens ſcilicet idololatriæ periculum, qua ætate pagana multum dominabatur ſuperſtitio.

Tertulliani alius profecto non eſt ſenſus, ut videre eſt ex iiſdem objectis locis, in quibus inſurgit in falſorum numinum adorationem, unde ait arte diabolica prodiiſſe imagines; qui tamen Chriſtum depingi in calicibus ſacris ſub imaginem boni paſtoris ægre non tulit, quia nullum eſt idololatriæ periculum. Eademque eſt mens Clementis Alexand. & Origenis ut indicant eorum teſtimonia. Aliorum vero qui ſequuntur loca probant ſolum nondum fuiſſe in illis Eccleſiis uſurpatas imagines, quod nullum ſane præjudicium affert huic piæ & laudabili conſuetudini, quam ſecutis temporibus amplexa eſt Eccleſia de ſervandis, exponendis & colendis imaginibus.

Inſtabis: ex præfatis ſanctorum Patrum locis non modo efficitur tunc temporis nullas fuiſſe imagines, ſed nullas unquam haberi & coli poſſe a Chriſtianis; ſiquidem iis argumentis utuntur Patres adverſus Paganorum idola, quæ ſimiliter condemnant omnem imaginum cultum; ideo enim improbant paganorum idola, quia ſunt opera manuum hominum, quia facta ſunt ex materia vili & inanimata, quia ſenſu omni carent, quia vix fieri poteſt ut qui orat intuens ſimulacrum, ab eo exaudiri non ſperet, quia ſoli Deo honor debetur, & alia id genus; ex quibus ſic confici poteſt argumentum: Rationes a ſanctis Patribus adductæ ad everſionem idolorum, æque militant adverſus cultum imaginum, ac adverſus idola gentilium: ergo qua ratione nunquam poterat eſſe paganis ſuorum idolorum cultus, ita nec Chriſtianis ſuarum imaginum.

Diſt. ant. æque militant, ſuppoſito periculo idololatriæ, habita ratione loci & temporis, C. ſublato periculo idololatriæ, & in qualibet circunſtantia, puta in illis locis in quibus imagines ad pietatem proſunt, & ideo ſunt in uſu, N. ſcilicet ubi manifeſtum impendet idololatriæ periculum ex cultu imaginum; ſtatim in hunc cultum hæc penitus omnia proponi poſſunt argumenta, quæ & in ipſam idololatriam; ſecus vero ubi nulla eſt idololatriæ ne minima quidem ſuſpicio.

Inſtabis; Ethnici non colebant idola ſua tanquam Deos, ſed ſolum ut eorum imagines, ut colligitur ex Celſo apud Origenem lib. 7. Athenagora in legatione pro Chriſtianis, Arnobio lib. 6. adverſus gentes, & Lactantio lib. 10. Inſtit. div. cap. 2. quorum quidem Scriptorum teſtimonia ſupra deſcripſimus, adeoque in eorum cultu nulla erat idololatria: atqui tamen criminis accuſantur a ſanctis Patribus, eo quod nempe imagines colerent, muta ſcilicet & ſurda ſimulacra, quæ nullo prorſus honore, nulla venerationis ſignificatione digna ſunt: ergo etiam ſemota quavis idololatria, omnis imaginum cultus eſt illicitus in mente veterum Patrum.

Primo nego maj. & dico Ethnicos ſenſiſſe ſua ſimulacra eſſe Deos, eaque coluiſſe ut vera numina quæ invocabant, & in quibus ſpem ſuam omnem collocabant, ut diſerte probant antiqui Scriptores ſuis paſſim adverſus gentiles lucubrationibus, ita v. g. inter cæteros Tertullianus, Apologetici cap. 10. *Deos veſtros colere deſinimus, ex quo illos non eſſe cognoſcimus. Hoc igitur exigere debetis, uti poſſumus non eſſe illos deos, & id-*

& idcirco non colendos, *quia tunc demum coli debuissent*, *si dii fuissent; tunc & Christiani puniendi*, *si quos non colerent*, *quia putarent non esse*, *constaret illos deos esse. Sed nobis*, *inquitis*, *dii sunt. Appellamus & provocamus a vobis ad conscientiam vestram*, *illa nos damnet*, *si poterit negare omnes istos deos vestros homines fuisse*. Unde totus est Tertullianus paginis sequentibus, ut ostendat vel homines esse, vel meras statuas ex ligno quodam vili aut quopiam metallo factas, quos tanquam deos invocabant & adorabant Gentiles; *Quantum igitur de diis vestris*, inquit cap. 12. *nomina solummodo video quorumdam veterum mortuorum & fabulas audio*, *& sacra de fabulis recognosco; quantum autem de simulacris ipsis nihil aliud deprehendo*, *quam materias sorores esse vasculorum instrumentorumque communionem .... sed nobis dii sunt*, *inquitis. Et quomodo vos e contrario impii & sacrilegi*, *& irreligiosi erga deos vestros deprehendimini*, *qui quos praesumitis esse*, *negligitis; quos timetis*, *destruitis; quos etiam vindicatis*, *illuditis?*

Item Arnobius lib. 1. adversus gentes, Ethnicis Christianos crimine & infamia accusantibus, quod hominem natum tanquam Deum colerent, Christum videlicet, hoc pacto respondet: *Quid enim vos hominem nullum colitis natum? non unum & alium? non innumeros alios? Quinimmo non omnes quos jam in templis habetis vestris*, *mortalium sustulistis ex numero*, *& cælo syderibusque donastis? .... Si vos Liberum quod usum reppererit vini*, *si quod panis Cererem*, *si Æsculapium quod herbarum*, *si Minervam quod oleæ; si Triptolemum quod aratri*, *si denique Herculem quod feras*, *quod fures*, *quod multiplicium capitum superavit compescuitque nutrices*, *divorum retulistis in cœtum*, *honoribus quantis afficiendus est nobis*, *qui ab erroribus nos magnis inusitata veritate traduxit*, *&c.?* Porro si per divos qui celebrantur ab Ethnicis, non intellexissent nisi quasdam summi Dei virtutes, nullum plane fuisset Arnobii ratiocinium, præter quam quod putat illos deos fuisse apud paganos vera numina, quemadmodum Christus tanquam verus Deus colitur a Christianis; quod idem docent Minutius Felix in Octavio, & alii passim, qui hunc crassum false irrident in paganis errorem, quod ut vera numina adorabant ligna, lapides, ossa, pecudes, solem, lunam, & alia id genus creata & inanimata. Quis vero id criminis ipsis affinxisse sanctos Patres, & in ejuscemodi argumentis aera verberasse stolide crediderit?

Secundo, licet inter paganos quidam eruditiores non opinati fuerint sua idola esse deos, & in iis quamdam numinis vim insidere, ea certe omnium vulgo de plebe apud ipsos crassa & ridenda fuit opinio; quod sufficit ut merito contendamus crimen idololatriæ tunc temporis fuisse a sanctis Patribus impugnatum, non autem præcise cultum imaginum, qualis est jam pridem introductus apud nos; qui nec putamus imagines nostras esse Deos, nec iis inesse ullam numinis virtutem insidentem.

Instabis. Ajunt multi Patres hæreticum esse colere imagines, hanc praxim hæreseos nota inurunt; ibi vero non loquuntur de idololatria, vel de imaginibus quæ in crimen idololatriæ inclinare videantur, sed imagines in se & præcise, earumque cultum redarguunt; ita v. g. S. Irenæus l. 1. c. 24. loquens de Gnosticis, *Etiam*, inquit, *imagines quasdam quidem depictas*, *quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent*, *dicentes formam Christi factam a Pilato illo in tempore quo fuit Jesus cum hominibus*, *& has coronant*, *& proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum*, *videlicet cum imagine Pythagoræ*, *& Platonis*, *& Aristotelis*, *& reliquorum*, *& reliquam observationem*

nem circa eas similiter, ut gentes faciunt. S. Epiphanius idem redarguit in Carpocratianorum hæresi; *Habent*, inquit, *imagines per colores depictas, quidam etiam ex auro & argento, & reliqua materia, quas sane imagines Jesu esse dicunt, & a Pilato factas esse. Habent autem eas occulte, insuperque Philosophorum quorumdam, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis & aliorum, cum quibus etiam alias imagines Jesu collocant, collocatasque adorant, & gentium mysteria perficiunt*. Quæ plane eadem scribit S. August. lib. de hæres. cap. 7. ubi de Carpocrate: *Sectæ ipsius*, inquit, *fuisse traditur socia quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu & Pauli & Homeri & Pythagoræ*. Ergo Patres nefas esse putarunt Christianis colere imagines.

Dist. conf. Nefas esse putarunt colere imagines ritu gentilium plane illicito, C. colere quocumque ritu, N. Mens illorum Patrum intelligitur abunde ex ipsorum verbis; siquidem redarguunt hæreticos, quod in cultu imaginibus delato, gentiles æmulabantur; statuas scilicet erigebant, sertis coronabant, eosdemque Pythagoræ, Platonis & Aristotelis imaginibus, ac ipsius Christi, deferebant honores, quod citra impietatem fieri non potest.

Objicies autoritatem S. Gregorii Magni summi Pontificis, qui duabus in Epistolis, dum Serenum Massiliensem Episcopum objurgat, quod fregerat imagines, & ex omnibus templis ejici jusserat, eas aperte docet nullo afficiendas honore, sed solum ut rudioribus utiles, ut imperitorum libros, esse retinendas. *Perlatum ad nos fuerat*, inquit Epist 9. lib. 9. *quod inconsiderato zelo succensus Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, adorari debuissent, confregeris; & quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus, fregisse vero reprehendimus .... aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere; nam quod legentibus Scriptura hoc idiotis præstat picturam cernentibus, quia in ipsa etiam ignorantes vident quid sequi debeant, in ipsa legunt qui litteras nesciunt ..... frangi vero non debuit, quod non adorandum in Ecclesia, sed ad instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum .... convocandi enim sunt dispersi Ecclesiæ filii, eisque Scripturæ sacræ testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorari non licet, quoniam scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Ac deinde subjungendum est, quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes litteras ipsam historiam intendentes, quid actum sit discerent, quia transiisse in adorationem videras, idcirco commotus es, ut eas imagines frangi præciperes, atque eis dicendum: Si ad hanc instructionem ad quam imagines antiquitus factæ sunt, habere vultis in Ecclesia eas modis omnibus & fieri, & haberi permitto; atque judica quod non tibi ipsa visio historiæ, quæ pictura teste pandebatur, displicuerit, sed illa adoratio quæ picturis fuerat incompetenter exhibita .... sed hoc sollicite fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur*; ubi nempe cum Sereno consentit Gregorius non esse colendas imagines. Idem jam Sereno scripserat lib. 7. Epist. 110.

Dist. ant. Docet S. Gregorius adorandas non esse imagines adoratione, ut ait, incompetenter exhibita, C. qualibet adoratione, aut potius nullo cultu esse afficiendas, N. Hanc esse Gregorii mentem constat:

Primo ex iisdem Epistolis, in quibus suam sententiam Sereno significat, probatque ex eo Scripturæ testimonio, in quo sola latriæ adoratio condemnatur, *quia*, inquit, *omne manufactum adorari non*

non licet, *quoniam scriptum est*, *Dominum Deum tuum adorabis*; unde summus Pontifex autor est Sereno, ut palam omnibus dicat sibi solummodo displicuisse adorationem *incompetenter* exhibitam, hoc est, quod imaginibus illud adorationis genus deferretur, quod soli Deo debitum est.

Secundo, quia multa profert ibidem S. Gregor. quæ honorariam imaginum venerationem produnt; dum enim adversus intemperantiorem Sereni zelum insurgit, qui e suis diœcesanis Ecclesiis fractas disjecerat imagines; ait 1. inconsiderati zeli specimen fuisse frangere imagines, id esse ab Ecclesiæ doctrina prorsus alienum, quod manifeste hæreticis nostris adversatur, qui Christi & Sanctorum imagines & evertunt, & comburunt. 2. Præcipit ut in Ecclesiis exponantur ad rudiorum mentes instruendas, in hoc autem nonnullus est honor, nonnulla veneratio. 3. demum, testatur eas esse in ædificationem populi, & quidem antiquitus factas.

Quibus accedit quod docet in duabus aliis epistolis, quarum una est ad Januarium, quinta nempe lib 7. altera vero ad Secundinum quæ est 54. ejusdem libri, In priori quidem, ad Januarium scribens; Calaritanum Præsulem, occasione cujusdam e Judæo Christiani, qui in Synagogam Judæorum temere intulerat quamdam imaginem genitricis Dei Dominique nostri, & ut ait, *venerandam* crucem, quod factum omnibus displicuerat, mandat Januario, *ut sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione*, *imagine atque cruce*, *debeat quod violenter ablatum est*, *reformare*.

Et in posteriori ad Secundinum Epist. ei mittens imaginem quam petierat, *Imagines*, inquit, *quas tibi dirigendas per Dulcidium Diaconum rogasti*, *misimus*; *unde valde nobis tua postulatio placuit*, *quia illum toto corde*, *tota intentione quærit*, *cujus imaginem præ oculis habere desideras*, *ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum*, *ut dum picturam illius vides*, *ad illum animo inardescas*, *cujus imaginem videre desideras*. *Abs re non facimus*, *si per visibilia demonstramus*; *sic homo qui alium ardenter videre desiderat*, *aut sponsam amans videre conatur*, *si contigerit eam ad balneum aut ad Ecclesiam ire*, *statim per viam incedenti se præparat ut de visione ejus hilaris recedat*. *Scio quidem quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis*, *ut quasi Deum colas*, *sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas*, *cujus te imaginem videre desideras*: *& nos quidem non quasi ante divinitatem*, *ante illam prosternimur*, *sed illum adoramus quem per imaginem aut natum aut passum*, *sed & in throno sedentem recordamur*. Quibus verbis ad cultum imaginibus afferendum nihil plane luculentius afferri potest ab iis etiam communionis nostræ Theologis, qui post Tridentinam Synod. scripserunt; quippe hoc unum ait reprehensione dignum in cultu cujusdam imaginis, quod tanquam Deus colatur, quod ante illam velut ante imaginem prosternamur, alium vero cultum qui sit imaginis, non prototypi, manifeste approbat.

At, inquit Dallæus, si Gregorius solum rejecisset nimiam & incompetentem imaginum cultum, certe legitimum ab illicito distinxisset; sed nullum excipit, nullum affingit, & omnem adimit imaginibus: ergo tunc temporis illicitus habebatur.

Resp. 1. negando min. ut enim modo diximus, multa profert Gregorius, quæ aliquam honorariam venerationem significant. 2. Attendi debet quod fuerit ipsius propositum, quæve scribendi occasio; ex una parte enim Serenus Episcopus nimio zelo succensus & infensus imaginibus, & ex altera in cultum imaginum propensior videbatur populus Massiliæ, unde prudenter se gessit summus Pontifex cum Sereni zelum improbavit, & sobrie imaginum cultum explicuit,

cuit,

cuit, paucioribus admodum ejusdem signis exterioribus recensitis. Præterquam quod fatendum est nondum hoc Ecclesiæ sæculo in usu positum fuisse, ut quam multis exterioribus signis cultum pro imaginibus suum testificarentur fideles; sensim enim ac sine sensu sua habuit incrementa, sed ut nullum sit Calvinistis fundamentum Catholicos redarguendi propter cultum imaginum, satis est quod cultus ille non fuerit in se & absolute improbatus in Ecclesia tanquam malus & illicitus, quod certe ex præfatis sancti Gregorii Magni Epistolis ostendere non possunt.

Objicies. Ab imaginum cultu longe abfuit universa fere Ecclesia Occidentalis, aut saltem tota Gallia cum Germania ad initium noni sæculi, idque tribus potissimum monumentis ostenditur, quæ nempe doctrinam exhibent Gallorum, Germanorum, vel etiam Hispanorum, qui summa vi in Synodum Nicænam, & in cultum imaginum ab illa assertum paulo post insurrexerunt; sunt autem monumenta hæc, quatuor libri qui Carolini dicuntur, Concilium Francofordiense, & Synodus Parisiensis.

Ac primo quidem in quatuor suis libris totus est Carolus Magnus, vel quivis alius qui hujus Imperatoris nomine scripsit, ut omnem nullo excepto eliminet imaginum cultum, & Nicænam Synodum, ejusque argumenta penitus convellat. Lib. 1. cap. 2. ait imagines nove ac periculose a Nicænis appellari sanctas, quibus nempe sanctitas neque ab arte, aut ab aliqua consecratione accedit. Cap. 9. ejusdem libri explicat quo sensu Abrahamus Gethi filios, Jethronem Moses, Nathan Davidem adorasse in Scripturis, dicantur, nimirum salutationis gratia; neque ista perperam & imperite ad imaginum cultum trahi posse.

Libro 2. cap. 5. 6. 7. 8. 9. & sequentibus, quam Nicæni constituunt imaginum adorationem, probat neque per Patriarchas, neque per Prophetas, neque per Apostolos, neque per Apostolicos viros uspiam institutam fuisse; capite 3. & sequentibus respondet ad ea quæ afferunt Nicæni Præsules ex Sylvestro, Athanasio, Ambrosio, Augustino, Gregorio Nysseno, Joanne Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, Eusebio, Concilio sexto, &c. Cap. 24. probat ex Scripturis solum Deum religioso cultu colendum. Cap. 26. imagines sine errore coæquari non posse cum arca veteris Testamenti. Cap. 28. cum Dominica Cruce. Cap. 29. cum sacratis vasis. Cap. 30. cum libris sacris.

Ac ne quis cavillator, inquit Dallæus, hic obtrudat solemnem latriæ & duliæ, cultusve absoluti & relativi distinctionem, Carolus omnem omnino adimit imaginibus in religione cultum, non adorationem modo divinitati debitam, sed etiam *cultum*, lib. 3. c. 23. & lib. 3. c. 18. *observationem*. lib. 2. c. 29. *venerationem*. lib. 2. cap. 30. tum honorem qui *collo inflexo vel capite summisso exhibetur*, ibidem cap. 1. vel *thuris & luminarium oblationem*, ibidem cap. 11.

Præterea lib. 3. cap. 11. Carolus imprudentiæ arguit Patres Nicænos, quod anathema dixerint totius mundi Ecclesiis quæ non adorant imagines. Et cap. 24. sanctorum Martyrum & Confessorum reliquiis & vestibus imagines a Nicænis in honore coæquari indignatur.

Denique lib. 4. cap. 13. ait Nicænam hanc Synodum longe & ultra quam dici potest ab illa distare, quæ olim in eadem urbe contra Arii perfidiam habita fuerat. *Cum illa*, inquit, *Ecclesiam Catholicam ab errore reducat, ista e contrario in errorem inducat: illa a periculosissimo Arii naufragio eam depellat, ista eam in adorandarum imaginum naufragium coactam impellat: illa Filium Patri esse consubstantialem & coæternum perdoceat; ista res insensatas adorare persuadeat, &c.*

Secundum Ecclesiæ Occidentalis monumentum adversus cultum imaginum, est Concilium Francofordiense, quod idem Carolus M. Francofordiæ ad Mænum habuit anno 794. convocatis ex Gallia, Germania, Britannia atque Italia, trecentis aut amplius Episcopis, non solum ut Felicis & Elipandi hæresim proscriberent, sed ut in ea quæ de imaginibus Nicæna Synodus statuerat, sedulo inquirerent. Id porro canone secundo definierunt. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Ubi Patres isti diserte Synodum Nicænam damnant, quod cultum imaginibus adjudicaverit.

Neque audiendi sunt nonnulli e nostris, qui scripserunt Synodum hoc in canone confixam, non esse Nicænam, sed Constantinopolitanam Iconoclastarum anno 754. habitam; tum quia eam constat condemnatam Synodum ab Episcopis Francofordiensibus, quæ pro adorandis imaginibus celebrata fuerat, ut ipsissimus canonis textus indicat: tum quia autor anonymus vitæ Caroli Magni, Adhelmus Monachus in Annalibus, Hincmarus in opusculo 55. capitum c. 20. Ado Viennensis in Chronico ad an. 794. & cæteri propemodum innumeri Annales, certos ei Synodo caracteres tribuunt, qui in solam Nicænam cadunt, dum nempe ajunt illam pro adorandis imaginibus habitam, a Constantino & Irene convocatam, & Carolinis libris confutatam.

Quin etiam somniavit profecto Cointius in Annalibus Eccles. Francorum tomo sexto, ubi ait Canone secundo Synodi Francofordiensis perstringi non Synodum Nicænam, quæ septima est œcumenica, nec nisi honorariam imaginibus venerationem detulit, sed aliam Nicænam ex Episcopis superstitiosioribus paulo post conflatam; siquidem hæc Synodus est omnino fictitia, nec ejus uspiam extant monumenta; aliunde vero qui libros Carolinos cum septimæ Synodi actis contendere voluerit, videbit illico non aliam ab Episcopis Gallicanis, & consequenter a Concilio Francofordiensi fuisse impugnatam.

Tertium Ecclesiæ Occidentalis monumentum, quod in Synodum Nicænam, & cultum imaginum merito profertur, est Concilium Parisiense jussu Ludovici Pii, Regis Francorum & Imperatoris, habitum anno 824. ubi Gallicani Præsules, re in deliberationem missa, Epistol. ad Ludovicum & Lotharium Imperatores scripsere, qua testantur se primum legisse Epistolam Adriani Papæ pro erigendis imaginibus ad Constantinum & Irenem datam, qui, inquiunt, *juste reprehendit illos, qui imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere, & penitus abolere præsumpserunt; sic indiscrete noscitur fecisse in eo quod superstitiose eas adorare jussit, pro quarum etiam causa Synodum congregari præcepit, & sua autoritate sub jurejurando censuit ut erigerentur, & adorarentur & sanctæ nuncuparentur; cum eas erigere licitum, adorare vero nefas sit. Inseruit etiam in eadem Epistola quædam testimonia Sanctorum Patrum, quantum nobis datur intelligi valde absona, & ad rem de qua agebatur, minime pertinentia. Ex hujus namque Epistolæ textu Imperator & Clerus, simulque & populus autoritatem sumentes, Synodum fecerunt, in qua, sicut illi multum deviaverunt, qui imagines Sanctorum in illa Synodo, quæ sub Constantino avo memorati Constantini facta est, penitus abdicandas esse decreverunt; sic isti non mediocriter erraverunt, qui eas non solum coli & adorari & sanctas nun-*

nuncupari sanxerunt, *verum etiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt*. Tum Caroli Magni pietatem & prudentiam extollunt, qui pro virili Nicænorum superstitioni restitit; ac demum innumera Scripturæ & sanctorum Patrum loca colligunt, ut inde inferant nullum imaginibus exhibendum esse cultum.

Quibus monumentis & addi merito potest Britannicæ Ecclesiæ de Nicæna Synodo sententia, quæ depromitur ex Regis Offæ vita apud Rogerium de Hoveden, his verbis: *Anno 792. Carolus Rex Francorum misit synodalem librum ad Britanniam sibi a Constantinopoli directum, in quo libro multa inconvenientia & veræ fidei contraria reperiebantur, maxime quod pene omnium Orientalium Doctorum, non minus quam trecentorum vel amplius Episcoporum unanima assertione confirmatum fuerit, imagines adorari debere, quod omnino Ecclesia Dei execratur, contra quod scripsit Albinus Epistolam ex autoritate divinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam, illamque cum eodem libro ex persona Episcoporum ac Principum nostrorum, Regi Francorum attulit*. Eadem narrat Matthæus West-Monasteriensis ad an. 793. quæ etiam apud Simeonem Dunelmensem, & in Historia Roffensi, & in Saxonico Sermone parte ultima testatur Henricus Spelmannus tom. 1. Concil. Britanniæ.

Ex quibus manifeste colligitur omnem imaginum cultum universæ Occidentali Ecclesiæ tunc temporis displicuisse, quem nimirum rejecerunt ut novum & Religioni Christianæ contrarium, Carolus Magnus & Gallicani Præsules, una cum Germanis, Italis & Anglicanis.

Hanc porro difficultatem ut facilius enucleare possint nonnulli e nostris, quod ad primum attinet, putant hos quatuor libros Carolo Magno perperam ascribi, qui nempe ab imperito quodam hæretico exarati sunt, & dati Carolo qui eos misit ad summum Pontificem Adrianum. Alii vero statuerunt ejuscemodi libros, recens in Lutheranorum officina fabricatos. Verum eos genuinum esse Caroli Magni opus, jam in confesso est apud omnes.

Ac 1. quidem id constat ex ipsis libris, qui ubique nomen Caroli Magni præ se ferunt; in præfatione num. 4. Autor ait se *Regni gubernacula Deo tribuente suscepisse*. Et num. 11. *Quod opus*, inquit, *aggressi sumus cum cohibentia Sacerdotum in regno, a Deo nobis concesso*. Et lib. 1. cap. 6. num. 54. Pipinum Regem genitorem suum vocat, *Venerandæ memoriæ genitoris nostri Illustrissimi atque Excellentissimi viri Pipini Regis cura*.

Secundo, Hujus rei fidem facit Epist. Adriani I. ad Carolum Magnum, qua notum est hos libros Romam missos fuisse ab Imperatore per Angilbertum Abbatem; ait enim Adrianus, *inter quæ edidit nobis Capitulare adversus Synodum quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est*. Sunt autem ipsi quatuor Libri Carolini, quibus respondet Adrianus.

Tertio, Id probatur ex Epist. Synodica Concilii Parisiensis sub Ludovico Pio ad Ludovicum & Lotharium data. *Eamdem porro Synodum*, inquit, *cum sanctæ memoriæ genitor vester coram se suisque perlegi fecisset, & quædam capitula prænotasset, eaque per Angilbertum Abbatem eidem Adriano Papæ direxisset*.

Quarto, Id invicte ostenditur ex testimonio Hincmari, qui libro contra Hincmarum Laudunensem cap. 20. loquens de Synodo Nicæna hæc scribit: *De cujus destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore*, Carolo, *Romam est per quosdam Episcopos missum, in cujus voluminis quarto libro hæc de universalis nomine scripta sunt*. Ubi Hincmarus vigesimum octavum libri quarti caput describit, quod idem plane est

cum

cum eo quod legitur in hodiernis Libris Carolinis.

Atque id præterea confirmant varii manuscripti codices antiquissimi, qui prodierunt circa medium sæculi decimi sexti opera Tilii Meldensis Episcopi, hunc præ se ferunt titulum: *Incipit opus Illustrissimi & Excellentissimi seu spectabilis viri Caroli Magni, nutu Dei Regis Francorum, &c.* quibus positis, jam venit enucleanda proposita difficultas.

Sunt qui cum Petavio fateantur, omnes tunc Gallicanos Antistites, qui septimæ Synodo œcumenicæ restiterunt, censuisse imagines habendas esse, nec penitus abolendas; sed ita ut illis nullus honos, nulla veneratio tribueretur, quod ipsum probant, & ex Canone Concilii Francofordiensis, & ex Conventu Parisiensi sub Imperatore Ludov. Pio. Verum id & leviter & falso ab istis dictum & concessum puto; nonullum enim, ut mox demonstrabimus, cultum imaginibus adjudicarunt tunc temporis Patres Gallicani.

Est autem altera responsio quæ communis est & pervulgata apud omnes fere Theologos, qua dicunt Libros Carolinos solum cultum latriæ imaginibus abdicare, hunc scilicet latriæ cultum, inquiunt, a Synodo Nicæna sancitum errore facti arbitrabantur Gallicani Præsules & Carolus M. quo imagines propter insidentem sanctitatem colerentur, & in ipsis collocarent Christiani spem suam, & ipsis servirent. Id autem ipsis persuaserat partim æquivocum adorationis nomen, quo illa Synodus usa est, partim Constantini Constantiæ Cypri Episcopi sententia, prout in actis ejusdem Synodi Nicænæ latine redditis legebatur, his concepta verbis: *Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas imagines secundum servitium adorationis quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati emitto; & qui sic non sentiunt, neque glorificant, a sancta Catholica atque Apostolica Ecclesia segrego, & anathemati submitto.* Addunt isti Theologi totum hoc opus Carolinum sui autoris in Orientales offensionem & invidiam spirare; adeoque mirum non esse quod ex præjudicatæ mentis affectu existimaverit Nicænam Synodum cultum latriæ imaginibus sanxisse; eoque nomine ipsam impugnaverit. Ac demum supremam duntaxat adorationem soli Deo debitam impugnare libros Carolinos ex singulis fere hujusce operis capitibus ostendunt.

Verum & cordate fatebor, vehementer mihi displicet ista responsio; præterquam quod enim omnem fere alium cultum a latria rejecit Carolus Magnus, qui ferre non potest ut coram imaginibus possit quis procumbere, caput aperire, luminaria accendere, & alia id genus; profecto mihi non venit in mentem Carolum Gallicanosque Præsules errore facti laborasse circa mentem Patrum Nicænorum super imaginum cultu, quasi existimaverint Patres Nicænos voluisse imaginibus cultum & supremam latriæ adorationem attingere; & quidem puto hujuscemodi responsione gravem impingi contumeliam nostratibus Gallis, qui non ignoratione sed malitia tantæ impietatis inculassent Præsules Nicænos.

Et ratio est quia non modo iidem Patres Nicæni in votis nunquam habuerunt cultum latriæ Deo soli debitum, Christi Sanctorumque imaginibus ascribere; non modo id expresse negaverunt multis in locis, sed, quod rei summa est, id agnovit autor librorum Carolinorum, qui aperte & sine fuco commemorat eos uti solere distinctione duplicis cultus, & alium plane cultum Deo, alium imaginibus longe inferiorem ascribere. Lib. 1. cap. 14. de Nicænis Patribus verba faciens, *Ajunt enim*, inquit, *benedixit Jacob Pharaonem, sed non ut Deum benedixit, adoramus nos imaginem, sed non ut Deum adoramus.* Et lib. 3. c. 17. nonnulla alia Nicæno-

norum verba sic refert : *Errorem*, inquit, *illi videntur plebibus ingerere palliatum. Ajunt enim : Non adoramus imagines ut Deum, nec illum divini servitii cultum impendimus; sed dum illas aspicimus & adoramus, illo mentis nostræ acumen defigimus, ubi eos quorum illæ sunt, esse non ignoramus*. Idem Scriptor lib. 3. cap. 18. hæc Euthymii Sadrensis Episcopi recitat verba : *De toto corde suspicio venerandas imagines cum condecenti honore & amplectibili adoratione*. Denique totus est Carolus Magnus l. 4. cap. 23. ut refellat quod Nicæni Patres ad tuendum suum dogma *adorandi* vocabulum interpretabantur de quadam honoraria veneratione, quæ multum ab adoratione Dei & servitio differt; quæ omnia, quoniam non ignoravit Carolus librorum autor, non potuit errore facti laborans existimare Patres Nicænos eundem imaginibus ac ipsi Deo cultum tribuisse, adeoque hanc impietatem ut ab illis expresse assertam explodere.

At, inquiunt, totus est tamen Carolus in libris istis, ut impugnet adorationem latriæ, quæ soli Deo debetur, l. 1. c. 2. Id probat ex eo Scripturæ testimonio, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi servies*. Cap. 18. probat spem non esse collocandam in imaginibus. Cap. 24. tribuit Patribus Nicænis, quod imaginibus supplicandum senserint. Lib. 2. cap. 7. quod christianæ justitiæ præcipuam partem in adoratione imaginum positam arbitrati sint, & sic in toto operis decursu.

Ego vero fateor utique non uno in loco, sed centies Carolum crimini vertere Patribus Nicænis, quod adorationem soli Deo debitam tribuerent imaginibus & picturis, sed contendo ibi nullum esse errorem facti, quasi Carolus & cum eo Gallicani Germanique Præsules, tam crassæ stoliditatis reos putaverint Nicænos Patres, qui mentem suam & doctrinam satis superque aperuerant, ut mox ostendimus; unde hoc ipsis exprobrant, consequentia, ut moris est in disputationibus, ducta ex eorum principiis. Scilicet cum Patres Nicæni ejuscemodi cultum detulissent imaginibus, qua poterant fideles coram illis procumbere & adgeniculari, incensa & luminaria ipsis offerre, eas deosculari, preces coram fundere, & alia id genus : profecto ab hisce usibus multum alieni nostrates, apud quos nondum percrebuerat ejuscemodi cultus, qui e contra solum Deum his exterioribus signis venerari solebant; statim summa vi clamarunt Nicænos Episcopos imaginibus eum deferre cultum qui soli Deo debitus est, sed ibi, ut facile quivis perspicit, nullus erat error facti.

Quod autem legisse dicatur Carol. M. sententiam Constantini, Constantiæ in Cypro Episcopi, his conceptam verbis, quibus aperte significabat se *venerandas imagines suscipere secundum servitium adorationis, quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati debetur*, plane frivolum est ut ostendatur nostrates Gallos circa doctrinam Nicænorum errore facti fuisse detentos; inde enim tantum sequitur unum ex Episcopis, non omnes Concilii Episcopos idem & par servitium tribuisse imaginibus & Deo. Atque Constantinum ultra longe progressum fuisse ac alios Patres Nicænos agnoscit ipse Scriptor Carolinorum l. 3. c. 17. cum præsertim expressam habeamus Patrum Nicænorum professionem, qua fidem suam hac in parte non semel liberant, idque nec ignoraverit, nec dissimulaverit Carolinorum autor.

Neque dicas præfatam solutionem locum habere saltem ad respondendum definitioni Patrum Francofordiensium, quos aperte constat haud fida versione septimæ Synodi delusos, quæ enim tanquam verba Concilii septimi laudant Patres Francofordienses, hodie in ejusdem Nicænæ Synodi actis nusquam comparent; ajunt autem se legere scriptum in

in quo habetur, *ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathemate judicarentur*.

At, inquam, ibi nullus est error facti, scilicet Patres Francofordienses habebant præ oculis acta Synodi Nicænæ, in quibus diserte profitebantur Nicæni Præsules se non adorare imagines, duplicem distingui debere cultum, latriæ & honorarium, cultum latriæ non esse debitum imaginibus, &c. Hæc ignorare non potuerunt Francofordienses, nec ad invidiam dissimulare; quapropter ut & ipse Carolus, dicunt Nicænos Episcopos idem servitium imaginibus tribuere, ac Trinitati, quia putant hunc cultum quem Nicæni imaginibus ascribunt, esse soli Trinitati debitum, consequentia ducta ex eorum verbis, non autem quod errore facti circa illorum doctrinam laborarent.

Respondeo itaque ideo tam acriter tamque vehementer Gallicanos Præsules una cum Carolo Magno Nicænis obstitisse, quia inusitatus plane & ipsis inauditus erat ille imaginum cultus quem sanxerat Nicæna Synodus tot signis exterioribus insignitum, puta deosculationibus, Thymiamatibus, incensis, luminaribus coram accensis, adgeniculationibus, capitis inflexionibus, &c. alia fuit eorum mens, quia erat apud eos alia disciplina; & quia ritus hi externi honorarii nonnisi soli Deo apud eos tunc temporis impendebantur, timuerunt ne cultus quoque interior Deo exhibitus, cum cultu interiori imaginibus delato confunderetur, adeoque hæc imaginibus honorificentiora signa imperitis saltem & rudioribus errandi præberent occasionem. At in ejusmodi altercatione quæstio non versabatur de ipso cultu, sed de modo deferendi cultum; non tam cultum verum imaginum damnant Gallicani Germanique Præsules, quam superstitiosum, & incompetentem reformidant; adeoque solum penes variam disciplinam, non autem quoad ipsum fidei dogma cum Græcis pugnarunt.

Atque id ex eo potissimum ostenditur, quod autor Carolinorum permittit aliquem cultum, aliquam exhiberi imaginibus venerationem lib. 3. c. 16. *Nam*, inquit, *dum nihil nos in imaginibus spernamus præter adorationem, quippe qui in Basilicis Sanctorum imagines, non ad adorandum, sed ad memoriam rerum gestarum & vetustatem parietum habere permittimus*. At in Ecclesiis collocari non possunt imagines, quin ipsis nonnullus deferatur honor. Et postea periculosam ait indoctis venerationem imaginum, licitam vero peritioribus. *Nam etsi*, inquit, *a doctis quibusque vitari potest, hoc quod illi in adorandis imaginibus exercent, qui videlicet non quid sint, sed quid innuant, venerantur; indoctis tamen quibusque scandalum generant, qui nihil aliud in his, præter id quod vident, venerantur & adorant*.

Idem Autor lib. 2. cap. 23. docet circa imagines retinendam esse doctrinam S. Gregorii Magni ubi recensitis ejusdem ad Serenum Massiliensem verbis, *Ecce*, inquit, *quo magisterio, quove documento venerandi Pontificis imbuti, imagines in Ecclesiis habere non renuimus, sed earum adorationem prorsus abdicamus*. Adorationem appellat quæ certis signis exterioribus inusitatis manifestetur, non omnem vero cultum; quippe sinit ut honorifice collocentur in Ecclesiis; vetat ne frangantur, ne disjiciantur; id diserte prohibuerat Gregorius summus Pontifex; cujus hic integra recoli debet super imaginum cultu doctrina, quam nimirum amplexi sunt Gallicani Præsules.

Denique lib. 4. cap. 18. indicat se ab omni cultu non abhorrere, quem ait usurpari posse, ni timendi essent abusus. *Non enim*, inquit, *nos imagines in basi-*

basilicis positas idola nuncupamus, sed ne idola nuncupentur, adorare eas & colere, eisque servitium impendere recusamus; quoniam plerumque non res, sed causa rei pro scelere reputatur; dum videlicet multa quibus bene potest uti, male usa in flagitium convertuntur, sicque una eademque res bene utentibus non est causa piaculi, & male utentibus est causa periculi. Idque recte confirmant Gallicani Præsules in Concilio Parisiensi, ubi non quemlibet cultum imaginibus adimunt, sed *indiscretum* duntaxat & superstitiosum.

Hinc vero manifeste liquet variam quidem & diversam tunc temporis fuisse super imaginum cultu disciplinam in Ecclesiis; sed in eo nostrates cum Græcis quoad ipsum fidei dogma non pugnasse constat, quia dogma fidei super imaginum cultu in eo consistit, quod non frangantur, non comburantur, non despiciantur imagines; tum vero in eo quod cultus ab universali Ecclesia approbatus, non dicatur per sese malus, nefarius, illicitus; atqui Præsules Occidentalis Ecclesiæ, etiam ii qui summa vi Synodo Nicænæ restiterunt, censent imagines non esse frangendas, non despectui habendas; immo cum Gregorio Magno summo Pontifice honorifice collocandas in Ecclesiis; præterea dicunt aperte earum cultum non esse nefarium, quem scilicet doctis & bene utentibus permittunt, ut videre est in præfatis Libris Carolinis; ergo in ista varia ac diffidente Ecclesiarum praxi, non fuit ulla quoad fidem pugna & dissensio.

Neque vero mirum videri debet, quod tam acriter Nicænam Synodum impetant Præsules nostri; siquidem eam tunc temporis pro œcumenica non habebant, ut aperte declarat Carolus lib. 4. c. 13. his verbis: *Insolenti prætera desiderio tam isti, quam eorum prædecessores Synodum ambiunt agitare, eamque sex venerabilibus Synodis associare, & septimæ Synodi nuncupatione censere.* Tum c. 28. ejusdem libri, *Inter cætera deliramenta quæ in eadem Synodo vel gesta vel scripta dicuntur, hoc quoque non omnibus eorum deliramentis minus est, quod eandem Synodum universalem nuncupant.* Cui nempe Synodo nonnisi longe post ejusdem celebrationem accessit universæ Ecclesiæ consensus.

His addi potest Græcis infensos tum fuisse Gallos ob quasdam ab iis acceptas contumelias, unde nata sunt inter utramque gentem partium studia & invidia. Hinc Constantinum & Irenem false irridet Carolus Magnus, quod seipsos prædicarent in epistola ad Papam Adrianum, his verbis: *Elegit nos Deus qui in veritate quærimus gloriam ejus*, quod gentili more de Deo scripsissent, *Rogamus tuam paternitatem*, quod superbe addunt, *per eum qui conregnat nobis Deus.* Synodum Nicænam ridet, quod mulierem institutricem & doctricem habuerit Irenem.

Hinc denique tot conviciis Græcos eorumque Synodum onerat, quos ubique passim appellat indoctos, delirantes, erroris, temeritatis, & mendacii plenos, hæreticos, hæreticorum filios, qui Scripturas, apostolicas traditiones, fidemque omnem penitus evertunt, qui denique nihil nisi male, incaute, indiscrete, absurde, insipienter & temere proferunt; quæ convitia, quoniam autoris iram & offensionem spirant, causa esse debent, cur ipsius verba erga imaginum cultum paulo duriora, quoad fieri possit, emolliantur, ac benigna interpretatione donentur.

Instabis: Illi omnem penitus cultum adimunt sacris imaginibus, qui vel ipsam honoris vocem repudiant, quippe dum singula cultus signa imaginibus a Nicæna Synodo ascripta rejiciunt, aliud nullum ipsis assignant: atqui Gallicani Præsules ipsam honoris vocem repudiant, ut constat ex libro 3. cap. 16. e libris Carolinis, iique dum rejiciunt singula cultus signa, capitis inflexionem, sa-

lutationes, oscula, & alia id genus, nullum penitus aliud ascribunt imaginibus; id certe non omissuri, si quem arbitrati fuissent licite permitti posse. Neque vero nonnullum censentur imaginibus concedere honorem, cum ajunt eas posse collocari in Ecclesia; quodquidem usum, non vero cultum imaginum indicat: ergo.

Nego min. & dico nonnullum deferri honorem imaginibus, cum servantur in templis, collocanturque in locis excelsioribus, cum prohibetur ne frangantur, vel despiciantur; quod utique præstitum est ab Gallicanis Episcopis. Jam vero super cultus nomine hic argutari quicquam non attinet, quasi hæc honoris signa nullum omnino significent vel exhibeant cultum; siquidem, quoniam alterius in citatis operibus nullum apparet nobis vestigium, alium ab iis tunc temporis fuisse imaginibus assignatum affirmare non possumus.

Porro quod respondemus ad verba e quatuor Libris Carolinis deprompta, idem & reponimus canoni secundo Concilii Francofordiensis & Concilio Parisiensi, quæ nimirum eandem continent difficultatem; unde quoniam apud ipsos eadem erat praxis & disciplina ac in Galliis, eodem animo, iisdem verbis utrinque scripserunt. Quin etiam & idem plane sensus est nonnullorum Scriptorum quos hic nobis opponit Dallæus, nimirum Hincmari, Agobardi Lugdunensis, Jonæ Aurelianensis, Dungali & Walfridi Strabonis, quorum testimonia exscribemus, ne quid hac in quæstione desideretur.

Hincmarus opusculo 55. de Synodo Francofordiensi verba faciens, sic habet: *Autoritate hujus Synodi nonnihil repressa est imaginum veneratio; sed tamen Adrianus & alii Pontifices in sua opinione perseverarunt, & mortuo Carolo suarum pupparum cultum vehementius promoverunt.*

Agobardus Lugdunensis lib. de Imaginibus, probat ex Deuteronomio nullam imaginem esse licitam; *Quia*, inquit, *si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, nec in honore Dei; quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda: nec in honore eorum quorum similitudines esse dicuntur ..... dicit forsitan aliquis non se putare imagini quam adorat aliquid inesse divinum, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione donare. Cui facile respondetur, quia si imago quam adorat, Deus non est, nequaquam veneranda est, quasi pro honore Sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores .... habuerunt namque & antiqui Sanctorum imagines vel pictas vel sculptas, sed causa historiæ, ad recordandum, non ad colendum.* Ubi omnem cultum & honorem etiam relativum imaginibus adimit.

Jonas Aurelianensis Episcopus libris contra Claudium Taurinensem, qui imagines execrabatur, ait eas quidem non esse confringendas, sed nec etiam esse colendas. *Nos*, inquit, *figmenta & imagines non colimus; imagines tamen & habemus, & habentibus non præjudicamus.*

Dungalus in monasterio Sandionysiaco reclusus, regnante Ludovico Pio, eadem scripsit adversus Claudium Taurinensem, ubi diserte approbat quod definierant Præsules Synodi Parisiensis, nec frangendas, nec colendas esse imagines.

Walafridus Strabo, Augiæ divitis Abbas, libro de Rebus Ecclesiasticis c. 8. scribit quoque in cultum imaginum; *Quis enim*, inquit, *sanum sapiens contra id quod scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: & iterum, Non facies tibi omnem similitudinem eorum quæ in cælo, vel in terra, vel in aquis sub terra sunt.*

Quæ quidem testimonia otiose quidem nobis opponit Dallæus, quippe quæ disertiora non sunt ad omnem eliminandum imaginum cultum, quam alia su-

pe-

perius adducta monumenta; quin econtra puto suam causam manifeste prodere Dallæum, qui in hujusce litis judices appellat citatos Dungalum & Walafridum Strabonem, ambos imaginum cultus præclarissimos assertores.

Dungalus quidem calumniæ postulat Claudium Taurinensem, quod Christianos dixerit idololatras, *qui imaginem Christi & Sanctorum ejus pingunt & venerantur quo amore & honore Salvatoris & Redemptoris mundi, & suorum electorum*. Et postea, *His ergo omnibus superius comprehensis certissime & evidentissime patet, picturas sanctas & sanctam Domini crucem & sacras electorum Dei reliquias, dignis & congruis honoribus a Catholicis & Orthodoxis in Deo & propter Deum venerari oportere, non ut sacrificando eis divinus honor & cultus soli Deo omnium creatori debitus, sit a quoquam deferendus; sed ut in ejus amore, honore, laude & gloria sua sancta, insignia & venerabilia sua vasa, prout decet, singula eorum ab omnibus fidelibus & religiosis salva fide & non ficta honorentur & amplectantur*.

Et Walafridus Strabo longe adhuc clarius cultum imaginibus ascribit loco citato: *Nunc jam*, inquit, *de imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua... Notandum vero quod sicut quidam easdem imagines, ultra quam satis est, venerantur: ita alii, dum volunt cautiores cæteris in religione videri, illas ut quasdam idololatriæ species respuunt, & præsumptionis fastis simplicium corda scandalizant.... Cum itaque talis sit Christiani perfectio sensus, non sunt omnimodis honesti & moderati imaginum honores abjiciendi... sic itaque imagines & picturæ habendæ sunt & amandæ, ut nec despectu utilitas annulletur, & hac irreverentia ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet injuriam, nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimie impensus, arguat nos minus spiritualia contemplari*. Quæ quidem testimonia hic describere fusius non piget, quia ex iis colligi debet mens & doctrina Gallorum Germanorumque Præsulum, a quibus profecto non recesserunt suppares isti & coætanei Scriptores.

Qualis esse debeat cultus Imaginum.

ADoratio quæ persæpe cum cultu quovis & honore, seu in Scripturis sacris, seu apud Autores Ecclesiasticos confunditur, universim & in genere definitur *agnitio cujusdam dignitatis & excellentiæ quæ sit in alio*. Unde statim duplex concipitur esse cultus, unus exterior, qui externo aliquo signo, aliquo corporis gestu præbetur; alter interior, qui in mentis actione consistit, quæ conjunctim cum affectu voluntatis, exteriorem cultum veluti format atque animat.

Hinc sequitur pro differentia excellentiæ & dignitatis rei honoratæ crescere honorem, cultum, venerationem; adeoque ut naturæ Dei summa est excellentia & dignitas infinita, singularis ei debetur honor & culus, qui proinde solus, uti jam dudum usus invaluit, nomine *adorationis* donatur; hic porro non de adoratione illa, sed de cultu, honore, veneratione rei utique creatæ agimus.

Cultus duplex, unus absolutus, alter relativus; absolutus, qui in ipso objecto propter insidentem in eo excellentiam hæret; relativus, qui rei non exhibetur nisi propter aliquam cum alio habitudinem & conjunctionem.

Cultus iterum duplex est, alter negativus, alter positivus; negativus in eo positus est quod nulla rei illius fiat dehonestatio, nullus despectus. Positivus consistit in externa quadam actuali honorificentia, honoris significatione.

Cultus denique duplex distinguitur, alter politicus, seu civilis; alter vero

facer, feu religiofus. Cultus politicus alicui exhibetur propter aliquam dignitatem fæcularem, & ordinis eft naturalis, ut honor qui defertur Principibus. Cultus religiofus exhibetur propter dignitatem aliquam quæ fpectat ad religionem; eftque ordinis fupernaturalis, ut honor qui defertur Sanctis.

Cultus porro religiofus triplex folet diftingui, nempe latria, dulia, & hyperdulia. Latria foli Deo exhibetur, hyperdulia beatæ Virgini Mariæ, dulia vero cæteris Sanctis. Quibus præmiffis, nonnullæ proponuntur quæftiones.

Quæritur 1. utrum imagines fint adorandæ. 2. utrum colendæ fint cultu abfoluto vel relativo. 3. utrum idem fit cultus qui defertur imagini, & qui prototypo. 4. an fufficiat pro imaginibus cultus negativus, an vero requiratur pofitivus. 5. denique, an cultus imaginum dici debeat facer & religiofus. Quæ quidem, quoniam in citatis fupra Conciliorum definitionibus, & fanctorum Patrum teftimoniis abunde refperfa funt, paucis expediemus.

Dico 1. imagines non effe adorandas, nec dici debere eas adorari, tametfi iftud intelligatur de cultu fecundario, non de latria, quæ foli Deo debetur; & ratio, quia in ufu jam pofitum eft in Ecclefia, ut nomen adorationis foli Deo tribuatur, non Sanctis, nec ipfi Mariæ Virgini Deiparæ; igitur imagines dici non debent adorandæ; modus ifte loquendi pias Catholicorum aures offenderet, fcandalum effet legitimum hæreticis noftris liberius calumniandi, & nos idololatriæ accufandi. Neque movere debet quod dicatur vulgo crux Chrifti adoranda, & a fidelibus adorari; fatemur enim ejufcemodi locutionem ufitatam effe, quantumvis crux non magis adoretur quam imagines; fed iftud trahi non debet in exemplum, ne caufa præbeatur erroris & fcandali.

Dico 2. colendas non effe imagines cultu abfoluto, fed relativo; nam ille cultus eft relativus, non abfolutus, quo imagines coluntur propter excellentiam prototypi: atqui imagines coli debent propter excellentiam prototypi, ut definierunt Concilia generalia, Nicænum & Tridentinum; cum præfertim imagines abfolute & in fe fpectatæ nullam habeant dignitatem, nullam fanctitatem, nihil honore dignum.

Nec dicas nimis laxatam effe hanc fententiam, & coincidere cum opinione Calviniftarum, qui negare folum videntur cultum abfolutum, faffi aliunde ad imaginum præfentiam coli poffe prototypa, immo Chriftum adorari ad intuitum ejus imaginis; fiquidem latum eft difcrimen inter utramque hanc noftram & Calviniftarum de imaginibus fententiam; nos enim licet cultum duntaxat relativum admittamus, in hoc tamen verum adjudicamus cultum ipfis imaginibus, non propter ipfas quidem & abfolute fpectatas, fed tamen ad ipfas directum & pertinentem, & idcirco illas ofculamur, coram ipfis procumbimus, &c. fed Calviniftæ nullum ipfis tribuunt cultum, negant eas cum ullo reverentiæ figno effe tractandas, quas immo defpiciunt, frangunt, comburunt. Quamobrem honor relativus imaginum non ita debet accipi, quafi fufficiat in earum præfentia colere prototypa; Ecclefia enim non tantum definivit in Conciliis colendos effe Sanctos, fed & imagines propter Sanctos effe honorandas: porro cultus ille non eft mere externus; cum enim imagines ofculamur, falutamus, &c. id fit cum aliquo interiori affectu, quo veluti animatur exterior cultus.

Dico 3. non eumdem effe honorem relativum, qui defertur imagini, & qui prototypo. Eft illa fententia adverfus plurimos Scholafticos, qui cenfent eumdem honorem debitum effe imagini & exemplari, & proinde Chrifti imaginem adorandam effe cultu latriæ, tum & crucem de qua canit Ecclefia, *O crux ave*,

ave, *spes unica*, quia, inquiunt, honor imaginis transit ad exemplar; nec alia est ratio cultus qui exhibetur imagini, quam excellentia & dignitas prototypi.

Verum facile refellitur illa sententia; primo, quia Concilia generalia quæ imaginibus solummodo cultum honorarium a latria distinctum assignant, loquuntur de imaginibus Christi ut & Sanctorum. Secundo, quia si crux cultu latriæ posset affici propter suam cum Christo habitudinem, quia Christum tulit, potiori jure beata Virgo esset vere adoranda cultu latriæ, quippe quæ eum per novem menses gestavit in utero; atqui tamen nemo catholicus docet adorari beatam Virginem. Quamobrem imago quælibet honoratur quidem propter exemplar, & crux Domini propter ipsum Christum, sed cultu longe inferiori; unde hoc sensu honor imaginis transit ad prototypum; si enim imago quæ honoranda offertur, esset Mahometis non Christi, ea utique non coleretur; non autem eo sensu quod eodem & æquali honore colantur prototypus & imago; sicut in cultu civili & politico honoramus quidem effigiem Regis propter ipsum Regem, sed non eodem quo & ipsum Regem cultu.

Dico quarto cultum positivum non esse necessarium, sed solummodo negativum; cum enim ab Ecclesia definitum fuit retinendas esse imagines, eisque debitum honorem impertiendum; id non debet accipi de cultu positivo, quasi præceptum fuerit Christianis positive colere imagines, sed de cultu negativo, quia de fide est cultum externum quem recepit Ecclesia, non adversari legi divinæ, non esse eos habendos idololatras qui cultum imaginibus exhibent, nullam imaginum dehonestationem esse licitam, quia hoc vergit in injuriam Christi & Sanctorum.

Dico denique cultum imaginum recte dici a Catholicis sacrum & religiosum absque ulla superstitionis vel idololatriæ suspicione; sic enim dicitur quia non est mere sæcularis, ad religionem pertinet, non quidem ut fidei dogma nisi ad sensum mox a nobis expositum, sed quia ejusmodi cultus rependitur imaginibus propter quamdam dignitatem quæ inest Sanctis in ordine supernaturali constitutis.

De cultu & veneratione sanctæ Crucis.

UT istud argumentum, quod sanctæ Crucis venerationem spectat, plene ac perfecte tractemus, tria sedulo distinguenda sunt, de quibus agemus sigillatim: 1., de ipsa Cruce in qua suffixus fuit Christus Dominus. 2., de aliis quammultis veræ Crucis imaginibus, quas colere solent Fideles. 3., de signo Crucis, quod in peragendis ritibus sacris adhibetur.

De sancta Christi Domini Cruce.

HOc ipsum Crucis lignum, in quo suffixus fuit Christus, repertum fuisse ad initium quarti sæculi cura Helenæ, matris Constantini Imperatoris, pro certo atque indubitato teneri debet, hanc historiam referentibus testibus antiquissimis & fidei probatissimæ.

Eusebius Cæsariensis hanc Dominicæ Crucis inventionem dubio procul agnoscit, cum exscribit quandam Epistolam Constantini Imperatoris ad Episcopum Jerosol. directam, ubi sic habetur lib. 3. de vita Constantini cap. 30. *Tanta est Servatoris nostris gratia, ut nulla sermonis copia ad præsentis miraculi narrationem sufficere videatur. Nam sacratissimæ illius Passionis monumentum sub terra jampridem occultatum tot annorum spatio delituisse, quoad communi omnium hoste sublato, famulis ejus in libertatem vindicatis affulgeret, omnem revera admiratio-*

tionem superat. Nam tametsi omnes quotquot ubique terrarum sapientes habentur, in unum coacti aliquid pro hujus rei dignitate instituerint, nec ad minimam quidem ejus partem aspirare posse mihi videntur. Quippe hujus miraculi fides, omnem humanæ rationis capacem naturam tantum excedit, quantum humanis divina præcellunt. Hic certe *Christi Passionis monumentum sub terra jampridem occultatum*, non aliud est quam sanctæ Crucis signum.

S. Ambrosius insignia & memorabilia prædicat, describens illam repertæ Crucis historiam oratione de obitu Theodosii: *Venit ergo Helena*, inquit, *cœpit revisere loca sancta, infudit ei Spiritus ut lignum Crucis requireret, accessit ad Golgotha, & ait: Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? quæro vexillum salutis, & non invenio. Ego, inquit, in regnis, & Crux Domini in pulvere? Ego in aureis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? ... Invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error & vanitas impiorum, sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo .... Avida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare sacramentum salutis.*

S. Paulinus Nolanus Epistola 31. quæ est ad Severum, rem candem sic denarrat: *Sed quia*, inquit, *idipsum fides videtur postulare, non alienum puto, quia cognitu dignum est enarrare specialem post tempora passionis historiam revelatæ & inventæ Crucis .... sed in historia Crucis accipite magnum & vere divinum miraculum; Regina illa venerabilis, ut venit Jerosolymam, diligenter & pie locis & illic & circa omnibus, divinorum curiosa insignium, & oculis haurire gestiens fidem quam piis auribus litterisque perceperat, Crucem Domini studiosissime inquirere adorsa est. Sed quæ via vel ratio inveniendi subesset, cum index idoneus non inveniri posset, ubi memoriam & curam religiosæ conscientiæ vel observantiæ, & antiquitas ævi, & superstitionis impiæ diuturnitas abolevisset? Verum ipso omnium & terris & animis opertorum conscio & teste Domino, fidelis mulier sanctum Spiritum per affectum pium meruit; quo aspirante, cum rem ab humana conscientia divinitus remotam frustra diligens reliquisset, de loco tantum Passionis certior fieri studuit. Itaque non solum de Christianis doctrina & sanctitate plenos viros, sed & de Judæis peritissimos ut propriæ, qua miseri & gloriantur, impietatis indices exquisivit, & accitos in Jerosolymam congregavit. Tum omnium una de loco testificationis confirmata, jussit illico, urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi, parataque mox civium pariter & militari manu, brevi laborem istius molitionis hausit, & contra spem omnium, sed secundum ipsius tantum Reginæ fidem, alia egestione reseratis terræ sinibus, abditæ Crucis arcana patuerunt.*

Hic idem Severus Sulpitius testis est hujus rei luculentissimus lib. 2. hist. sacræ, his verbis: *Ejusdem Reginæ*, Helenæ, *beneficio Crux Domini tum reperta, quæ neque in principio, obsistentibus Judæis potuerat consecrari, & postea dirutæ civitatis oppressa ruderibus, nonnisi tam fideliter requirenti meruit ostendi. Igitur Helena primum de loco Passionis certior facta, admota militari manu atque omnium provincialium multitudine in studia Reginæ certantium, effodi terram, & contigua quæque ac vastissima ruinarum purgari jubet, mox pretium fidei & laboris, tres pariter cruces, sicut olim Domino ac latronibus duobus fixæ fuerant, reperiuntur. Hic vero major dignoscendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos mentesque turbaverat, ne errore mortalium, forsitan pro Cruce Domini, latronis patibulum*

tibulum consecrarent. Capiunt deinde consilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent: Nec mora, quasi Dei nutu, funeris extincti solemnibus exequiis deferebatur, concursuque omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius frustra crucibus admotis, ubi Christi patibulo attactum est; dictu mirabile, trepidantibus cunctis; funus excussum; & inter spectatores suos astitit; Crux reperta, dignoque ambitu consecrata. Quam quidem historiam referunt Rufinus lib. 1. cap. 8. Socrates lib. 1. Hist. Ecclesiast. cap. 17. Sozomenus lib. 2. cap. 1. & Theodoretus lib. 2. cap. 1.

Exciderat insigne testimonium S. Cyrylli Jerosolymitani in Epist. ad Constantium Imperatorem, quem sic alloquitur: *At tempore quidem Deo dilectissimi & beatæ memoriæ Constantini patris tui, salutare Crucis lignum Jerosolymis repertum est; divina gratia concedente ei, qui recte quærebat pietatem etiam abstrusam locorum sanctorum inventionem:* quod unum sufficeret ad revincendam temeritatem Salmasii Calvinistæ, qui in quadam epistola de Cruce loco fabulæ esse hanc Crucis Dominicæ inventionem persuadere conatur; ut Catholicos ridiculæ cujusdam superstitionis reos peragat; quod magno in honore habent hoc salutare Crucis lignum.

Sunt equidem, ut puto, nonnulla in tota historiæ hujus serie, quæ & creditu difficilia, & fortassis vera non sunt; sed nemo certe historiam ipsam de reperta Cruce Domini, tot illustrium Scriptorum calculo & autoritate confirmatam, ex omni parte confictam esse, citra temeritatem & stultitiam affirmare potest.

His præsuppositis, duo circa venerationem Crucis veniunt in controversiam: Primum ac præcipuum est utrum cultu religioso coli debeat Crux Domini; alterum est; utrum adorari ipsa possit propter Christum in ea suffixum, quod utrumque distinctis articulis exequemur.

Utrum Crux Domini colenda sit?

INter Iconomachos, qui ad finem octavi sæculi in cultum imaginum audacter insurrexerunt, antesignanus in Occidente merito censetur Claudius Taurinensis; sed qui præter alias Sanctorum imagines, Crucem potissimum Dominicam execrabatur velut contumeliosum Passionis Christi monumentum, ut videre est in Jonam Aurelianensem lib. 1. de cultu imaginum.

Hunc Crucis sanctæ inimicum secuti sunt postea Petrobrusiani, qui exorti sunt in duodecim sæculo, teste Petro Cluniacensi. Deinde Wiclefistæ apud Thomam Waldensem, ac demum Calvinistæ, qui adversus Crucem ipsam Christi, quotidianas Crucis imagines, & signum Crucis perinde invehuntur, quasi ritus ille colendæ Cruci ab omni ævo in Ecclesia catholica usurpatus, sit omnino ridendus & superstitiosus. In eos omnes sit

CONCLUSIO.

Pius & laudabilis maxime est ritus ille quo solet apud Catholicos uti, vel, ut ajunt, adorari sancta Domini Salvatoris Crux.

Probatur ex universa Ecclesiæ traditione, sic enim de hoc Crucis signo loquuntur sancti Patres, vel etiam primæve ætatis, & ante exortam Iconoclastarum impietatem; ut certe illud non habuerint tanquam vile & contumeliosum, sed potius dignum quod servetur, & veneratione celebretur; consuli possunt Patres, quorum testimonia mox descripsimus. *S. Ambrosius* testatur Helenam sancti Spiritus afflatu ductam, quando venerandam hanc crucem invenit; summam Imperatricis pietatem mirifice laudat, quam redemptionis nostræ

ftræ vocat instrumentum, immortalitatis remedium, sacramentum salutis. Scribit S. *Paulinus* Helenam per pium affectum & ductu Spiritus sancti Crucem Domini perquisiſſe. Et postea; *Digno*, inquit, *mox ambitu consecratur, condita in Passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus, & aureis dives altaribus, arcano positam sacrario Crucem servat, quam Episcopus urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantium promit ... quæ quidem Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie dividuam sumentibus, & semper totam venerantibus*. Vide insuper aliorum qui superius citantur testimonia, sunt ii omnes testes locupletissimi, magno semper in honore ac veneratione habitam fuisse Christi Domini Crucem.

Memorabile est quod legitur apud S. Chrysostomum homilia in parabolam de ficu tom. 6. ubi sic loquitur de sancta Cruce: *O beatissimam arborem, quam Reges colunt & Præsides venerantur, virique ac mulieres, & omnis natura creaturaque hominum munimentum ac præsidium possident, dæmones horrent & diabolus tremit, Angeli collaudant, & cœli benedicunt; Ecclesiæ vero Christum qui in ea crucifixus est, honoribus prosequuntur*.

Nituntur illi Scriptores apertissimis Scripturæ sacræ testimoniis, quæ venerandam & honoribus dignam perhibent Christi crucem, ex Apostolo Epist. ad Philippenses cap. 2. gradus fuit pro Christo ipso ut cœlos ascenderet, *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum*. Docet ad Colossenses cap. 2. per Crucem diabolum fuisse victum, & Christum triumphasse. *Chirographum decreti quod erat contrarium nobis, tulit de medio affigens illud Cruci, exspolians principatus & potestates, traduxit palam confidenter triumphans illos in semetipso*. Et ad Galat. cap. 6. *Nos autem*, inquit, *gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra*.

Et certe si verum est, inquit Bellarminus lib. 2. de imaginibus Sanctorum cap. 27. locum in quo stetit Angelus, terram esse sanctam, Exodi cap. 3. & Josue cap. 5. cur non magis Crux cui suffixus est Christus, & quæ sanguine ejus respersa fuit?

Objiciunt hæretici: Adeo veneranda non est Crux, quin potius detestanda est iis qui Christum diligunt & colunt; fuit enim ejus ignominiæ & dolorum instrumentum.

Respondeo non dolorem solum & ignominiam Christo attulisse Crucem, sed & instrumentum fuisse triumphi in diabolum devictum. Præterquamquod si Crux contumeliam Christo attulit, quam tamen volens subiit, eadem lætitiæ & gloriæ nobis est, ut ait Apostolus loco mox citato *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi*.

Unde respondetur huic comparationi quam usurpant adversarii, & qua dicunt stultum & impium judicari filium qui patibulum honorat, in quo pater ejus suspensus fuit. Christus enim in Cruce suspensus est volens & innocens; volens quidem, nam ipse ait: *Pono animam meam a me; nemo tollit eam*: innocens autem; testatus est enim Pilatus se in eo nullam invenisse causam mortis. At in ejusmodi casu recte a filio honoraretur patibulum in quo suspensus fuisset pater.

At inquiunt, si Crucem adoramus quia fuit instrumentum Passionis Christi, oportebit etiam adorare labia Judæ quæ contigerunt os Domini, & manum illius servi qui Dominum tetigit, cum alapam illi inflixit; hæc quippe o-

minia

mnia Christum tetigerunt : ergo Crux non est veneratione digna.

Respondeo cum Bellarmino hic multum esse discriminis inter labia Judæ & Crucis lignum, labia enim Judæ erant partes hominis impii, & ideo non poterant honorari ; Crux autem res est inanimata, & per naturam suam innoxia.

An vera Christi Crux sit colenda cultu latriæ.

QUoniam aliter de sancta Domini Cruce, ac de Sanctorum imaginibus loqui solent fideles, & nomen adorationis usurpant, cum de ea mentionem faciunt, canit enim Ecclesia : *O Crux adoranda, tuam Crucem adoramus ;* controversia movetur inter Theologos utrum revera cultu latriæ, quem supra diximus Deo solitum exhiberi, vel alio longe inferiori honoranda sit?

S. Thomas 3. part. quæst. 25. art. 4. docet Crucem Christi adorandam esse adoratione latræ ; sic enim loquitur in corpore articuli : *Respondeo dicendum quod honor seu reverentia non debetur nisi rationali creaturæ ; unde creaturæ insensibili non debetur honor vel reverentia, nisi ratione rationalis creaturæ ; & hoc dupliciter, uno modo in quantum repræsentat rationalem creaturam, alio modo in quantum ei quocumque modo conjungitur. Primo modo consueverunt homines venerari Regis imaginem, secundo modo Regis vestimentum. Utrumque autem venerantur homines eadem veneratione qua venerantur & Regem. Si ergo loquamur de ipsa Cruce in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda, uno scilicet modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea ; alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quod ejus sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ, & propter hoc etiam Crucem alloquimur, & deprecamur quasi ipsum crucifixum.* Sanctum Thomam sequitur Medina in hunc locum, contra vero sit

C o n c l u s i o.

Sancta Christi Crux non est adoranda adoratione latriæ.

Probatur primo, quia ejusmodi est adoratio latriæ, ut nonnisi Dei soli exhiberi debeat, ut patet ex ipsius latriæ definitione : sed Crucis signum tametsi propter corporis Christi contactum sit cultu & honore dignum, tamen mera est creatura, merum lignum, non est Deus : igitur adorari non debet adoratione latriæ.

Hinc S. Ambrosius oratione de obitu Theodosii superius citata, sic loquitur de Helena Constantini Imperatoris matre : *Invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo.* Quibus verbis nihil ad veritatem istam confirmandam clarius & expressius desiderari potest.

Hoc ipsum apertissime declarant Patres Concilii Nicæni II. quod septimum est generale, in sua definitione quam pro asserendo imaginum cultu emisit actio. 7. ubi docent omnibus & quibuscumque imaginibus, vel etiam Christi, nonnisi honorariam quandam deberi adorationem ; *Et ad honorariam*, inquiunt, *his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam docet impertiendam, ita ut istis sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis & sanctis Evangeliis exhibeatur.* Hanc proculdubio Concilii definitionem non legerat sanctus Thomas, aliter enim de Crucis Dominicæ cultu locutus fuisset.

Ad illud asserendum hoc principio ductus fuit Doctor Angelicus, quod eadem ve-

Secundum Ecclesiæ Occidentalis monumentum adversus cultum imaginum, est Concilium Francofordiense, quod idem Carolus M. Francofordiæ ad Mænum habuit anno 794. convocatis ex Gallia, Germania, Britannia atque Italia, trecentis aut amplius Episcopis, non solum ut Felicis & Elipandi hæresim proscriberent, sed ut in ea quæ de imaginibus Nicæna Synodus statuerat, sedulo inquirerent. Id porro canone secundo definierunt. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Ubi Patres isti diserte Synodum Nicænam damnant, quod cultum imaginibus adjudicaverit.

Neque audiendi sunt nonnulli e nostris, qui scripserunt Synodum hoc in canone confixam, non esse Nicænam, sed Constantinopolitanam Iconoclastarum anno 754. habitam; tum quia eam constat condemnatam Synodum ab Episcopis Francofordiensibus, quæ pro adorandis imaginibus celebrata fuerat, ut ipsissimus canonis textus indicat: tum quia autor anonymus vitæ Caroli Magni, Adhelmus Monachus in Annalibus, Hincmarus in opusculo 55. capitum c. 20. Ado Viennensis in Chronico ad an. 794. & cæteri propemodum innumeri Annales, certos ei Synodo caracteres tribuunt, qui in solam Nicænam cadunt, dum nempe ajunt illam pro adorandis imaginibus habitam, a Constantino & Irene convocatam, & Carolinis libris confutatam.

Quin etiam somniavit profecto Cointius in Annalibus Eccles. Francorum tomo sexto, ubi ait Canone secundo Synodi Francofordiensis perstringi non Synodum Nicænam, quæ septima est œcumenica, nec nisi honorariam imaginibus venerationem detulit, sed aliam Nicænam ex Episcopis superstitiosioribus paulo post conflatam; siquidem hæc Synodus est omnino fictitia, nec ejus uspiam extant monumenta; aliunde vero qui libros Carolinos cum septimæ Synodi actis contendere voluerit, videbit illico non aliam ab Episcopis Gallicanis, & consequenter a Concilio Francofordiensi fuisse impugnatam.

Tertium Ecclesiæ Occidentalis monumentum, quod in Synodum Nicænam, & cultum imaginum merito profertur, est Concilium Parisiense jussu Ludovici Pii, Regis Francorum & Imperatoris, habitum anno 824. ubi Gallicani Præsules, re in deliberationem missa, Epistol. ad Ludovicum & Lotharium Imperatores scripsere, qua testantur se primum legisse Epistolam Adriani Papæ pro erigendis imaginibus ad Constantinum & Irenem datam, qui, inquiunt, *juste reprehendit illos, qui imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere, & penitus abolere præsumpserunt; sic indiscrete noscitur fecisse in eo quod superstitiose eas adorare jussit, pro quarum etiam causa Synodum congregari præcepit, & sua autoritate sub jurejurando censuit ut erigerentur, & adorarentur & sanctæ nuncuparentur; cum eas erigere licitum, adorare vero nefas sit. Inseruit etiam in eadem Epistola quædam testimonia Sanctorum Patrum, quantum nobis datur intelligi valde absona, & ad rem de qua agebatur, minime pertinentia. Ex hujus namque Epistolæ textu Imperator & Clerus, simulque & populus autoritatem sumentes, Synodum fecerunt, in qua, sicut illi multum deviaverunt, qui imagines Sanctorum in illa Synodo, quæ sub Constantino avo memorati Constantini facta est, penitus abdicandas esse decreverunt; sic isti non mediocriter erraverunt, qui eas non solum coli & adorari & sanctas nun-*

nuncupari sanxerunt, *verum etiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt*. Tum Caroli Magni pietatem & prudentiam extollunt, qui pro virili Nicænorum superstitioni restitit; ac demum innumera Scripturæ & sanctorum Patrum loca colligunt, ut inde inferant nullum imaginibus exhibendum esse cultum.

Quibus monumentis & addi merito potest Britannicæ Ecclesiæ de Nicæna Synodo sententia, quæ depromitur ex Regis Offæ vita apud Rogerium de Hoveden, his verbis: *Anno 792. Carolus Rex Francorum misit synodalem librum ad Britanniam sibi a Constantinopoli directum, in quo libro multa inconvenientia & veræ fidei contraria reperiebantur, maxime quod pene omnium Orientalium Doctorum, non minus quam trecentorum vel amplius Episcoporum unanima assertione confirmatum fuerit, imagines adorari debere, quod omnino Ecclesia Dei execratur, contra quod scripsit Albinus Epistolam ex autoritate divinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam, illamque cum eodem libro ex persona Episcoporum ac Principum nostrorum, Regi Francorum attulit*. Eadem narrat Matthæus West-Monasteriensis ad an. 793. quæ etiam apud Simeonem Dunelmensem, & in Historia Roffensi, & in Saxonico Sermone parte ultima testatur Henricus Spelmannus tom. 1. Concil. Britanniæ.

Ex quibus manifeste colligitur omnem imaginum cultum universæ Occidentali Ecclesiæ tunc temporis displicuisse, quem nimirum rejecerunt ut novum & Religioni Christianæ contrarium, Carolus Magnus & Gallicani Præsules, una cum Germanis, Italis & Anglicanis.

Hanc porro difficultatem ut facilius enucleare possint nonnulli e nostris, quod ad primum attinet, putant hos quatuor libros Carolo Magno perperam ascribi, qui nempe ab imperito quodam hæretico exarati sunt, & dati Carolo qui eos misit ad summum Pontificem Adrianum. Alii vero statuerunt ejuscemodi libros, recens in Lutheranorum officina fabricatos. Verum eos genuinum esse Caroli Magni opus, jam in confesso est apud omnes.

Ac 1. quidem id constat ex ipsis libris, qui ubique nomen Caroli Magni præ se ferunt; in præfatione num. 4. Autor ait se *Regni gubernacula Deo tribuente suscepisse*. Et num. 11. *Quod opus*, inquit, *aggressi sumus cum cohibentia Sacerdotum in regno a Deo nobis concesso*. Et lib. 1. cap. 6. num. 54. Pipinum Regem genitorem suum vocat, *Venerandæ memoriæ genitoris nostri Illustrissimi atque Excellentissimi viri Pipini Regis cura*.

Secundo, Hujus rei fidem facit Epist. Adriani I. ad Carolum Magnum, qua notum est hos libros Romam missos fuisse ab Imperatore per Angilbertum Abbatem; ait enim Adrianus, *inter quæ edidit nobis Capitulare adversus Synodum quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est*. Sunt autem ipsi quatuor Libri Carolini, quibus respondet Adrianus.

Tertio, Id probatur ex Epist. Synodica Concilii Parisiensis sub Ludovico Pio ad Ludovicum & Lotharium data. *Eamdem porro Synodum*, inquit, *cum sanctæ memoriæ genitor vester coram se suisque perlegi fecisset, & quædam capitula prænotasset, eaque per Angilbertum Abbatem eidem Adriano Papæ direxisset*.

Quarto, Id invicte ostenditur ex testimonio Hincmari, qui libro contra Hincmarum Laudunensem cap. 20. loquens de Synodo Nicæna hæc scribit: *De cujus destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore*, Carolo, *Romam est per quosdam Episcopos missum, in cujus voluminis quarto libro hæc de universalis nomine scripta sunt*. Ubi Hincmarus vigesimum octavum libri quarti caput describit, quod idem plane est

cum

cum eo quod legitur in hodiernis Libris Carolinis.

Atque id præterea confirmant varii manuscripti codices antiquissimi, qui prodierunt circa medium sæculi decimi sexti opera Tilii Meldensis Episcopi, hunc præ se ferunt titulum: *Incipit opus Illustrissimi & Excellentissimi seu spectabilis viri Caroli Magni, nutu Dei Regis Francorum, &c.* quibus positis, jam venit enucleanda proposita difficultas.

Sunt qui cum Petavio fateantur, omnes tunc Gallicanos Antistites, qui septimæ Synodo œcumenicæ restiterunt, censuisse imagines habendas esse, nec penitus abolendas; sed ita ut illis nullus honos, nulla veneratio tribueretur, quod ipsum probant, & ex Canone Concilii Francofordiensis, & ex Conventu Parisiensi sub Imperatore Ludov. Pio. Verum id & leviter & falso ab istis dictum & concessum puto; nonullum enim, ut mox demonstrabimus, cultum imaginibus adjudicarunt tunc temporis Patres Gallicani.

Est autem altera responsio quæ communis est & pervulgata apud omnes fere Theologos, qua dicunt Libros Carolinos solum cultum latriæ imaginibus abdicare, hunc scilicet latriæ cultum, inquiunt, a Synodo Nicæna sancitum errore facti arbitrabantur Gallicani Præsules & Carolus M. quo imagines propter insidentem sanctitatem colerentur, & in ipsis collocarent Christiani spem suam, & ipsis servirent. Id autem ipsis persuaserat partim æquivocum adorationis nomen, quo illa Synodus usa est, partim Constantini Constantiæ Cypri Episcopi sententia, prout in actis ejusdem Synodi Nicænæ latine redditis legebatur, his concepta verbis: *Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas imagines secundum servitium adorationis quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati emitto; & qui sic non sentiunt, neque glorificant, a sancta Catholica atque Apostolica Ecclesia segrego, & anathemati submitto.* Addunt isti Theologi totum hoc opus Carolinum sui autoris in Orientales offensionem & invidiam spirare; adeoque mirum non esse quod ex præjudicatæ mentis affectu existimaverit Nicænam Synodum cultum latriæ imaginibus sanxisse; eoque nomine ipsam impugnaverit. Ac demum supremam duntaxat adorationem soli Deo debitam impugnare libros Carolinos ex singulis fere hujusce operis capitibus ostendunt.

Verum & cordate fatebor, vehementer mihi displicet ista responsio; præterquam quod enim omnem fere alium cultum a latria rejecit Carolus Magnus, qui ferre non potest ut coram imaginibus possit quis procumbere, caput aperire, luminaria accendere, & alia id genus; profecto mihi non venit in mentem Carolum Gallicanosque Præsules errore facti laborasse circa mentem Patrum Nicænorum super imaginum cultu, quasi existimaverint Patres Nicænos voluisse imaginibus cultum & supremam latriæ adorationem affingere; & quidem puto hujuscemodi responsione gravem impingi contumeliam nostratibus Gallis, qui non ignoratione sed malitia tantæ impietatis inculassent Præsules Nicænos.

Et ratio est quia non modo iidem Patres Nicæni in votis nunquam habuerunt cultum latriæ Deo soli debitum, Christi Sanctorumque imaginibus ascribere; non modo id expresse negaverunt multis in locis, sed, quod rei summa est, id agnovit autor librorum Carolinorum, qui aperte & sine fuco commemorat eos uti solere distinctione duplicis cultus, & alium plane cultum Deo, alium imaginibus longe inferiorem ascribere. Lib. 1. cap. 14. de Nicænis Patribus verba faciens, *Ajunt enim*, inquit, *benedixit Jacob Pharaonem, sed non ut Deum benedixit, adoramus nos imaginem, sed non ut Deum adoramus*. Et lib. 3. c. 17. nonnulla alia Nicæno-

norum verba sic refert : *Errorem*, inquit, *illi videntur plebibus ingerere palliatum. Ajunt enim : Non adoramus imagines ut Deum, nec illum divini servitii cultum impendimus; sed dum illas aspicimus & adoramus, illo mentis nostræ acumen defigimus, ubi eos quorum illæ sunt, esse non ignoramus*. Idem Scriptor lib. 3. cap. 18. hæc Euthymii Sadrensis Episcopi recitat verba : *De toto corde suspicio venerandas imagines cum condecenti honore & amplectibili adoratione*. Denique totus est Carolus Magnus l. 4. cap. 23. ut refellat quod Nicæni Patres ad tuendum suum dogma *adorandi* vocabulum interpretabantur de quadam honoraria veneratione, quæ multum ab adoratione Dei & servitio differt; quæ omnia, quoniam non ignoravit Carolus librorum autor, non potuit errore facti laborans existimare Patres Nicænos eundem imaginibus ac ipsi Deo cultum tribuisse, adeoque hanc impietatem ut ab illis expresse assertam explodere.

At, inquiunt, totus est tamen Carolus in libris istis, ut impugnet adorationem latriæ, quæ soli Deo debetur, l. 1. c. 2. Id probat ex eo Scripturæ testimonio, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi servies*. Cap. 18. probat spem non esse collocandam in imaginibus. Cap. 24. tribuit Patribus Nicænis, quod imaginibus supplicandum senserint. Lib. 2. cap. 7. quod christianæ justitiæ præcipuam partem in adoratione imaginum positam arbitrati sint, & sic in toto operis decursu.

Ego vero fateor utique non uno in loco, sed centies Carolum crimini vertere Patribus Nicænis, quod adorationem soli Deo debitam tribuerent imaginibus & picturis, sed contendo ibi nullum esse errorem facti, quasi Carolus & cum eo Gallicani Germanique Præsules, tam crassæ stoliditatis reos putaverint Nicænos Patres, qui mentem suam & doctrinam satis superque aperuerant, ut mox ostendimus; unde hoc ipsis exprobrant, consequentia, ut moris est in disputationibus, ducta ex eorum principiis. Scilicet cum Patres Nicæni ejuscemodi cultum detulissent imaginibus, qua poterant fideles coram illis procumbere & adgeniculari, incensa & luminaria ipsis offerre, eas deosculari, preces coram fundere, & alia id genus : profecto ab hisce usibus multum alieni nostrates, apud quos nondum percrebuerat ejuscemodi cultus, qui e contra solum Deum his exterioribus signis venerari solebant; statim summa vi clamarunt Nicænos Episcopos imaginibus eum deferre cultum qui soli Deo debitus est, sed ibi, ut facile quivis perspicit, nullus erat error facti.

Quod autem legisse dicatur Carol. M. sententiam Constantini, Constantiæ in Cypro Episcopi, his conceptam verbis, quibus aperte significabat se *venerandas imagines suscipere secundum servitium adorationis, quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati debetur*, plane frivolum est ut ostendatur nostrates Gallos circa doctrinam Nicænorum errore facti fuisse detentos; inde enim tantum sequitur unum ex Episcopis, non omnes Concilii Episcopos idem & par servitium tribuisse imaginibus & Deo. Atque Constantinum ultra longe progressum fuisse ac alios Patres Nicænos agnoscit ipse Scriptor Carolinorum l. 3. c. 17. cum præsertim expressam habeamus Patrum Nicænorum professionem, qua fidem suam hac in parte non semel liberant, idque nec ignoraverit, nec dissimulaverit Carolinorum autor.

Neque dicas præfatam solutionem locum habere saltem ad respondendum definitioni Patrum Francofordiensium, quos aperte constat haud fida versione septimæ Synodi delusos, quæ enim tanquam verba Concilii septimi laudant Patres Francofordienses, hodie in ejusdem Nicænæ Synodi actis nusquam comparent; ajunt autem se legere scriptum in

in quo habetur, *ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathemate judicarentur*.

At, inquam, ibi nullus est error facti, scilicet Patres Francofordienses habebant præ oculis acta Synodi Nicænæ, in quibus diserte profitebantur Nicæni Præsules se non adorare imagines, duplicem distingui debere cultum, latriæ & honorarium, cultum latriæ non esse debitum imaginibus, &c. Hæc ignorare non potuerunt Francofordienses, nec ad invidiam dissimulare; quapropter ut & ipse Carolus, dicunt Nicænos Episcopos idem servitium imaginibus tribuere, ac Trinitati, quia putant hunc cultum quem Nicæni imaginibus ascribunt, esse soli Trinitati debitum, consequentia ducta ex eorum verbis, non autem quod errore facti circa illorum doctrinam laborarent.

Respondeo itaque ideo tam acriter tamque vehementer Gallicanos Præsules una cum Carolo Magno Nicænis obstitisse, quia inusitatus plane & ipsis inauditus erat ille imaginum cultus quem sanxerat Nicæna Synodus tot signis exterioribus insignitum, puta deosculationibus, Thymiamatibus, incensis, luminaribus coram accensis, adgeniculationibus, capitis inflexionibus, &c. alia fuit eorum mens, quia erat apud eos alia disciplina; & quia ritus hi externi honorarii nonnisi soli Deo apud eos tunc temporis impendebantur, timuerunt ne cultus quoque interior Deo exhibitus, cum cultu interiori imaginibus delato confunderetur, adeoque hæc imaginibus honorificentiora signa imperitis saltem & rudioribus errandi præberent occasionem. At in ejusmodi altercatione quæstio non versabatur de ipso cultu, sed de modo deferendi cultum; non tam cultum verum imaginum damnant Gallicani Germanique Præsules, quam superstitiosum, & incompetentem reformidant; adeoque solum penes variam disciplinam, non autem quoad ipsum fidei dogma cum Græcis pugnarunt.

Atque id ex eo potissimum ostenditur, quod autor Carolinorum permittit aliquem cultum, aliquam exhiberi imaginibus venerationem lib. 3. c. 16. *Nam*, inquit, *dum nihil nos in imaginibus spernamus præter adorationem, quippe qui in Basilicis Sanctorum imagines, non ad adorandum, sed ad memoriam rerum gestarum & vetustatem parietum habere permittimus*. At in Ecclesiis collocari non possunt imagines, quin ipsis nonnullus deferatur honor. Et postea periculosam ait indoctis venerationem imaginum, licitam vero peritioribus. *Nam etsi*, inquit, *a doctis quibusque vitari potest, hoc quod illi in adorandis imaginibus exercent, qui videlicet non quid sint, sed quid innuant, venerantur; indoctis tamen quibusque scandalum generant, qui nihil aliud in his, præter id quod vident, venerantur & adorant*.

Idem Autor lib. 2. cap. 23. docet circa imagines retinendam esse doctrinam S. Gregorii Magni ubi recensitis ejusdem ad Serenum Massiliensem verbis, *Ecce*, inquit, *quo magisterio, quove documento venerandi Pontificis imbuti, imagines in Ecclesiis habere non renuimus, sed earum adorationem prorsus abdicamus*. Adorationem appellat quæ certis signis exterioribus inusitatis manifestetur, non omnem vero cultum; quippe sinit ut honorifice collocentur in Ecclesiis; vetat ne frangantur, ne disjiciantur; id diserte prohibuerat Gregorius summus Pontifex; cujus hic integra recoli debet super imaginum cultu doctrina, quam nimirum amplexi sunt Gallicani Præsules.

Denique lib. 4. cap. 18. indicat se ab omni cultu non abhorrere, quem ait usurpari posse, ni timendi essent abusus. *Non enim*, inquit, *nos imagines in basi-*

basilicis positas idola nuncupamus, sed ne idola nuncupentur, adorare eas & colere, eisque servitium impendere recusamus; quoniam plerumque non res, sed causa rei pro scelere reputatur; dum videlicet multa quibus bene potest uti, male usa in flagitium convertuntur, sicque una eademque res bene utentibus non est causa piaculi, & male utentibus est causa periculi. Idque recte confirmant Gallicani Præsules in Concilio Parisiensi, ubi non quemlibet cultum imaginibus adimunt, sed *indiscretum* duntaxat & superstitiosum.

Hinc vero manifeste liquet variam quidem & diversam tunc temporis fuisse super imaginum cultu disciplinam in Ecclesiis; sed in eo nostrates cum Græcis quoad ipsum fidei dogma non pugnasse constat, quia dogma fidei super imaginum cultu in eo consistit, quod non frangantur, non comburantur, non despiciantur imagines; tum vero in eo quod cultus ab universali Ecclesia approbatus, non dicatur per sese malus, nefarius, illicitus; atqui Præsules Occidentalis Ecclesiæ, etiam ii qui summa vi Synodo Nicænæ restiterunt, censent imagines non esse frangendas, non despectui habendas; immo cum Gregorio Magno summo Pontifice honorifice collocandas in Ecclesiis; præterea dicunt aperte earum cultum non esse nefarium, quem scilicet doctis & bene utentibus permittunt, ut videre est in præfatis Libris Carolinis; ergo in ista varia ac diffidente Ecclesiarum praxi, non fuit ulla quoad fidem pugna & dissensio.

Neque vero mirum videri debet, quod tam acriter Nicænam Synodum impetant Præsules nostri; siquidem eam tunc temporis pro œcumenica non habebant, ut aperte declarat Carolus lib. 4. c. 13. his verbis: *Insolenti præterea desiderio tam isti, quam eorum prædecessores Synodum ambiunt agitare, eamque sex venerabilibus Synodis associare, & septimæ Synodi nuncupatione censere*. Tum c. 28. ejusdem libri, *Inter cætera deliramenta quæ in eadem Synodo vel gesta vel scripta dicuntur, hoc quoque non omnibus eorum deliramentis minus est, quod eandem Synodum universalem nuncupant*. Cui nempe Synodo nonnisi longe post ejusdem celebrationem accessit universæ Ecclesiæ consensus.

His addi potest Græcis infensos tum fuisse Gallos ob quasdam ab iis acceptas contumelias, unde nata sunt inter utramque gentem partium studia & invidia. Hinc Constantinum & Irenem false irridet Carolus Magnus, quod seipsos prædicarent in epistola ad Papam Adrianum, his verbis: *Elegit nos Deus qui in veritate quærimus gloriam ejus*, quod gentili more de Deo scripsissent, *Rogamus tuam paternitatem*, quod superbe addunt, *per eum qui conregnat nobis Deus*. Synodum Nicænam ridet, quod mulierem institutricem & doctricem habuerit Irenem.

Hinc denique tot conviciis Græcos eorumque Synodum onerat, quos ubique passim appellat indoctos, delirantes, erroris, temeritatis, & mendacii plenos, hæreticos, hæreticorum filios, qui Scripturas, apostolicas traditiones, fidemque omnem penitus evertunt, qui denique nihil nisi male, incaute, indiscrete, absurde, insipienter & temere proferunt; quæ convitia, quoniam autoris iram & offensionem spirant, causa esse debent, cur ipsius verba erga imaginum cultum paulo duriora, quoad fieri possit, emolliantur, ac benigna interpretatione donentur.

Instabis: Illi omnem penitus cultum adimunt sacris imaginibus, qui vel ipsam honoris vocem repudiant, quippe dum singula cultus signa imaginibus a Nicæna Synodo ascripta rejiciunt, aliud nullum ipsis assignant: atqui Gallicani Præsules ipsam honoris vocem repudiant, ut constat ex libro 3. cap. 16. e libris Carolinis, iique dum rejiciunt singula cultus signa, capitis inflexionem, su-

lutationes, oscula, & alia id genus, nullum penitus aliud ascribunt imaginibus; id certe non omissuri, si quem arbitrati fuissent licite permitti posse. Neque vero nonnullum censentur imaginibus concedere honorem, cum ajunt eas posse collocari in Ecclesia; quodquidem usum, non vero cultum imaginum indicat: ergo.

Nego min. & dico nonnullum deferri honorem imaginibus, cum servantur in templis, collocanturque in locis excelsioribus, cum prohibetur ne frangantur, vel despiciantur; quod utique præstitum est ab Gallicanis Episcopis. Jam vero super cultus nomine hic argutari quicquam non attinet, quasi hæc honoris signa nullum omnino significent vel exhibeant cultum; siquidem, quoniam alterius in citatis operibus nullum apparet nobis vestigium, alium ab iis tunc temporis fuisse imaginibus assignatum affirmare non possumus.

Porro quod respondemus ad verba e quatuor Libris Carolinis deprompta, idem & reponimus canoni secundo Concilii Francofordiensis & Concilio Parisiensi, quæ nimirum eandem continent difficultatem; unde quoniam apud ipsos eadem erat praxis & disciplina ac in Galliis, eodem animo, iisdem verbis utrinque scripserunt. Quin etiam & idem plane sensus est nonnullorum Scriptorum quos hic nobis opponit Dallæus, nimirum Hincmari, Agobardi Lugdunensis, Jonæ Aurelianensis, Dungali & Walfridi Strabonis, quorum testimonia exscribemus, ne quid hac in quæstione desideretur.

Hincmarus opusculo 55. de Synodo Francofordiensi verba faciens, sic habet: *Autoritate hujus Synodi nonnihil repressa est imaginum veneratio; sed tamen Adrianus & alii Pontifices in sua opinione perseverarunt, & mortuo Carolo suarum pupparum cultum vehementius promoverunt*.

Agobardus Lugdunensis lib. de Imaginibus, probat ex Deuteronomio nullam imaginem esse licitam; *Quia*, inquit, *si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, nec in honore Dei; quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda: nec in honore eorum quorum similitudines esse dicuntur ..... dicit forsitan aliquis non se putare imagini quam adorat aliquid inesse divinum, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione donare. Cui facile respondetur, quia si imago quam adorat, Deus non est, nequaquam veneranda est, quasi pro honore Sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores ..... habuerunt namque & antiqui Sanctorum imagines vel pictas vel sculptas, sed causa historiæ, ad recordandum, non ad colendum*. Ubi omnem cultum & honorem etiam relativum imaginibus adimit.

Jonas Aurelianensis Episcopus libris contra Claudium Taurinensem, qui imagines execrabatur, ait eas quidem non esse confringendas, sed nec etiam esse colendas. *Nos*, inquit, *figmenta & imagines non colimus; imagines tamen & habemus, & habentibus non præjudicamus*.

Dungalus in monasterio Sandionysiaco reclusus, regnante Ludovico Pio, eadem scripsit adversus Claudium Taurinensem, ubi diserte approbat quod definierant Præsules Synodi Parisiensis, nec frangendas, nec colendas esse imagines.

Walafridus Strabo, Augiæ divitis Abbas, libro de Rebus Ecclesiasticis c. 8. scribit quoque in cultum imaginum; *Quis enim*, inquit, *sanum sapiens contra id quod scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: & iterum, Non facies tibi omnem similitudinem eorum quæ in cœlo, vel in terra, vel in aquis sub terra sunt*.

Quæ quidem testimonia otiose quidem nobis opponit Dallæus, quippe quæ disertiora non sunt ad omnem eliminandum imaginum cultum, quam alia supe-

perius adducta monumenta; quin econtra puto suam causam manifeste prodere Dallæum, qui in hujusce litis judices appellat citatos Dungalum & Walafridum Strabonem, ambos imaginum cultus præclarissimos assertores.

Dungalus quidem calumniæ postulat Claudium Taurinensem, quod Christianos dixerit idololatras, *qui imaginem Christi & Sanctorum ejus pingunt & venerantur quo amore & honore Salvatoris & Redemptoris mundi, & suorum electorum*. Et postea, *His ergo omnibus superius comprehensis certissime & evidentissime patet, picturas sanctas & sanctam Domini crucem & sacras electorum Dei reliquias, dignis & congruis honoribus a Catholicis & Orthodoxis in Deo & propter Deum venerari oportere, non ut sacrificando eis divinus honor & cultus soli Deo omnium creatori debitus, sit a quoquam deferendus; sed ut in ejus amore, honore, laude & gloria sua sancta, insignia & venerabilia sua vasa, prout decet, singula eorum ab omnibus fidelibus & religiosis salva fide & non ficta honorentur & amplectantur*.

Et Walafridus Strabo longe adhuc clarius cultum imaginibus ascribit loco citato: *Nunc jam*, inquit, *de imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua... Notandum vero quod sicut quidam easdem imagines, ultra quam satis est, venerantur: ita alii, dum volunt cautiores cæteris in religione videri, illas ut quasdam idololatriæ species respuunt, & præsumptionis fastis simplicium corda scandalizant.... Cum itaque talis sit Christiani perfectio sensus, non sunt omnimodis honesti & moderati imaginum honores abjiciendi... sic itaque imagines & picturæ habendæ sunt & amandæ, ut nec despectu utilitas annulletur, & hac irreverentia ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet injuriam, nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimie impensus, arguat nos minus spiritualia contemplari*. Quæ quidem testimonia hic describere fusius non piget, quia ex iis colligi debet mens & doctrina Gallorum Germanorumque Præsulum, a quibus profecto non recesserunt suppares isti & coætanei Scriptores.

Qualis esse debeat cultus Imaginum.

ADoratio quæ persæpe cum cultu quovis & honore, seu in Scripturis sacris, seu apud Autores Ecclesiasticos confunditur, universim & in genere definitur *agnitio cujusdam dignitatis & excellentiæ quæ sit in alio*. Unde statim duplex concipitur esse cultus, unus exterior, qui externo aliquo signo, aliquo corporis gestu præbetur; alter interior, qui in mentis actione consistit, quæ conjunctim cum affectu voluntatis, exteriorem cultum veluti format atque animat.

Hinc sequitur pro differentia excellentiæ & dignitatis rei honoratæ crescere honorem, cultum, venerationem; adeoque ut naturæ Dei summa est excellentia & dignitas infinita, singularis ei debetur honor & culus, qui proinde solus, uti jam dudum usus invaluit, nomine *adorationis* donatur; hic porro non de adoratione illa, sed de cultu, honore, veneratione rei utique creatæ agimus.

Cultus duplex, unus absolutus, alter relativus; absolutus, qui in ipso objecto propter insidentem in eo excellentiam hæret; relativus, qui rei non exhibetur nisi propter aliquam cum alio habitudinem & conjunctionem.

Cultus iterum duplex est, alter negativus, alter positivus; negativus in eo positus est quod nulla rei illius fiat dehonestatio, nullus despectus. Positivus consistit in externa quadam actuali honorificentia, honoris significatione.

Cultus denique duplex distinguitur, alter politicus, seu civilis; alter vero

Ee 2 sa-

facer, feu religiofus. Cultus politicus alicui exhibetur propter aliquam dignitatem fæcularem, & ordinis eft naturalis, ut honor qui defertur Principibus. Cultus religiofus exhibetur propter dignitatem aliquam quæ fpectat ad religionem; eftque ordinis fupernaturalis, ut honor qui defertur Sanctis.

Cultus porro religiofus triplex folet diftingui, nempe latria, dulia, & hyperdulia. Latria foli Deo exhibetur, hyperdulia beatæ Virgini Mariæ, dulia vero cæteris Sanctis. Quibus præmiffis, nonnullæ proponuntur quæftiones.

Quæritur 1. utrum imagines fint adorandæ. 2. utrum colendæ fint cultu abfoluto vel relativo. 3. utrum idem fit cultus qui defertur imagini, & qui prototypo. 4. an fufficiat pro imaginibus cultus negativus, an vero requiratur pofitivus. 5. denique, an cultus imaginum dici debeat facer & religiofus. Quæ quidem, quoniam in citatis fupra Conciliorum definitionibus, & fanctorum Patrum teftimoniis abunde refperfa funt, paucis expediemus.

Dico 1. imagines non effe adorandas, nec dici debere eas adorari, tametfi iftud intelligatur de cultu fecundario, non de latria, quæ foli Deo debetur; & ratio, quia in ufu jam pofitum eft in Ecclefia, ut nomen adorationis foli Deo tribuatur, non Sanctis, nec ipfi Mariæ Virgini Deiparæ; igitur imagines dici non debent adorandæ; modus ifte loquendi pias Catholicorum aures offenderet, fcandalum effet legitimum hæreticis noftris liberius calumniandi, & nos idololatriæ accufandi. Neque movere debet quod dicatur vulgo crux Chrifti adoranda, & a fidelibus adorari; fatemur enim ejufcemodi locutionem ufitatam effe, quantumvis crux non magis adoretur quam imagines; fed iftud trahi non debet in exemplum, ne caufa præbeatur erroris & fcandali.

Dico 2. colendas non effe imagines cultu abfoluto, fed relativo; nam ille cultus eft relativus, non abfolutus, quo imagines coluntur propter excellentiam prototypi: atqui imagines coli debent propter excellentiam prototypi, ut definierunt Concilia generalia, Nicænum & Tridentinum; cum præfertim imagines abfolute & in fe fpectatæ nullam habeant dignitatem, nullam fanctitatem, nihil honore dignum.

Nec dicas nimis laxatam effe hanc fententiam, & coincidere cum opinione Calviniftarum, qui negare folum videntur cultum abfolutum, faffi aliunde ad imaginum præfentiam coli poffe prototypa, immo Chriftum adorari ad intuitum ejus imaginis; fiquidem latum eft difcrimen inter utramque hanc noftram & Calviniftarum de imaginibus fententiam; nos enim licet cultum duntaxat relativum admittamus, in hoc tamen verum adjudicamus cultum ipfis imaginibus, non propter ipfas quidem & abfolute fpectatas, fed tamen ad ipfas directum & pertinentem, & idcirco illas ofculamur, coram ipfis procumbimus, &c. fed Calviniftæ nullum ipfis tribuunt cultum, negant eas cum ullo reverentiæ figno effe tractandas, quas immo defpiciunt, frangunt, comburunt. Quamobrem honor relativus imaginum non ita debet accipi, quafi fufficiat in earum præfentia colere prototypa; Ecclefia enim non tantum definivit in Conciliis colendos effe Sanctos, fed & imagines propter Sanctos effe honorandas: porro cultus ille non eft mere externus; cum enim imagines ofculamur, falutamus, &c. id fit cum aliquo interiori affectu, quo veluti animatur exterior cultus.

Dico 3. non eumdem effe honorem relativum, qui defertur imagini, & qui prototypo. Eft illa fententia adverfus plurimos Scholafticos, qui cenfent eumdem honorem debitum effe imagini & exemplari, & proinde Chrifti imaginem adorandam effe cultu latriæ, tum & crucem de qua canit Ecclefia, *O crux*

ave,

ave, *spes unica*, quia, inquiunt, honor imaginis transit ad exemplar; nec alia est ratio cultus qui exhibetur imagini, quam excellentia & dignitas prototypi.

Verum facile refellitur illa sententia; primo, quia Concilia generalia quæ imaginibus solummodo cultum honorarium a latria distinctum assignant, loquuntur de imaginibus Christi ut & Sanctorum. Secundo, quia si crux cultu latriæ posset affici propter suam cum Christo habitudinem, quia Christum tulit, potiori jure beata Virgo esset vere adoranda cultu latriæ, quippe quæ eum per novem menses gestavit in utero; atqui tamen nemo catholicus docet adorari beatam Virginem. Quamobrem imago quælibet honoratur quidem propter exemplar, & crux Domini propter ipsum Christum, sed cultu longe inferiori; unde hoc sensu honor imaginis transit ad prototypum; si enim imago quæ honoranda offertur, esset Mahometis non Christi, ea utique non coleretur; non autem eo sensu quod eodem & æquali honore colantur prototypus & imago; sicut in cultu civili & politico honoramus quidem effigiem Regis propter ipsum Regem, sed non eodem quo & ipsum Regem cultu.

Dico quarto cultum positivum non esse necessarium, sed solummodo negativum; cum enim ab Ecclesia definitum fuit retinendas esse imagines, eisque debitum honorem impertiendum; id non debet accipi de cultu positivo, quasi præceptum fuerit Christianis positive colere imagines, sed de cultu negativo, quia de fide est cultum externum quem recepit Ecclesia, non adversari legi divinæ, non esse eos habendos idololatras qui cultum imaginibus exhibent, nullam imaginum dehonestationem esse licitam, quia hoc vergit in injuriam Christi & Sanctorum.

Dico denique cultum imaginum recte dici a Catholicis sacrum & religiosum absque ulla superstitionis vel idololatriæ suspicione; sic enim dicitur quia non est mere sæcularis, ad religionem pertinet, non quidem ut fidei dogma nisi ad sensum mox a nobis expositum, sed quia ejusmodi cultus rependitur imaginibus propter quamdam dignitatem quæ inest Sanctis in ordine supernaturali constitutis.

De cultu & veneratione sanctæ Crucis.

Ut istud argumentum, quod sanctæ Crucis venerationem spectat, plene ac perfecte tractemus, tria sedulo distinguenda sunt, de quibus agemus sigillatim: 1., de ipsa Cruce in qua suffixus fuit Christus Dominus. 2., de aliis quammultis veræ Crucis imaginibus, quas colere solent Fideles. 3., de signo Crucis, quod in peragendis ritibus sacris adhibetur.

De sancta Christi Domini Cruce.

Hoc ipsum Crucis lignum, in quo suffixus fuit Christus, repertum fuisse ad initium quarti sæculi cura Helenæ, matris Constantini Imperatoris, pro certo atque indubitato teneri debet, hanc historiam referentibus testibus antiquissimis & fidei probatissimæ.

Eusebius Cæsariensis hanc Dominicæ Crucis inventionem dubio procul agnoscit, cum exscribit quandam Epistolam Constantini Imperatoris ad Episcopum Jerosol. directam, ubi sic habetur lib. 3. de vita Constantini cap. 30. *Tanta est Servatoris nostri gratia, ut nulla sermonis copia ad præsentis miraculi narrationem sufficere videatur. Nam sacratissimæ illius Passionis monumentum sub terra jampridem occultatum tot annorum spatio delituisse, quoad communi omnium hoste sublato, famulis ejus in libertatem vindicatis affulgeret, omnem revera admiratio-*

tionem superat. Nam tametsi omnes quotquot ubique terrarum sapientes habentur, in unum coacti aliquid pro hujus rei dignitate instituerint, nec ad minimam quidem ejus partem aspirare posse mihi videntur. Quippe hujus miraculi fides, omnem humanæ rationis capacem naturam tantum excedit, quantum humanis divina præcellunt. Hic certe *Christi Passionis monumentum sub terra jampridem occultatum*, non aliud est quam sanctæ Crucis signum,

S. Ambrosius insignia & memorabilia prædicat, describens illam repertæ Crucis historiam oratione de obitu Theodosii: *Venit ergo Helena*, inquit, *cœpit revisere loca sancta, infudit ei Spiritus ut lignum Crucis requireret, accessit ad Golgotha, & ait: Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? quæro vexillum salutis, & non invenio. Ego, inquit, in regnis, & Crux Domini in pulvere? Ego in aureis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? ... Invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error & vanitas impiorum, sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo:... Avida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare sacramentum salutis.*

S. Paulinus Nolanus Epistola 31. quæ est ad Severum, rem eandem sic denarrat: *Sed quia*, inquit, *idipsum fides videtur postulare, non alienum puto, quia cognitu dignum est enarrare specialem post tempora passionis historiam revelatæ & inventæ Crucis .... sed in historia Crucis accipite magnum & vere divinum miraculum; Regina illa venerabilis, ut venit Jerosolymam, diligenter & pie locis & illic & circa omnibus, divinorum curiosa insignium, & oculis haurire gestiens fidem quam piis auribus litterisque perceperat, Crucem Domini studiosissime inquirere adorsa est. Sed quæ via vel ratio inveniendi subesset, cum index idoneus non inveniri posset, ubi memoriam & curam religiosæ conscientiæ vel observantiæ, & antiquitas ævi, & superstitionis impiæ diuturnitas abolevisset? Verum ipso omnium & terris & animis opertorum conscio & teste Domino, fidelis mulier sanctum Spiritum per affectum pium meruit; quo aspirante, cum rem ab humana conscientia divinitus remotam frustra diligens reliquisset, de loco tantum Passionis certior fieri studuit. Itaque non solum de Christianis doctrina & sanctitate plenos viros, sed & de Judæis peritissimos ut propriæ, qua miseri & gloriantur, impietatis indices exquisivit, & accitos in Jerosolymam congregavit. Tum omnium una de loco testificationis confirmata, jussit illico, urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi, parataque mox civium pariter & militari manu, brevi laborem istius molitionis hausit, & contra spem omnium, sed secundum ipsius tantum Reginæ fidem, alia egestione reseratis terræ sinibus, abditæ Crucis arcana patuerunt.*

Hic idem Severus Sulpitius testis est hujus rei luculentissimus lib. 2. hist. sacræ, his verbis: *Ejusdem Reginæ*, Helenæ, *beneficio Crux Domini tum reperta, quæ neque in principio, obsistentibus Judæis potuerat consecrari, & postea dirutæ civitatis oppressa ruderibus, nonnisi tam fideliter requirenti meruit ostendi. Igitur Helena primum de loco Passionis certior facta, admota militari manu atque omnium provincialium multitudine in studia Reginæ certantium, effodi terram, & contigua quæque ac vastissima ruinarum purgari jubet, mox pretium fidei & laboris, tres pariter cruces, sicut olim Domino ac latronibus duobus fixæ fuerant, reperiuntur. Hic vero major dignoscendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos mentesque turbaverat, ne errore mortalium, forsitan pro Cruce Domini, latronis patibulum*

tibulum consecrarent. Capiunt deinde consilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent: Nec mora, quasi Dei nutu, funeris extincti solemnibus exequiis deferebatur, concursuque omnium feretro corpus eripitur: Duabus prius frustra crucibus admotis, ubi Christi patibulo attactum est; dictu mirabile, trepidantibus cunctis; funus excussum, & inter spectatores suos astitit; Crux reperta, dignoque ambitu consecrata: Quam quidem historiam referunt Rufinus lib. 1. cap. 8. Socrates lib. 1. Hist. Ecclesiast. cap. 17. Sozomenus lib. 2. cap. 1. & Theodoretus lib. 2. cap. 1.

Exciderat insigne testimonium S. Cyrylli Jerosolymitani in Epist. ad Constantium Imperatorem, quem sic alloquitur: *Ac tempore quidem Deo dilectissimi & beatæ memoriæ Constantini patris tui, salutare Crucis lignum Jerosolymis repertum est; divina gratia concedente ei, qui recte quærebat pietatem etiam abstrusam locorum sanctorum inventionem:* quod unum sufficeret ad revincendam temeritatem Salmasii Calvinistæ, qui in quadam epistola de Cruce loco fabulæ esse hanc Crucis Dominicæ inventionem persuadere conatur; ut Catholicos ridiculæ cujusdam superstitionis reos peragat; quod magno in honore habent hoc salutare Crucis lignum.

Sunt equidem, ut puto, nonnulla in tota historiæ hujus serie, quæ & credita difficilia, & fortassis vera non sunt; sed nemo certe historiam ipsam de reperta Cruce Domini, tot illustrium Scriptorum calculo & autoritate confirmatam, ex omni parte confictam esse, citra temeritatem & stultitiam affirmare potest.

His præsuppositis, duo circa venerationem Crucis veniunt in controversiam: Primum ac præcipuum est utrum cultu religioso coli debeat Crux Domini; alterum est, utrum adorari ipsa possit propter Christum in ea suffixum, quod utrumque distinctis articulis exequemur.

Utrum Crux Domini colenda sit?

INter Iconomachos, qui ad finem octavi sæculi in cultum imaginum audacter insurrexerunt, antesignanus in Occidente merito censetur Claudius Taurinensis; sed qui præter alias Sanctorum imagines, Crucem potissimum Dominicam execrabatur velut contumeliosum Passionis Christi monumentum, ut videre est in Jonam Aurelianensem lib. 2. de cultu imaginum.

Hunc Crucis sanctæ inimicum secuti sunt postea Petrobrusiani, qui exorti sunt in duodecim sæculo, teste Petro Cluniacensi: Deinde Wiclefistæ apud Thomam Waldensem, ac demum Calvinistæ, qui adversus Crucem ipsam Christi, quotidianas Crucis imagines, & signum Crucis perinde invehuntur, quasi ritus ille colendæ Cruci ab omni ævo in Ecclesia catholica usurpatus, sit omnino ridendus & superstitiosus. In eos omnes sit

CONCLUSIO.

Pius & laudabilis maxime est ritus ille quo solet apud Catholicos uti, vel, ut ajunt, adorari sancta Domini Salvatoris Crux.

Probatur ex universa Ecclesiæ traditione, sic enim de hoc Crucis signo loquuntur sancti Patres, vel etiam primæve ætatis, & ante exortam Iconoclastarum impietatem, ut certe illud non habuerint tanquam vile & contumeliosum, sed potius dignum quod servetur, & veneratione celebretur; consuli possunt Patres, quorum testimonia mox descripsimus. *S. Ambrosius* testatur Helenam sancti Spiritus afflatu ductam, quando venerandam hanc crucem invenit, summam Imperatricis pietatem mirifice laudat, quam redemptionis nostræ

ftræ vocat instrumentum, immortalitatis remedium, sacramentum salutis. Scribit S. *Paulinus* Helenam per pium affectum & ductu Spiritus sancti Crucem Domini perquisisse. Et postea; *Digno*, inquit, *mox ambitu consecratur, condita in Passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus, & aureis dives altaribus, arcano positam sacrario Crucem servat, quam Episcopus urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantium promit ... quæ quidem Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie dividuam sumentibus, & semper totam venerantibus*. Vide insuper aliorum qui superius citantur testimonia, sunt ii omnes testes locupletissimi, magno semper in honore ac veneratione habitam fuisse Christi Domini Crucem.

Memorabile est quod legitur apud S. Chrysostomum homilia in parabolam de ficu tom. 6. ubi sic loquitur de sancta Cruce: *O beatissimam arborem, quam Reges colunt & Præsides venerantur, virique ac mulieres, & omnis natura creaturaque hominum munimentum ac præsidium possident, dæmones horrent & diabolus tremit, Angeli collaudant, & cœli benedicunt; Ecclesiæ vero Christum qui in ea crucifixus est, honoribus prosequuntur*.

Nituntur illi Scriptores apertissimis Scripturæ sacræ testimoniis, quæ venerandam & honoribus dignam perhibent Christi crucem, ex Apostolo Epist. ad Philippenses cap. 2. gradus fuit pro Christo ipso ut cœlos ascenderet, *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum*. Docet ad Colossenses cap. 2. per Crucem diabolum fuisse victum, & Christum triumphasse. *Chirographum decreti quod erat contrarium nobis, tulit de medio affigens illud Cruci, exspolians principatus & potestates, traduxit palam confidenter triumphans illos in semetipso*. Et ad Galat. cap. 6. *Nos autem*, inquit, *gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra*.

Et certe si verum est, inquit Bellarminus lib. 2. de imaginibus Sanctorum cap. 27. locum in quo stetit Angelus, terram esse sanctam, Exodi cap. 3. & Josue cap. 5. cur non magis Crux cui suffixus est Christus, & quæ sanguine ejus respersa fuit?

Objiciunt hæretici: Adeo veneranda non est Crux, quin potius detestanda est iis qui Christum diligunt & colunt; fuit enim ejus ignominiæ & dolorum instrumentum.

Respondeo non dolorem solum & ignominiam Christo attulisse Crucem, sed & instrumentum fuisse triumphi in diabolum devictum. Præterquamquod si Crux contumeliam Christo attulit, quam tamen volens subiit, eadem lætitiæ & gloriæ nobis est, ut ait Apostolus loco mox citato *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi*.

Unde respondetur huic comparationi quam usurpant adversarii, & qua dicunt stultum & impium judicari filium qui patibulum honorat, in quo pater ejus suspensus fuit. Christus enim in Cruce suspensus est volens & innocens; volens quidem, nam ipse ait: *Pono animam meam a me; nemo tollit eam*: innocens autem; testatus est enim Pilatus se in eo nullam invenisse causam mortis. At in ejusmodi casu recte a filio honoraretur patibulum in quo suspensus fuisset pater.

At inquiunt, si Crucem adoramus quia fuit instrumentum Passionis Christi, oportebit etiam adorare labia Judæ quæ contigerunt os Domini, & manum illius servi qui Dominum tetigit, cum alapam illi inflixit; hæc quippe omnia

mnia Christum tetigerunt : ergo Crux non est veneratione digna.

Respondeo cum Bellarmino hic multum esse discriminis inter labia Judæ & Crucis lignum, labia enim Judæ erant partes hominis impii, & ideo non poterant honorari ; Crux autem res est inanimata, & per naturam suam innoxia.

An vera Christi Crux sit colenda cultu latriæ.

QUoniam aliter de sancta Domini Cruce, ac de Sanctorum imaginibus loqui solent fideles, & nomen adorationis usurpant, cum de ea mentionem faciunt, canit enim Ecclesia : *O Crux adoranda, tuam Crucem adoramus ;* controversia movetur inter Theologos utrum revera cultu latriæ, quem supra diximus Deo solitum exhiberi, vel alio longe inferiori honoranda sit?

S. Thomas 3. part. quæst. 25. art. 4. docet Crucem Christi adorandam esse adoratione latræ ; sic enim loquitur in corpore articuli : *Respondeo dicendum quod honor seu reverentia non debetur nisi rationali creaturæ ; unde creaturæ insensibili non debetur honor vel reverentia, nisi ratione rationalis creaturæ ; & hoc dupliciter, uno modo in quantum repræsentat rationalem creaturam, alio modo in quantum ei quocumque modo conjungitur. Primo modo consueverunt homines venerari Regis imaginem, secundo modo Regis vestimentum. Utrumque autem venerantur homines eadem veneratione qua venerantur & Regem. Si ergo loquamur de ipsa Cruce in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda, uno scilicet modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea ; alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quod ejus sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ, & propter hoc etiam Crucem alloquimur, & deprecamur quasi ipsum crucifixum.* Sanctum Thomam sequitur Medina in hunc locum, contra vero sit

CONCLUSIO.

Sancta Christi Crux non est adoranda adoratione latriæ.

Probatur primo, quia ejusmodi est adoratio latriæ, ut nonnisi Dei soli exhiberi debeat, ut patet ex ipsius latriæ definitione : sed Crucis signum tametsi propter corporis Christi contactum sit cultu & honore dignum, tamen mera est creatura, merum lignum, non est Deus : igitur adorari non debet adoratione latriæ.

Hinc S. Ambrosius oratione de obitu Theodosii superius citata, sic loquitur de Helena Constantini Imperatoris matre : *Invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo.* Quibus verbis nihil ad veritatem istam confirmandam clarius & expressius desiderari potest.

Hoc ipsum apertissime declarant Patres Concilii Nicæni II. quod septimum est generale, in sua definitione quam pro asserendo imaginum cultu emisit actio. 7. ubi docent omnibus & quibuscumque imaginibus, vel etiam Christi, nonnisi honorariam quandam deberi adorationem ; *Et ad honorariam*, inquiunt, *his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam docet impertiendam, ita ut istis sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis & sanctis Evangeliis exhibeatur.* Hanc proculdubio Concilii definitionem non legerat sanctus Thomas, aliter enim de Crucis Dominicæ cultu locutus fuisset.

Ad illud asserendum hoc principio ductus fuit Doctor Angelicus, quod eadem ve-

veneratione honoremus Regem & imaginem Regis. Sic enim loquitur loco supra citato: *Si ergo loquimur de Cruce*, inquit, *in qua Christus pependit, utroque modo est a nobis veneranda latriæ cultu, sicut eadem veneratione honoramus Regem & imaginem & vestimentum Regis*.

Sed graviter hac in parte allucinatus est, etenim verum quidem est coli imaginem propter eum quem repræsentat, prototypum propter typum, uti & vestimentum Regis propter Regem; sed valde absurdum est affirmare imaginem & rem imagine repræsentatam, vestimentum Regis & Regem eodem cultu, eadem veneratione donari; hoc ita esse dictat ratio; nec aliter locuti sunt sancti Patres.

Sanctus Hieronymus in Epistola ad Riparium de Martyribus verba faciens *Honoramus servos*, inquit *ut honor servorum redundet ad Dominum*. Si autem honor servorum refertur ad Dominum, non eodem honore prosequimur servos & Dominum. Eodem modo intelligi debet S. Joannes Damascenus, qui l. 4. cap. 17. ait imagines esse adorandas ratione rei repræsentatæ, sed certe non vult eundem esse imaginis & rei repræsentatæ honorem.

His accedit autoritas Concilii septimi generalis, quæ duo hæc aperte distinguit, honorari propter prototypum, & honorari eodem cultu ac prototypum; volunt enim, ut mox diximus, imagines esse colendas propter Sanctos, & imagines Dei propter Deum; sed imaginibus unam ascribunt honorariam adorationem, Deo vero soli cultum latriæ. Simili modo loquuntur Patres Tridentini sess. 25. ubi de imaginibus; *Imagines porro Christi*, inquiunt, *Deiparæ & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse in iis aliqua divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ.... Sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant*. Si honos refertur ad prototypa, igitur non eodem honore coluntur imagines, uti & ipsa Crux Christi est, ac prototypa.

Nec movet quod ait S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 18. his verbis: *Itaque imaginis honor ad exemplar primum transit*. Mirum enim vero est allegari ab adversariis hunc locum, in quo manifestum est sanctum Basilium sermonem habere de Filio Dei, quem probat unum esse Deum cum Patre cujus est filius & imago; at, inquit sanctus Doctor, *Imaginis honor ad exemplar primum transit*. Quod certe nihil omnino ad præsentem controversiam spectat; nemo enim dubitat quin Filius Dei adorandus sit eodem adorationis genere quo adoratur Pater, quia nimirum Filius qui imago est Patris, Deus est ut & ipse Pater; sed unicum est ac singulare hoc exemplum, nec ad Crucem Christi quæ mera est cratura, transferri merito potest.

Objicies: Crucem Christi vere ac proprie adorandam probant variæ locutiones quas usurpat Ecclesia, cum de Cruce Christi loquitur; secus vero cum de imaginibus, quæ nonnisi honoraria veneratione coluntur; hæc nimirum habentur in publicis Ecclesiæ cantibus, *O crux adoranda; Tuam Crucem adoramus. O Crux ave, spes unica. auge piis justitiam, reisque dona veniam*. Igitur adoranda est.

Respondet Estius, & scite quidem, ejusmodi salutationes & adorationes, quibus Crucem Domini alloquimur in ecclesiasticis cantibus, tropicas & figuratas esse locutiones, ut cum eam his verbis alloquimur: *Arbor decora & fulgida*; item, *Beata cujus brachiis*; & postea, *O Crux ave, spes unica*: quæ postrema verba ad solum Christum diriguntur, non ad lignum cui suffixus fuit suæ mortis tempore.

Ob-

Objicies: In more positum est ut Crux dicatur adorari, non item aliæ vel Sanctorum vel ipsius Christi imagines. Præterea vera latriæ adoratione coli sanctam Crucem ex eo merito colligitur, quod eadem a fidelibus adhibentur venerationis signa, ac pro Christo ipso, pro sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod certe cultu latriæ proprie dicto adoratur; nam prostrationes, adgeniculationes, & alia id genus fiunt coram Cruce, uti & ad præsentiam sanctæ Eucharistiæ: ergo & Crux vere adoratur.

Resp. nomine quidem adorationis donari cultum qui Dominicæ Cruci tribui solet, sed dico adorationem istam cultum esse quemdam honorium, quo & aliæ imagines coluntur, quia meræ sunt creaturæ, nisi dicatur duplicem rependi honorem Christo crucifixo, vel Cruci cui suffixus repræsentatur Christus; unum qui vera est & proprie dicta adoratio latriæ, quatenus recte respicit ipsum Christum, qui etiam prout homo adorari debet cultu latriæ, quod eatenus suppositum habet divini Verbi; alterum vero honorem longe inferiorem, quem Theologi duliam appellant, quatenus Christum respicit.

Neque vero aliud quidquam colligi debet ex eo quod fiunt coram Cruce prostrationes, adgeniculationes, & alia adorationis signa externa; nam ex illo argumento sequeretur adorari a fidelibus cunctas Sanctorum imagines & reliquias, quod tamen non pertendunt adversarii. Scilicet similibus actibus externis honorantur Christus & imagines, sed cum sit aliud motivum, alius animus in fidelibus cum genuflectunt, v. g. pro Christo & cum pro aliqua imagine, hinc censentur Christum adorare, & imaginem solummodo honorare, quia actus morales externi speciem suam desumunt ab internis, a fine & motivo.

De Crucis effigie.

Quæstio est utrum non solum vera Christi Domini Crux colenda sit, sed & veræ Crucis figura, prout nunc viget in Ecclesia Catholica usus retinendi & veneratione prosequendi Cruces, quæ veram repræsentant.

Teste Amalario lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis cap. 14. *Fuerunt quidam qui volebant dicere se velle eandem Crucem adorare, in qua Dominus crucifixus est. Utinam in Ecclesiis omnibus haberetur, præ cæteris merito veneraretur.* Addit ille Scriptor: *Quamvis omnis Ecclesia eam non possit habere, tamen non deest eis virtus sanctæ Crucis in eis Crucibus quæ ad similitudinem veræ Crucis factæ sunt.* Hunc tamen cultum repudiant hæretici nostri, qui sacris imaginibus bellum indixere, in eos sit

CONCLUSIO.

Sunt etiam colendæ Cruces, quæ in repræsentationem veræ Crucis eriguntur.

Probatur; quia perantiquus est mos ille qui etiamnum in Ecclesia Catholica perseverat, ut Cruces illæ summo honore & veneratione afficiantur. Proferri primum potest in hujusce veritatis probationem historia Constantini Magni, cui, ut scribit Eusebius lib. 1. de vita Constantini cap. 28. oranti ac supplicanti Deus ostendit visionem in cœlo, Crucem videlicet lucidam cum inscriptione monente, ut in hac vinceret, *Horis diei meridianis, sole in occasum vergente, Crucis trophæum in cœlo ex luce conflatum, soli superpositum, ipsis oculis se vidisse affirmavit cum hujuscemodi inscriptione, Hac vince.* Hinc ait capite sequenti Christum Constantino præcepisse ut signo ad formam Crucis facto uteretur in bellis, quod sedulo ac pie præstitit Imperator, hocque vexillum ad Crucis effigiem elabora-

ratum *labari* nomen retinuit. Unde recte colligitur ipsum Christum Salvatorem Christianis autorem fuisse exprimendæ Crucis figuræ.

Constantini pietatem imitati postea sunt Imperatores Christiani, Theodosius qui prohibuit ne humi Crux pingeretur, ne pedibus calcaretur. Arcadius auream monetam cum signo Crucis cudendam jussit, ut scribit sanctus Prosper de prædictionibus parte 3. cap. 34. Item Tiberius post Theodosium, cum vidisset in Palatio Crucem in marmore incisam sub pedibus, mox eam erigi jussit, dicens: *Cruce Domini frontem & pectus munire debemus, & nos eam pedibus terimus?* Teste Paulo Diacono l. 18. Rerum Romanorum.

Præclarum est quod scribit S. Gregorius Nazianzenus orat. 4. *Atque hoc quidem*, inquit, *ad hunc modum se habuit, nec fidem quisquam deroget, nisi qui eadem ratione aliis quoque Dei miraculis nullam fidem habendam putet. Quod autem hoc etiam mirabilius clariusque fuit, lux in cœlo stetit, Crucem in orbe describens, ac nomen illud & figura quæ in terra prius impiis contemptui fuerat, in cœlo nunc omnibus ex æquo ostenditur, Deoque victoriæ adversus impios obtentæ trophæum efficitur, trophæo omni sublimius & præstantius.* Ubi ait Crucis signum esse venerandum omni trophæo præstantius.

Consuli potest super ea re locus quem supra exscripsimus ex S. Chrysostomo, testatur enim Crucis effigiem in summo pretio tunc habitam; *Reges*, inquit, *deposito diademate, Crucem suscipiunt mortis illius signum, in purpureis vestibus Crux inest, in diadematibus Crux, in orationibus Crux, in armis Crux, in sacra mensa Crux, & ubique terrarum Crux sole ipso clarius refulget.* Tum vero sanctus Hieronymus, qui Commentario ad Psal. 98. hæc verba, *Et adorate scabellum ejus, quoniam sanctum est*, refert ad Crucem Dominicam.

Eadem ætate Crucem honoratam testatur sanctus Augustinus sermone 88. his verbis: *Sed quia ipse honoraturus erat Christus fideles suos in fine hujus seculi, prius honoravit Crucem in hoc seculo, ut terrarum Principes credentes in eum prohiberent nocentiam crucifigi; & quod cum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarunt, magna fiducia servi ejus, etiam Reges in fronte nunc portant.*

Asterius Amazenus Episcopus sic loquitur oratione de sancta Euphemia: *Virgo*, inquit, *veneranda in pullis vestibus sola sedet, manibus in cœlum extentis, Deum in malis adjutorem invocans. Huic porro precanti supra caput apparet signum, quod ex præscripto legis Christiani adorant & inscribunt sibi.* Accedit Theodoretus serm. 6. contra Græcos: *Græci*, inquit, *& Romani, ac Barbari, crucifixum profitentes Deum, Crucisque signum venerantes.* Quod item testantur passim alii omnes Scriptores Ecclesiastici, Græci & Latini, unde piam hanc Ecclesiæ consuetudinem colendi Cruces strenue propugnat Jonas Aurelianensis, tanquam constantem *Patrum traditionem*, quantumvis aliter de cultu imaginum sentiat.

De Signo Crucis.

AD demonstrandam ex omni parte venerationem qua semper Christiani Dominicam Crucem honorarunt, tertio loco proferam nonnulla veterum testimonia, qui signum Crucis operatione manus formatum, vel in fronte, vel in peragendis ritibus Ecclesiasticis, usitatissimum fuisse perhibent.

Ordior a Tertull. qui lib. de Corona cap. 3. sic loquitur: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conver-*

versatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.

Origenes homil. in Exodum: *Quid times Dæmones*, inquit, *quid tremunt? sine dubio Crucem Christi in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum & potestates; timor ergo & tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachii illius quod Dominus expandit in Cruce.*

Eusebius Cæsariensis lib. 6. de Demonstrat. Evangelica capite ultimo, hæc scribit: *Præter hæc vero omnia, quis hoc considerans, omnes qui in Christum crediderant, hoc salutari signo pro sigillo utentes, non obstupescat merito cum audiat Dominum olim ita locutum esse, Et venient, & videbunt gloriam meam, & relinquam in eis signum.*

Item S. Cyrillus Jerosolymit. multis in locis, *Non erubescamus* inquit, Catechesi quarta, *Crucem Christi; sed licet alius hanc celet, tu palam in fronte signare, ut dæmones signo illo regio conspecto procul trepidantes fugiant. Hoc vero signum facito manducans & bibens, sedens, cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans, & ut uno verbo dicam, in omni re.*

Hujus consuetudinis meminit S. Hieronymus in Ezechiel. cap. 10. *Antiquis Hebræorum litteris*, inquit, *quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau littera Crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.*

Idem S. August. tractatu 3. in Joan. *Voluit nos* Dominus *in fronte ferre Crucis signum; hujus signum in fronte gestamus, de quo non erubescimus, si & in corde gestamus.* Et tract. 53. *Ad hoc enim & ipse Dominus Crucem suam, ubi cum dementia superbæ impietatis irrisit, in eorum qui in illum crederent, frontibus fixit, ubi est quodammodo sedes verecundiæ, ut de nomine ejus fides non erubescat, & magis Dei gloriam quam hominum diligat.*

Dehinc ex multis Patrum testimoniis apparet communem omnium fuisse fidem, in hoc Crucis signaculo quamdam inesse vim expellendi dæmones; ita sensit Gregorius Nazianzenus, ut colligitur ex orat. 3. quæ prior est contra Julianum Apostatam invectiva; ait enim hunc subito territum *ad Crucem confugisse, & antiquum medicamentum*, loquitur de signo Crucis, *eoque se contra terriculamenta ista se signasse, atque adjutorem eum asciviſſe quem persequebatur; ac quæ secuta sunt magis fuisse terribilia, quippe valuisse signaculum, victos esse dæmones, metus esse depulsos.*

Item agnoscit S. Chrysost. homil. 12. in 1. Epist. ad Corinthios; *Quod autem*, inquit, *apud eos qui Crucem adorant & sunt mysteriorum arcanorum participes, & tot & tanta philosophantur, hæc vigeat turpitudo, hoc est valde lugendum. Deus te spirituali unguento honoravit, tu autem filium inquinas; Deus te honore insignivit, tu autem te probro & dedecore afficis; & cum oporteret fronti Crucem imprimere, quæ certam & indubitatam præbet tutelam, tu his dimissis ad satanicam deturbaris amentiam.* Ibi scilicet redarguit quasdam mulieres quod luto parvulorum frontes illinebant adversus dæmonum præstigias; *Non hæc faciatis*, inquit ibidem Sanctus Doctor, *o fratres, sed ab ineunte ætate eum munite armis spiritalibus, & manu erudite frontem signare, & priusquam possit hoc manu facere, vos ipsi Crucem eis imprimite.* Quibus astipulantur S. Athanasius lib. de Incarnatione Verbi, & in vita S. Antonii. Cassianus collat. 8. c. 18. Prudentius in hymno sexto. Paulinus carmine 8. de natali S. Felicis, & alii quamplurimi.

Denique & multa proferri possunt testimonia Patrum, qui unanimi consensu docent constantem ubique fuisse consuetudinem in Ecclesia, Crucis signa-

gnaculum adhibere in omnibus fere ritibus Ecclesiasticis, ac potissimum in aquæ benedictione & administratione Baptismi.

Hoc testatur S. Augustinus tract. 118. *Quod signum*, inquit, *nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur*.

Præclare vero S. Ambrosius lib. de initiandis cap. 3. *Aqua sine prædicatione Dominicæ Crucis ad nullos usus futuræ salutis est. Cum vero salutaris fuerit Crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri & salutaris poculi temperatur*. Et cap. 4 *Quid est enim aqua sine Cruce Christi? elementum commune sine ullo Sacramenti effectu*.

S. Chrysost. homil. 54. in Matthæum de hoc Crucis ligno loquens, ait: *Omnia per illud administrari quæ apud nos transiguntur mysteria: sive enim regenerari oportet, adest Crux, sive mystica illa nutriri oportet alimonia, sive ordinibus initiari, sive quid aliud facere, ubique salutis hoc adest signum; ac propterea & in ædibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte, & in mente, magno studio illud inscribimus*.

Et hæc abunde sufficiunt; plura enim & prope innumera referre possem, ut certum atque indubitatum maneat, & Crucem ipsam Domini & ejus postea effigies semper in honore fuisse in Ecclesia; tum vero quod ultimum demonstrant, usitatissimum fuisse apud fideles, ut signo Crucis frontem suam munirent; illudque in ritibus sacris peragendis frequentissime adhiberent; adeoque causa sua cadere Novatores, qui vilem & contumeliosam esse Christi Crucem, tum vero superstitiosa Crucis signacula affirmare ausi sunt; pudeat ejusmodi homines illius temeritatis & impudentiæ, qua mores veteris Ecclesiæ usu consecratos condemnarunt.

De cultu & invocatione Sanctorum.

HUic Sanctorum cultui, qualis nempe usurpatur in Ecclesia Catholica, non modo his nostris temporibus adversati sunt Lutherus, Calvinus, eorumque asseclæ, sed & multi quondam infideles & hæretici.

De infidelibus constat ex Juliano Apostata, qui hoc nomine veteres Christianos exagitabat, quod Martyres aliosque Sanctos venerabantur tanquam mediatores apud Deum, ut videre est apud Greg. Nazianz. orat. 4. & Cyrillum Alexandr. lib. 6. contra Julianum.

Constat etiam ex S. Augustino, qui testis est Epistola 43. Ethnicum quemdam Maximum Madaurensem id Christianis vitio vertere quod Martyres colerent tanquam Deos; *Qui conscientia*, inquit, *nefandorum specie gloriosæ mortis sceleribus cumulantes dignum moribus factisque suis exitum maculati repererunt. Horum busta, si memoratu dignum est, rejectis templis, rejectis majorum suorum manibus, stulti frequentant*.

Testis quoque ejusdem rei est Isidorus Pelusiota, qui lib. 1. Epist. 55. insurgit in quemdam Ethnicum, Hieracem nomine, his verbis: *Si te istud offendit quod martyricorum corporum cinerem propter eorum erga Deum caritatem atque constantiam honore afficiamus, eos qui ab ipsis medicinam accipiunt interroga, &c.*

De hæreticis vero idem manifeste liquet, nam unus e Manichæis, & inter illos antesignanus Faustus apud Augustinum lib. 20. de Civ. Dei, Catholicos ex eo redarguit quod Martyres venerentur veluti Deos. Eandem ob causam in Vigilantium insurgit divus Hieronymus in libro quem contra hunc hæreticum scripsit. De Arianis idem colligitur ex S. Ambrosio Sermone 5.

Quapropter novam hac in parte doctrinam non prodiderunt Novatores nostri, sed more suo vetera priorum hære-

tico-

ticorum commenta renovarunt, cum videlicet professi sunt nefas esse in Ecclesia Catholica Sanctos colere, eorumque patrocinium apud Deum implorare, quasi votis nostris & orationibus moveantur illi, & pro ea qua valent apud Deum autoritate nobis succurrant.

Nos vero hunc errorem ut clare magis ac distincte impugnemus, quatuor hæc singillatim demonstrare conabimur. 1. ab omni ævo hunc viguisse morem in Ecclesia Catholica, tanquam pium & probatum, videlicet Sanctos colere velut mediatores & intercessores apud Deum. 2. Sanctos audire & cognoscere preces nostras. 3. Sanctos revera pro nobis apud Deum intercedere. 4. Sanctorum meritis interdum adjuvari fideles. Quibus & aliud peculiare momentum, postea addemus, quo certe Sanctorum cultus recte statuitur, videlicet illorum Reliquias fuisse semper in summa veneratione habitas; quapropter sit.

CONCLUSIO.

Antiquissimus est & semper approbatus in Ecclesia Catholica ritus colendi Sanctos, eorumque patrocinii apud Deum implorandi.

Probatur ex perpetua & constanti SS. Patrum traditione.

Ac primum de B. Virgine Maria hoc testatur Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 19. ubi Mariam cum Eva comparans sic habet: *Sicut illa seducta est, ut effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo, uti Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata*. Ex quibus verbis aperte colligitur id in more positum fuisse vel ipsis apostolicis temporibus, ut Sancti tanquam mediatores apud Deum & advocati respicerentur.

Sequitur S. Cyprianus qui Epist. 57. quæ est ad Cornelium, rogat hunc Papam, ut qui prior ex ambobus ipsis fato fuerit functus, pro fratribus in vita superstitibus divinam imploret misericordiam; *Memores*, inquit, *nostri invicem simus, concordes atque unanimes, utrobique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua caritate relevemus. Et si quis istinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio. Pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio*.

Origenes idem docuit lib. 8. contra Celsum, his verbis: *Ex eo quod conciliatur nobis summus Deus, consequens est ut & bene reddantur nobis omnes illius amici, Angeli, animæ ac spiritus. Habent enim sensum eorum qui Dei benevolentia digni sunt, nec solum erga eos qui digni sunt, bene sunt affecti, sed & omnibus opitulantur qui summum Deum colere cupiunt, quem & propitium reddunt, & cum iis communiter precantur, ac simul postulant*.

Eusebius quoque Cæsariensis lib. 13. de Præpar. Evangel. c. 7. his verbis: *Similiter etiam omnes qui præclare vixerunt, quoquo modo mortui sunt, honoramus. Hæc nos quotidie factitamus, cum veræ pietatis milites ut Dei amicos colimus, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur*.

Item S. Gregor. Nazianz. qui in Panegyricis Sanctorum elogiis illorum persæpe patrocinium implorat; sic v. g. orat. 18. quæ est in S. Cyprianum: *At tu nos*, inquit, *e cœlo benignus aspicias, sermonesque nostros & vitam gubernes, sacrumque hunc gregem pascentem adjuves ... sanctæque Trinitatis, cui nunc adsistis, pleniorem clarioremque splendorem nobis concilians*.

Insigne est quod apud eundem legitur orat. 20. in fine, ubi sic habet loquens de S. Basilio: *At nunc ille quidem in cœlis est, illic etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens, neque enim ita nos reliquit, ut prorsus reliquerit*. Et postea Basilium

sic alloquitur: *Tu vero sacrum & divinum caput, e cœlo, quæso, nos inspice, carnisque stimulum a Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis siste, aut certe, &c.*

Basilius ipse præclarum ejusdem doctrinæ nobis exhibet testimonium homil. in 40. Martyres; *Sæpe operam dedistis*, inquit, *sæpe laborastis, ut unum pro vobis orantem inveniretis; quadraginta sunt hi unam orationis emittentes vocem. Ubi enim sunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est; ubi vero quadraginta fuerint, quis dubitet Deum esse præsentem? Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugit; qui rursus lætatur, ad hos recurrit; hic ut a malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis*. Si vero postea Martyres illos interpellat: *O sanctum chorum, o sacrum ordinem, o cuneum inexpugnabilem, o communes generis humani custodes, optimi curarum socii, precum ac votorum invicem suffragatores, legati apud Deum potentissimi!*

Et similiter S. Gregorius Nyssenus orat. de sancto Theodoro Martyre, eum hoc pacto invocat: *Intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum, nam patria Martyris est, etiam locus passionis... Nos enim quod incolumes & integri conservati sumus, tibi beneficium acceptum referimus. Petimus autem etiam futuri temporis præsidium atque securitatem; quod si majori etiam opus fuerit advocatione, fratrum tuorum martyrum coge chorum, & cum omnibus una deprecare, multorum justorum preces multitudinis ac populorum peccata luant; admone Petrum, excita Paulum, Joannem item Theologum dilectum discipulum, ut pro Ecclesiis quas constituerunt, solliciti sint.*

S. Hilarius in Psal. 129. hoc ipsum scribit de sanctis Angelis, quod idem est ac de sanctis hominibus; *Sunt*, inquit, *secundum Raphaelem ad Tobiam loquentem Angeli assistentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes... maxime cum scriptum sit, Sunt enim efficientes spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditabunt salutem. Intercessione itaque horum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra.*

Eandem doctrinam ubique receptam in Ecclesia supponit S. Cyrillus Jerosolymitanus, cum ita loquitur Catechesi mystagogica quinta: *Rogamus te*, inquam, *nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras.*

Item S. Ambrosius lib. de Viduis cap. 9. *Obsecrandi sunt*, inquit, *Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt; Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata, laverunt; isti enim sunt Dei Martyres, nostri Præsules, speculatores vitæ actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitates corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt.*

Accedit S. Hieronymus qui non obiter & perfunctorie idem docet, sed dedita opera, in libro adversus Vigilantium hæreticum, qui Sanctorum cultum impugnabat, argumentis probe innumeris hunc pium & laudabilem Ecclesiæ morem vindicavit. *Dicis in libello tuo*, inquit sanctus Doctor alloquens Vigilantium, *quod dum vincimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alia exaudienda oratio, præsertim cum Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiverint. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti,*

quan-

quanto magis post coronas, victorias & triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur; & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt?

His ultro astipulatur S. Augustinus in multis locis, ut videre est in Sermone 316. novæ editionis, ubi alloquens SS. Paulum & Stephanum, sic habet: *Ambo ibi vos videtis, ambo modo sermonem nostrum auditis, ambo pro nobis orate. Ambo vos exaudiet qui vos coronavit, unum prius, alterum postea; unum qui persecutionem passus est, alterum qui persecutus est. Ille tunc agnus erat, ille autem lupus erat, modo autem ambo agni sunt. Agni agnoscant nos, & in grege Christi videant nos; orationibus suis commendent nos, ut quietam & tranquillam vitam impetrent Ecclesiæ Domini sui.* Lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. sic loquitur, de S. Cypriano: *Adjuvet itaque nos orationibus suis in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur.*

Certe in immensum eresceret ista dissertatio, si omnia & singula hic exscriberem loca SS. Patrum qui eandem plane doctrinam tradunt; satis sit ea designare, unde constare certo poterit probatum semper fuisse in Ecclesia Catholica hunc pium morem quo solent Fideles invocare Sanctos, velut intercessores & mediatores apud Deum. Consulantur S. Chrysostomus homilia panegyrica de Martyribus Ægyptiis, homilia 77. de sancto Meletio, & homil. 66. ad populum Antiochenum. Asterius Amasenus Episcopus in Encomio Sanctorum Martyrum. Rufinus lib. 2. Hist. Eccles. cap. 33. S. Paulinus Nolanus in Epist. 12. ad Severum in quodam panegyrico de obitu Celsi pueri, & in alio de sancto Felice Nolano Martyre. S. Prudentius in hymno secundo de beato Laurentio, in hymno quinto de S. Vincentio, & in decimo tertio de S. Cypriano. Leo Magnus Sermone primo de sanctis Apostolis Petro & Paulo, Sermone de S. Laurentio, & Sermone primo de jejunio septimi mensis. Theodoretus in Sermone octavo de curandis Græcorum affectionibus. S. Gregorius Magnus homil. 32. super Evangelium. Beda lib. 4. in Cantica, & in Commentario super Lucæ caput septimum. S. Joannes Damascenus lib. 4. cap. 16. ac denique sanctus Bernardus serm. 2. super Evangelium, *Missus est*, serm. 4. de Assumpt. Virg. & in aliis infinitis locis.

Probatur 2. ex Liturgiis tam Græcis quam Latinis, ex quibus patet communem hunc fuisse ritum Christiano in Sacrificio, ut appellarentur Sanctorum nomina, iique tanquam intercessores apud Deum invocarentur. Id apparet ex testimonio superius adducto sancti Cyrilli Jerosolymitani Episcopi, qui vixit circa medium quarti sæculi; *Ut meminerimus*, inquit, *eorum qui jam dormierunt Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus illorum precibus & intercessionibus preces nostras suscipiat.*

Idem declarat Liturgia sancti Chrysostomi, *In honorem*, inquit, *& memoriam superbenedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Dei Genitricis Virginis Mariæ, cujus intercessionibus suscipe, Domine, Sacrificium hoc in super cœleste tuum altare.*

Tum vero Sacramentarium Gregorii Papæ & Ordo Romanus, ex quibus manifeste colligitur morem fuisse usitatum in Ecclesia, bis Sanctorum nomina recitandi ante & post consecrationem, ut eorum precibus atque intercessionibus plurima a Deo beneficia postulentur, quod etiamnum fieri solet in hodiernis Missis.

In hunc porro finem nomina Sanctorum ac præcipue Martyrum invocari in sacrificio, testis est sanctus Augustinus tractatu 84. in Joannis his verbis: *Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos*, Martyres, *commemoramus*, *quemadmodum alios qui in pace requiescunt*, *ut etiam pro eis oremus*, *sed magis ut orent ipsi pro nobis*, *ut eorum vestigiis adhæreamus*, *qui impleverunt ipsi charitatem*, *qua Dominus dixit non posse esse majorem*.

Quibus adjungi merito possunt Litaniæ publicæ, in quibus solent Sancti a Fidelibus Christianis invocari, eamque antiquissimam esse in Ecclesia consuetudinem, ex eo colligitur quod ejusmodi Litaniarum mentio fit in Concilio Aurelianensi I. can. 29. in Moguntino sub Carolo Magno cap. 33. in Toletano V. cap. 1. in Bracarensi II. c. 9.

Probatur denique autoritate Conciliorum generalium, ac primo ex Concilio Chalchedonensi act. 11. ubi de sancto Flaviano sic loquitur: *Flavianus post mortem vivit*, *Martyr pro nobis oret*. Et in Epistola ad Leonem Imperatorem, quæ legitur post finem Concilii.

Concilium II. Nicænum, quod est septimum generale in decreto fidei quod legitur actione quarta, sanxit honorandos esse Sanctos, *& eorum intercessiones postulandas*, *utpote quæ nos conciliare possint summo Regi universorum Deo*.

Et Concilium denique Tridentinum, quod sess. 25. peculiare de invocatione Sanctorum emisit decretum, his conceptum verbis: *Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis & cæteris docendi munus curamque sustinentibus*, *ut juxta Catholicæ Ecclesiæ usum a primævis Christianæ Religionis temporibus receptum*, *sanctorumque Patrum consensionem*, *& sacrorum Conciliorum decreta imprimis de Sanctorum intercessione*, *invocatione*, *Reliquiarum honore*, *& legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant*, *docentes eos*, *Sanctos una cum Christo regnantes*, *orationes suas pro hominibus Deo offerre*, *bonum atque utile esse eos suppliciter invocare*, *&c.*

Hæc porro Ecclesiæ Catholicæ doctrina, mos iste pius & laudabilis non leve habet fundamentum in ipsis Scripturis sacris, in quibus legitur justos persæpe homines adhuc in ista mortali vita degentes, fuisse ab aliis invocatos, ut pro ipsis divinum implorarent patrocinium. Hæc loca referemus postea in sequenti nimirum conclusione, cum invicte ostendimus Sanctos cum Christo regnantes pro nobis apud eum intercedere.

Objicies: Illicitus est ac nefarius ille cultus, qui idololatriam vere redolet; sed cultus Sanctorum vere sapit ac redolet idololatriam, est quoddam idololatriæ genus, quia, ut communiter docent Calvinistæ, idololatria est, quoties aliud quidquam colitur præter Deum; quod quidem principium sumptum habent a magistro Calvino, qui lib. 2. Inst. cap. 8. §. 16. hæc quatuor soli Deo debita esse pertendit, adorationem, fiduciam, invocationem, gratiarum actionem: igitur cultus Sanctorum, qualis usurpatur in Ecclesia Catholica, est omnino rejiciendus.

Nego min. & ad probat. dist. maj. Quoties alius colitur præter Deum, tanquam Deus summus, tanquam verum numen, & cultu latriæ, C. cultu duliæ, & longe inferioris, N. Frustra itaque Calvinistæ, Lutherani, aliique ejusdem furfuris hæretici Ecclesiam Catholicam exagitant, quasi idololatriæ aperte faveat, aut saltem nonnihil conniveat approbando cultum Sanctorum. Qui cum ex illis bona fide & sincere nobiscum super hoc argumento disputant, fatentur tandem vel sola consideratione rei, hoc est attente perpensa notione idololatriæ proprie dictæ, & cognita semel natura cultus quem Sanctis exhibent Catholici, nullam vel minimam

nimam ibi esse idololatriæ speciem; scilicet idololatria proprie dicta, ut vel inviti agnoscere coguntur Novatores, in eo posita est, quod creaturæ cuipiam is & summus reddatur honos, qui soli Deo debetur; nec late & universe sumi debet pro quocunque cultu, quacunque veneratione, aut quocunque venerationis signo; aliter cultus omnis creaturæ redditus, qualem v. g. filii parentibus suis exhibent, haberetur idololatricus, quod tamen nemo dixerit; sed cultus Sanctorum, qualis usurpatur in Ecclesia Catholica, non est summus, nec ejusdem, ut ita loquar, naturæ cum cultu qui Deo soli exhibetur, videlicet tanquam supremo rerum omnium Domino; profitentur enim Catholici, non alio cultus & venerationis genere afficiendos Sanctos cum Christo regnantes, quam quia servi sunt & amici Dei.

Atque ut certo innotescat quid sit idololatria, nec adoratio soli Deo debita cum quovis alio cultu confundatur, non est duntaxat respiciendum ad exteriora cultus signa, quales sunt genuflexio, capitis inclinatio, & alia id genus, quæ plerumque eadem ad creaturæ & creatoris honorem accommodantur; sed in istis totidem officiis ratio haberi debet interioris animi propositi seu motivi, propter quod vel Deo vel Sanctis præstantur; unde nihil est quod in praxi Ecclesiæ Catholicæ redarguant Novatores, mens enim Catholicorum est Sanctos colere tanquam Dei servos & amicos, & Deo soli servire, Deum solum adorare tanquam supremum rerum omnium Dominum.

Quapropter duplicem cultum, & ut quandoque ajunt, duplicem adorationem distinxerunt Theologi, alterum supremum qui soli Deo rerum omnium creatori debetur, quem *latriam* appellaverunt; alterum longe inferiorem, qui creaturæ propter Deum deferri potest, quem appellarunt *duliam*, cultum, honorificentiam; otiose vero & insulse, inquit Petavius, recentiores tum hæretici, tum Grammatistæ, latriam & duliam idem significare longis disputationibus probare student; nam verborum significatio ex usu apud homines recepto spectari debet, nec de vocibus contentioni, quæ Theologo indigna est, adhærendum.

Cæterum perusitata illa Theologorum distinctio, qua duplicem admittunt cultum & adorationem, legitur verbis expressissimis apud S. Augustinum quæstionibus in Genesim lib. 1. quæstione 61. super illa verba. *Exurgens autem Abraham adoravit populum terræ*, sic habet: *Quæritur quomodo scriptum sit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, cum Abraham sic honoraverit populum quemdam gentium, ut etiam adoraret. Sed animadvertendum est in eodem præcepto non dictum, Dominum Deum tuum solum adorabis, sicut dictum est, & illi soli servies, quod est græcè* λατρεύσεις. *Talis enim servitus nonnisi Deo debetur. Unde damnantur idololatræ, id est, ejusmodi servitutem exhibentes idolis quæ debetur Deo. Nec moveat quod alio loco* Apocal. 19. *in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, & admonet ut Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator.* Quibus verbis nihil clarius & illustrius desiderari potest ad revincendos Novatores nostros, hinc enim aperte colligitur licitum esse ac laudabilem cultum qui exhibetur sanctis hominibus, eumque solum habendum esse idololatram qui aliquem ipsis decernit cultum, cujusmodi soli Deo congruit.

Huc pertinet quod jam initio disputationis meminimus, hoc idem quod nobis objiciunt Calvinistæ, puta nos Sanctis eum exhibere cultum qui Deo soli debetur, veterem fuisse calumniam & infidelium & hæreticorum, cui docte non minus quam diligenter occur-

serunt sancti Patres. Egregium est quod scribit idem S. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 1. *Quis enim*, inquit, *Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit : Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane ? Sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit .... Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus .... at vero illo cultu qui græce latria dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.*

Ita sanctus Hieronymus lib. contra Vigilantium, cujus eandem objectionem sic diluit: *Quis enim, o insanum caput, aliquando Martyres adoravit ? Quis hominem putavit Deum? Nonne Paulus & Barnabas, cum a Licaonibus Jupiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua, & se homines esse dixerunt ? Non quod meliores non essent olim mortuis hominibus Jove atque Mercurio, sed quod sub gentilitatis errore, honor eis Deo debitus deferretur.*

Theodorus Serm. 8. contra gentiles, testatur Martyres nec pro diis haberi a Christianis, nec divinis honoribus affici, sed tanquam divinos homines honorari, quod idem hodie profitentur Catholici : *Nos, o viri, nec sacrificia nec libamina Martyribus offerimus, sed eos tanquam divinos & Deo caros honoramus. Tanto enim Creatorem Salvatorem prosecuti sunt, ut jugulari pro ipso optaverint.* Quo plane modo Juliani accusationibus in Catholicos respondet S. Cyrillus Alexandrinus.

Objicies 2. : Non licet alium agnoscere mediatorem Dei & hominum præter Christum, ut aperte docet S. Paulus 1. ad Timoth. cap. 2. his verbis : *Unus enim Deus, unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus* ; sed in cultu & invocatione Sanctorum homines sancti agnoscuntur mediatores, intercessores, advocati apud Deum : igitur Sanctorum invocatio prohibetur in Scripturis.

Dist. maj. Qui sit mediator in eodem gradu & tanquam eadem præditus autoritate, C. in diverso gradu & longe inferiori, N. Hic itaque Apostoli locus probat Christum esse solum mediatorem Dei & hominum, eo sensu quod singulari quodam modo hanc mediatoris functionem apud Deum primario exercet, quatenus nempe utramque naturam, divinam & humanam in semetipso habens, quod nemini præter ipsum convenit, recte intelligitur munus illud mediatoris præstantissima quadam ratione sibi vindicare ; sed nihil obstat quominus quilibet e Sanctis cum Christo regnans in gradu quodam inferiori, mediatoris quoque, hoc est intercessoris, advocati, patroni officium impleat.

Et ratio est quia hoc idem mediatoris nomen aliis hominibus præter Christum tribuitur in Scripturis, Deuter. 5. de seipso sic loquitur Moyses : *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.* Quem titulum mediatoris eidem Moysi tribuit Apostolus ad Galatas cap. 3. his verbis : *Quid igitur lex ? propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Quod idem legitur passim apud Patres, qui sanctos appellant mediatores promiscue, ut intercessores & patronos apud Deum.

Atque hinc intelligitur nihil superesse difficultatis in objectione quam proponunt Calvinistæ, videlicet testari ubique Apostolum per Christum nos justificari, per illum solum nos habere accessum ad Deum, & alia ejusmodi, quæ

quæ potissimum leguntur ad Romanos cap. 5. & Ephesios cap. 2.

Namque apertissimum est eo tantum sensu explicandas ejusmodi propositiones, quod Christus sit mediator Dei & hominum in alio prorsus genere, & alio modo quam sancti homines vel Angeli; ille enim cum esset Deus & homo, non modo per orationem, sed per propria merita, hominem cum Deo reconciliavit; unde toties repetit Apostolus nos salvari per Christum; nos justificari in Christo, per ipsum nos habere accessum &c. quia revera Christus Dominus per seipsum & propria merita fuit mediator; Sancti vero non sunt mediatores, hoc est intercessores, advocati, patroni, neque enim disputandum de nomine, nisi per Christum.

Objicies: S. Paulus ad Colosf. c. 2. eam damnat religionem qua colerentur Angeli; *Nemo vos seducat*, inquit, *volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ*. Igitur licitus non est cultus Angelorum, adeoque nec sanctorum hominum.

Dist. maj. qua colerentur Angeli tanquam dii medii Christo ipso meliores, C. qua præcise colerentur Angeli, eo sensu quo & ipsi Angeli & Sancti coluntur in Ecclesia Catholica, N. Perperam itaque contendunt Calvinistæ Apostolum eo loci damnare cultum Sanctorum & Angelorum, quia, ut egregie scribit in hunc locum Cornelius a Lapide, arguit ibi Apostolus hæreticos semi-Judæos, Simonem, Menandrum, Cerinthum, &c. qui Angelos ponebant quasi minores Deos Christo utpote puro nomine nobiliores, tum quod sunt puri spiritus, tum quod censebant eos esse mundi opifices; quo fit ut toties divus Paulus, ut v. g. in Epist. ad Ephesios cap. 1. & ad Hebræos similiter cap. 1. Christum extollit super Angelos, eumque docet rerum omnium opificem.

Non aliam fuisse S. Pauli mentem ex hoc ipso loco intelligitur, versiculo enim sequenti addit, *Non tenens caput*, Christum scilicet; quia, ut dixi, dicebant illi hæretici Angelos esse nobiliores Christo, Christum nolebant esse Angelorum caput, Christum mediatorem rejiciebant: legi possunt super ea re S. Irenæus lib. 1. cap. 20. S. Epiphanius in hæresi Simonis, Menandri, Cerinthi; S. Hieronymus in Epistolâ ad Algasiam quæst. 10. & alii quamplurimi.

Objicies: Romanorum 10. cap. dicit S. Paulus, *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Sed, inquiunt Calvinistæ, in solum Deum creditur, juxta verba Symboli, *Credo in unum Deum*: ergo invocari non debent Sancti.

Respond. 1. ex illo argumento nimis probari; sequeretur enim nec ipsum invocandum esse Christum, quod tamen non pertendunt hæretici, ut manifeste patet ex præcedenti objectione.

Respond. 2. sensum verborum Apostoli esse quomodo invocabunt Dominum in quem non crediderunt? ut colligitur ex præcedentibus verbis, *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Quia prius est Deum cognoscere, & in eum credere, quam illum invocare.

Objicies: Ejusmodi Sanctorum invocatio injuriam facit Deo maximam, est enim cujusdam diffidentiæ signum; reclamante Scriptura quæ præcipit ut spem nostram in Deo collocemus, Joan. 16. cap. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Igitur.

Nego ant. quæ enim injuria Deo infertur, cum ejus amicos invocamus ut nostros intercessores & comprecatores? Non enim id fit ex diffidentia, sed potius quia honoramus quos Deus ipse honorari voluit, quemadmodum in usu positum est ut auxilium & opem administrorum regni imploremus ad gratiam & benevolentiam Regis obtinendam, citra ullam ipsius Regis injuriam.

Obji-

Objicies iterum: Constat ex Scripturis sufficientissimum esse pretium redemptionis Christi, ita ut nihil desit amplius, nullum requiratur supplementum, Rom. 8. capite: *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Igitur inutilis est invocatio Sanctorum.

Respondeo in Ecclesia Catholica non admitti invocationem ad obtinendas intercessiones Sanctorum, eo quod insufficiens credatur pretium Passionis & meritorum Christi; eodem quippe argumento colligeretur inutilia esse bona nostra opera in negotio salutis, ex eo videlicet quod Christus pro peccatis nostris abunde satisfecit; qua igitur ratione ab operibus bonis abstinere non debemus, tametsi Christus perfecte ac plene satisfecerit pro nobis; qua etiam ratione nostræ ipsorum preces non sunt inutiles, quia videlicet non funduntur quasi ex parte Christi Redemptionis aliquid desit, sed ut nobis ejusdem Christi merita applicentur; eadem ratione Sanctorum preces & intercessiones apud Deum adhibemus, ut suppleant quod ex parte nostra deesse posset.

Objicies: Communis est omnium Theologorum sententia Sanctos, cum semel e vivis excesserunt, nihil mereri quicquam posse: ergo frustra invocarentur.

Nego conseq. 1. quia ut aliquid pro nobis impetrare possint a Deo, sufficit eorum amicitia cum Deo. 2. quia Christus qui non est in via, nihil quoque meretur; sed nemo dixerit Christum nihil posse quicquam obtinere a Patre; scribit enim Apostolus ad Rom. c. 8. ipsum pro nobis orare; *Sedens ad dexteram Dei, interpellat pro nobis*, igitur.

Objiciunt hæretici nonnulla testimonia SS. Patrum qui neminem præterquam Deum invocandum esse expresse dicunt: ea simul omnia hic referemus, quod cum eandem contineant difficultatem, eadem responsione facile revincantur. Proferunt primum hæc verba S. Ignatii Martyris in Epist. ad Philadelphenses: *Virgines solum Christum præ oculis habete, & ejus Patrem in animabus vestris illuminatæ a Spiritu sancto.*

Idem scribit S. Clemens Alex. in l. 7. Stromatum pag. 721. *Est autem*, inquit, *extrema inscitia ab iis qui non sunt Dii tanquam a Diis petere, aut quæ non sunt utilia petere, ut illi qui petunt sibi mala quæ visione bona esse apprehendunt. Unde merito cum sit unus bonus Deus, ab ipso ex bonis alia quidem dari, alia permanere precamur nos & Angeli.*

S. Irenæus lib. 2. cap. 57. *Nec invocationibus Angelicis*, inquit, *nec incantationibus, nec aliqua prava curiositate, sed munde & pure & manifeste orationes dirigentes ad Dominum qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Jesu Christi invocat.*

Tertullianus libro Apologetici c. 30. *Nos enim*, inquit, *pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum ... oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt: hæc ab alio orare non possum, quam a quo scio me consecuturum, quoniam & ipse est qui solus præstat.*

Origenes l. 8. contra Celsum adhuc clarius loquitur: *Quippe solus*, inquit, *est orandus supremus Deus, sed & Unigenitus ejus est orandus, ac Primogenitus omnis creaturæ, hoc est Verbum Dei, postulandum ut ipse tanquam Pontifex orationem nostram, quæ ad ipsum pervenerit, ad Deum suum Deumque nostrum perferre velit.*

S. Ambrosius orat. de obitu Theodosii num. 36. eodem plane modo loquitur: *Sed tamen*, inquit, *tu solus, Domine, invocandus es, tu rogandus, ut eum in filiis repræsentes.* Et ita quidem alii Patres.

Res-

Respondeo nihil omnino ex istis Patrum testimoniis colligi posse adversus illam Sanctorum invocationem, quæ nunc usitata est in Ecclesia Catholica, quia nempe non commendatur ibi invocatio Dei per exclusionem ad preces quibus invocari solent Sancti cum Christo regnantes, quod ut melius intelligatur, paucis respondendum est ad singula loca quæ proponuntur.

Ac 1. quod spectat testimonium quod citatur ex Epistola S. Ignatii, dico. 1. hunc locum non extare in genuina S. Ignatii Epistola ad Philadelphenses, 2. nimis probare hoc argumentum; probaret enim licitum non esse preces suas dirigere Spiritui sancto, quod tamen nec ipsi pertendunt adversarii. 3. nullius momenti est quod objicitur; quisquis enim Sanctos invocat, non desinit Christum Dominum & ejus Patrem invocare; verba autem, *solum Christum præ oculis habere*, significant tantum debere nos Deum tanquam primarium ac principale objectum respicere. Denique ejusmodi locutiones, quibus aliquid soli Deo tanquam ei proprium tribuitur, absolute intelligi non debent, sed cum aliqua restrictione, spectando nimirum rationem secundum quam illud ipsum Deo soli convenit, ut cum in Scripturis Deus dicitur solus habere immortalitatem, solus dicitur invisibilis, subaudiri debet, a se primario & independenter; qua quidem ratione, si præsenti materiæ applicetur, præfata sanctorum Patrum loca facile intelliguntur.

Ad secundum testimonium quod est Sancti Clementis Alexandrini, respondeo similiter hunc sanctum Scriptorem non excludere invocationem Sanctorum; totus est ibi ut gentiles redarguat, quod ab illis qui dii sunt, tanquam a diis aliquid petunt. Cum autem Sanctos invocamus, non ab illis tauquam diis, sed tanquam Dei servis & amicis petimus.

Plus virium non est in verbis sancti Irenæi, qui quidem eo loci Valentinianos impugnat qui Æonas suos & falsos Angelos etiam per incantationes invocabant; an vero & invocare Spiritum sanctum non licet, quia de illo nullam habet mentionem Sanctus Irenæus?

Quod objicitur ex Tertulliano, prorsus nihil ad rem facit; insurgit enim adversus Ethnicos, qui ægre ferebant Christianos pro Imperatoribus non orare falsos deos: ait autem eorum hunc esse morem, ut verum Deum omnium bonorum auctorem invocent, nulla quidem mentione facta intercessionis Sanctorum, sed quam nullo pacto rejicit.

Non absimili modo Origenes affirmat neminem alium quam verum Deum esse colendum, disputando adversus Celsum qui rixam movebat Christianis, quod falsis diis & dæmonibus ipsis suas non dirigebant preces; *Apage*, inquit ibidem, *illud consilium Celsi dicentis supplicandum esse dæmonibus, non enim ullo modo ei auscultandum est; quippe solus est orandus supremus Deus, &c.* Quocirca mirum nemini videri debet Origenem de sola invocatione agere, quæ Deo vero & supremo competit, nullamque prorsus habere mentionem de Sanctorum intercessione.

Demum eadem ratione ex allato sancti Ambrosii testimonio efficitur, scilicet solus Deus invocandus est tanquam primarium cultus nostri objectum, tanquam omnium bonorum autor; sed non inde sequitur & Sanctos suos quoquo modo invocandos, consule quæ scribit S. Ambrosius lib. de Viduis, quem supra citavimus, ubi tam Angelos quam Martyres docet obsecrandos.

Utrum

Utrum Sancti audiant & cognoscant preces nostras.

CUm illud imprimis adversus præcedentem doctrinam objiciant hæretici, quod Sancti in cœlo regnantes non audiunt preces nostras, juvat in ista re excutienda paululum immorari, tum vero paucis ostendere Sanctos corpore functos res curare nostras, nec postulantium vota ignorare, neque enim mihi probatur sententia Hugonis a S. Victore qui scribit qu. 228. in Epist. ad Rom. nihil interesse ad Sanctorum invocationem, quod isti audiant nos vel non audiant: *Sanctos*, inquit, *pro nobis interpellare non est aliud quam Deum pro meritis eorum bonos affectus quos habemus in eos propter Deum remunerare, & ideo nihil interest sive nos audiant, sive non*.

CONCLUSIO.

Sancti cognoscunt preces nostras.

Probatur ex capite 16. sancti Lucæ, ubi legitur Abraham in quodam salutis loco quiescentem ab divite Epulone longe dissitum, quia ut habetur versiculo 26. inter utrumque *magnum erat cahos*, ejus tamen preces audivisse, versic. 24. & ipse clamans dixit: *Pater Abraham, miserere mei ... Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua*, &c. Ex quo facile intelligitur Sanctos cum Christo regnantes viventium preces audire, quantumvis longissimo intervallo a nobis remoti sint.

Favet autem quam plurimum huic sententiæ, ut optime observat Estius, quod non semel legimus in Scripturis occultas hominum cogitationes vel etiam actiones, Sanctis nonnunquam innotuisse viris adhuc mortalem hanc vitam agentibus, per divinam nempe revelationem, 1. Reg. cap. 9. vers. 10. Samuel dixit Sauli: *Omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi*; scilicet, ut legitur ibidem versiculo 15. *Dominus revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem quam veniret Saul*. Sic & in novo Testamento S. Petrus malas artes & dissimulationem Ananiæ & Saphiræ cognovit Deo similiter revelante, quidni igitur dici poterit Sanctos cognoscere preces ad ipsos directas?

Atque id insuper colligitur quod non raro legitur in Scripturis, actiones nostras vel occultissimas, imo & cogitationes ab Angelis plerumque cognosci, Psal. 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi*. Porro conspectus significat notitiam, & Psalmus est quoddam orationis genus. Psal. 90. dicuntur custodes hominum, *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Non possunt autem custodire homines quin cognoscant eorum vias, hoc est singulas actiones & desideria.

Huc pertinet quod scribit Apostolus 1. ad Cor. cap. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus*. Hinc enim apertum est Angelos cognoscere quæ spectant Ecclesiam militantem, cujus caput est Christus. Ex quibus consequens est Sanctos qui cum Angelis regnant in cœlis, preces hominum ad se directas cognoscere per divinam, ut puto, revelationem.

Denique eadem doctrina constat ex allatis supra sanctorum Patrum testimoniis, ibi enim plerumque docent beatos spiritus ex alto videre, inspicere, & audire hominum supplicantium preces; quo fit, ut ibidem observavimus, ut ab omni ævo in Ecclesia legantur Litaniæ, in quibus Sanctos precamur ut pro nobis Deum orent, quod certe stultum ac insulsum foret, nisi vel ab illis temporibus ea fuisset Catholicorum mens, eosdem Sanctos hominum supplicantium preces cognoscere.

Objicies: Job. cap. 14. de mortuo sic loquitur: *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget*: igitur eorum

rum quæ fiunt in mortali hac vita notitiam nullam habebunt mortui.

Dist. conseq. plerumque naturaliter & citra revelationem a Deo factam, C. si sermo sit de Sanctis extraordinarie per divinam revelationem agentibus, N. Hujus itaque Jobi sententiæ sensus est, mortuos ordinarie loquendo non cognoscere quid agant homines in hac vita degentes, quemadmodum etiam intelligi debent hæc Ecclesiastis verba cap. 9. *Viventes sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius*. Sed ex istis colligi non debet Sanctos, quos supponimus non agere naturaliter, nullam rerum quæ hic aguntur, habere notitiam. Nimis certe probaret illud argumentum; probaret enim Sanctos nec seipsos, nec suum vel bonum vel malum statum cognoscere, &c.

Objicies: Legitur Isaiæ 63. Abraham & Jacob res Judæorum ignorasse; *Tu enim pater noster & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos*. Igitur mortui tametsi sancti sint cum Christo regnantes, vota nostra non cognoscunt.

Respondet Cornelius a Lapide Hebraismum esse in illis Isaiæ verbis, quatenus videlicet solent Hebræi præcellentiam unius præ altero significare per negationem unius quod minus est, ut Christus ait Matth. 23. *Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester qui in Cœlis est*. Quibus verbis non vetat quin parentes agnoscantur, sed jubet Deum Patrem illis præferri. Quapropter Judæi hoc in loco minime negant Abraham suum patrem, sed Deum in curis paternis ei præferunt.

Quanquam negari omnino potest paritas quæ hic instituitur, tametsi enim Abraham & alii Patriarchæ veteris Testamenti nullam habuerint curam & notitiam rerum Judaicarum post mortem, dum scilicet adhuc in limbo degebant, non idem ac par judicium ferendum de Sanctis in novo Testamento; hi enim in Cœlis regnant cum Christo, atque ita per divinam revelationem, vel alio peculiari modo, preces supplicantium cognoscunt.

Objiciunt hæretici hunc locum e quarto Regum cap. 22. deprompt um, ubi Josiæ Regi sic loquitur Dominus versiculo 20. *Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum*. Igitur.

Respondeo de corporeo viventis aspectu exponenda esse hæc verba, ut satis intelligitur ex ipso contextu, *ut non videant oculi tui*; at vero dici quoque potest, videre, eo loci idem esse ac per experientiam cognoscere, vel gravari cognoscendo, quatenus hoc concedit Deus Josiæ Regi piissimo, ut morte præventus imminentes populo miserias visurus non sit; & certe hæc nihil ad invocationem Sanctorum.

Objiciunt insuper nonnulla Scripturæ loca, in quibus legitur Dei solius esse, nosse corda hominum & cogitationes, ita Jerem. 17. *Paratum est cor omnium & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes*. Igitur, inquiunt, nec preces nostras cognoscunt Sancti.

Dist. conseq. propria vi & citra divinam revelationem, C. Deo ita volente, N. Certe ex iisdem Scripturis nihil est magis Deo proprium quam futura cognoscere; Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt*, ait Dominus, & *sciemus quia Dii estis vos*. Atqui tamen hanc futurorum notitiam Deus nonnunquam communicavit Prophetis: ergo nil obstat quominus dicantur Sancti vota nostra & preces cognoscere, Deo scilicet illas revelante, licet persæpe legatur in Scripturis solius Dei esse nosse corda hominum.

Instabis: Si Sancti cognoscerent preces ad ipsos directas, omnes Sancti, nullo excepto, cognoscerent quando-

cunque orat aliquis dicens: *Omnes Sancti orate pro me ;* quod videtur absurdum.

Respondeo nihil necesse ut dicatur Sanctos cognoscere omnes & singulas supplicantium preces, quotiescunque preces istæ Litaniarum ad ipsos diriguntur, quia nimirum probabile est illos nonnisi per revelationem a Deo factam, notas habere hominum preces ; quando vero & qualis sit ejusmodi revelatio quis novit ?

Objicies: Incertum est revera quomodo Sancti cognoscunt nostras preces: Igitur gratis illud admittitur.

Nego conseq. multa enim sunt quæ necessario admittimus, quamquam fateamur nos omnino non intelligere quomodo fieri possint, ut ostendi posset innumeris propemodum exemplis, tum in ordine naturali, tum in supernaturali. In priori quidem admittimus peccatum originale in omnes & singulos homines ab Adamo transmissum, sed quomodo traducatur, nemo huc usque explicare potuit. In posteriori autem ordine fieri æstum maris nemo negat, quomodo fiat omnes ignorant. Stultum est igitur hoc Calvinistarum ratiocinium, quo videlicet ex eo negant ad Sanctorum notitiam pervenire preces nostras, quod modus quo id fit plane incertus est.

Huic igitur quæstioni difficillimæ non modo Scholastici, sed & antiqui Patres diversimode responderunt; unum aut alterum super ea re adducemus testimonium.

Putavit S. Hieronymus ex hoc Sanctos cognoscere preces nostras, quod ipsi quodammodo sint ubique; sic enim disputat in Vigilantium: *Ais*, inquit, *vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & ubi voluerint, adesse præsentes ..... Tu Deo leges pones ? tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem Judicii teneantur custodia ; nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est, sequuntur Agnum quocumque ierit, si Agnus ubique, ergo & hi qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia ubique præsentes sint, arca operientur inclusi, & exire non poterunt ?*

Sapienter suo more huic propositæ quæstioni respondet S. Augustinus, ait nimirum sibi omnino incertum esse quomodo Sancti mortuis opitulentur, lib. de cura gerenda pro mortuis cap. 15. *Ista quæstio*, inquit, *vires intelligentiæ meæ vincit, quemadmodum opitulentur Martyres iis quos per eos certum est adjuvari ; utrum ipsi per seipsos adsint uno tempore tam diversis locis, & tanta inter se longinquitate discretis, sive ubi sunt eorum memoriæ, sive præter suas memorias ubicunque adesse sentiuntur .... An Deus omnipotens qui est ubique præsens, exaudiens Martyrum preces, per Angelica ministeria usquequaque diffusa præbeat hominibus ista solatia .... Res hæc altior est quam ut a me possit attingi, & abstructior quam ut a me valeat perscrutari. Et ideo quid horum duorum sit ; an vero fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo, mallem a scientibus ista perquirere.*

Quod si tamen necesse sit rem istam sine hæsitatione definire, dicere mallem cum eodem S. Augustino preces nostras cognosci a beatis spiritibus Deo specialiter ipsis revelante; ia sanctus Doctor præfati lib. cap. 15. *Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quos necessarium est ea nosse, non solum præterita vel præsentia, verum etiam futura Spiritu Dei revelante cognoscere, sicut non omnes homines, sed Prophetæ dum hic viverent, cognoscebant ; nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda Dei* pro-

providentia judicabat. Quæ quidem sententia utpote verisimillima, Theologis fere omnibus arridet.

Utrum Sancti pro nobis apud Deum intercedant?

SEquitur altera quæstio quæ versari solet apud Theologos, in qua quidem hanc nostram declaramus sententiam.

CONCLUSIO.

Sancti cum Christo regnantes apud Deum pro nobis intercedunt.

Probatur ex iis quæ a nobis superius adducta sunt, ut ostenderemus antiquissimum fuisse in Ecclesia Catholica usum invocandi Sanctos, in illis quippe SS. Patrum testimoniis, quorum perpetuam & non interruptam traditionem adduximus, verbis conceptissimis legitur Sanctos idcirco honorandos, quod sunt amici Dei, & pro nobis apud ipsum mediatores, intercessores, advocati, &c.

Quibus adde momentum illud quod ibidem deprompsimus ex publicis Ecclesiæ orationibus, tum in Litaniis, tum inter Missarum solemnia recitari solitis a primis etiam temporibus; laudata super ea re testimonia ex Liturgiis S. Cyrilli Jerosolymitani, S. Chrysostomi, Veteris Ordinis Romani, & Sacramentarii S. Gregorii Papæ.

Adduximus etiam insignia hæc Patrum Concilii Chalcedonensis verba de Flaviano act. 11. *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret*.

Quibus adde præfationem de Apostolis, quæ legitur apud Pelagium II. Epist. 4. ubi hæc funditur precatio: *Ut gregem tuum, Pastor æterne, non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur quos operis tui vicarios, &c.*

Ex quibus certe sequitur Sanctos pro nobis apud Deum intercedere; frustra enim invocarentur a nobis; falso autem & absurde invocarentur tanquam protectores, mediatores, advocati, si Deum pro nobis non orarent.

Probatur insuper hæc eadem doctrina ex ea arctissima unione, qua nos adhuc in hac mortali vita degentes colligati sumus cum Sanctis in Cœlo regnantibus; quæ quidem *Communio Sanctorum* dicitur in Symbolo Apostolorum, & legitimum habet fundamentum in sancto Paulo ad Ephesios 4. dicente: *Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi*. Sed postulat illa communio, qua nempe cum Sanctis unum efficimus corpus, cujus caput Christus, ut ibidem docet Apostolus, ut mutua nobis exhibeamus officia, prout quemlibet in suo statu decet; hoc autem unum pro Sanctis præstare nos possumus, illos honorare tanquam Dei amicos, eorum studia & patrocinium implorare; possunt autem illi, ne dicam debent quatenus membra, nobis pro ea qua valent apud Deum autoritate succurrere, salutemque nostram piis supplicationibus apud Deum promovere; unde fit ut nemini dubium esse possit quin identidem pro nobis intercedant.

Quin & legimus in Scripturis Sanctos semel defunctos uti & ipsos Angelos, esse rectores, custodes ac gubernatores viventium, Apocalyp. 2. cap. *Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea*. Postulat autem illud gubernatoris officium, ut de salute hominum qui in terris degunt, beati spiritus sint solliciti, eamque per suas preces procurent.

Certe, ut merito observat Estius, duplici exemplo demonstrari potest Sanctos pro nobis apud Deum intercedere;

 pri-

primum sumitur ab sanctis Angelis, quorum piam pro hominibus curam legimus passim in Scripturis; secundum petitur ex eo quod non minus frequenter ibidem legitur homines hac in vita pro aliis hominibus Deum orare.

Ac de primo quidem exemplo constat ex Psal. 90. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Daniel. 10. cap. *Et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps vester*. Idem confirmat tota Tobiæ historia, tum & invicte probant hæc divi Pauli verba ad Hebr. cap. 1. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?*

Alterum exemplum non minus repeti potest ex sacris Scripturis, quæ non semel exhibent alios pro aliis, Sacerdotes pro populo, justos pro peccatoribus orantes, Genes. 20. de Abraham, Dominus dicit ad Abimelech, *Quia Propheta est & orabit pro te, & vives*. Levitici cap. 4. & 5. hæc frequentissime leguntur: *Rogabit pro eo Sacerdos, rogabit pro ea Sacerdos*. Idem habetur passim in Epistolis sancti Pauli, qui studiose fidelibus præcipit ut pro se invicem Deum orent; quod idem expresse mandavit S. Jacobus cap. 5. suæ Epistolæ, *Orate*, inquit, *pro invicem ut salvemini*.

Ex quibus exemplis probabilissimum fit Sanctos cum Christo regnantes, pro viventibus Deum orare; hinc enim efficitur unum pro alio in societate hominum Deum interpellare posse, unum de salute alterius esse sollicitum, ac demum quandoque exaudiri, quod utique inquirendum nunc restat.

Utrum Sanctorum precibus & meritis interdum adjuventur Fideles?

CONCLUSIO.

SAnctorum precibus & meritis interdum adjuvantur fideles.

Probatur ex publicis Ecclesiæ orationibus ab omni ævo usitatis, quibus petitur a Deo ut per Sanctorum intercessionem & merita divinam suam protectionem nobis concedat; sic habetur v. g. in quadam oratione: *Quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur*. Sacerdos in canone Missæ post laudata plurimorum Sanctorum nomina, addit, *quorum meritis precibusque concedas*. Innumera hanc in rem referri possent exempla, ex quibus abunde persuadetur eam apud Christianos semper fuisse sententiam, non modo Sanctos intercedere pro nobis, sed eorum precibus meritisque divina conciliari beneficia. Ista certe & quæcunque superius a nobis adducta sunt, ita sunt inter se connexa, ut uno semel admisso, cætera merito inferantur; nimirum si pius habitus est semper in Ecclesia Catholica mos colendi & invocandi Sanctos tanquam mediatores apud Deum, sequitur inde eosdem beatos spiritus revera pro nobis intercedere apud Deum; sed frustra dicerentur intercedere, nisi meritis ipsorum adjuvaremur.

Nititur hæc nostra doctrina præcepto Christi quod habetur Lucæ cap. 16. his verbis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*. Unde sequitur non modo per preces, sed & per eleemosynam, adeoque & per aliud quodcunque bonum opus excitari posse sanctos Cœlites, ut pro fidelibus intercedant apud Deum, eosque suis meritis adjuvent.

Hunc

Hunc certe Scripturæ locum de Sanctorum meritis hoc modo interpretati sunt S. Ambrosius in eundem locum, S. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei c. 27. S. Gregorius M. homil. 40. in Evangelia his verbis: *Rogant nos*, inquit, *qui tunc pro nobis intercessores venient*.

Favent autem apertissime ea Scripturæ loca in quibus legitur Deum vel beneficia præstare, vel mala a quibusdam hominibus in hac mortali vita degentibus avertere, in gratiam & propter merita aliorum qui vitæ & morum sanctitate clariores sunt. Geneseos cap. 18. Abrahæ promittit Deus futurum ut Sodomis parcat, si reperiantur in civitate decem justi. Exodi 32. c. Moyses orabat Deum, dicens: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum*. Ut videlicet pro istorum Patriarcharum meritis populum non disperderet. Daniel. 3. sic oravit Azarias in medio ignis: *Neque auferas*, inquit, ad Deum, *misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum*.

Quin & alia exempla in eadem occasione contra Vigilantium urget sanctus Hieronymus: *Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiverint. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias & triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas, &c.* Igitur & precibus & meritis Sanctorum interdum adjuvantur fideles hac in mortali vita degentes.

Quod si quæratur utrum similiter Sancti apud Deum intercedant pro animabus in Purgatorio detentis.

Respondeo affirmative, primo quia hoc idem etiam manifestum est ex publicis Ecclesiæ orationibus; quædam enim fiunt in eundem finem pro defunctis, ut videlicet ad eandem beatitudinem perducantur: in quadam oratione quæ his verbis incipit, *Deus veniæ largitor*, Deum suppliciter oramus ut *eos qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria intercedente & omnibus Sanctis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedat*. In publicis Litaniis invocantur Sancti, quod impetrent a Deo, *Ut omnibus fidelibus requiem æternam donare dignetur*.

Ratio autem sumitur, ut jam diximus, ex communione Sanctorum, quæ postulat ut qui sunt ejusdem corporis membra mutuo sese adjuvent, juxta illud Apostoli 1. Corint. cap. 12. *Ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra*. Unde cum hujus corporis quod est Christus, membra sint mortui qui patiuntur in purgatorio, compati quodammodo debent Sancti qui cum Christo regnant in Cœlis, & consequenter pro illis Deum orare, ut a pœnis purgatorii liberentur.

De Sanctorum Reliquiis, earumque veneratione.

Postquam fuse satis a nobis dictum est de invocatione Sanctorum, eorumque meritis atque intercessionibus apud Deum, superest ut quod certe non parum ad eorum cultum stabiliendum conferre potest, de illorum Reliquiis earumque veneratione speciatim differamus;

mus; ita enim sese res habuit, ut qui hæretici cum antiqui, tum recentiores cultum & honorem Sanctorum insectati sunt, hoc potissimum reprehenderunt in Christianis, quod Sanctorum ossa & cineres in summa veneratione haberent.

Nihil autem, meo quidem judicio, illustrius & opportunius præstare nunc possumus ad vindicandam super ista re hodiernam Ecclesiæ Catholicæ praxim, quam si, non omnia quidem nec multa, sed insignia quædam proferamus SS. Patrum testimonia, quæ fidem faciunt perpetuam & constantem fuisse consuetudinem in Ecclesia, Sanctorum ac præcipue Martyrum Reliquias celebrare, ad eorum sepulcra devote & frequenter accurrere, super his basilicas condere, summo cum honore illas deportare, tum vero Christianos semel persuasos illis cœlestem quandam inesse vim morbos ac dæmones expellendi, Martyrum tumulos frequentasse, ibique vota sua direxisse & alia id genus, quæ certissima sunt argumenta venerationis, qua semper & ubique in Ecclesia Catholica exceptæ sunt Sanctorum Reliquiæ.

Initium facimus ab Epistola Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio sancti Polycarpi, ubi sic describitur: *Sed cum æmulus ille ac invidus & malus, justorumque generi adversus cerneret insigne illius martyrium.... operam dedit ne Reliquiæ ejus a nobis auferentur, quamvis multi id facere cuperent, & sancto illius corpori communicare.... Videns autem Centurio a Judæis ortam contentionem, corpus in medio ignis positum excussit; atque ita non postea ossa illis gemmis pretiosissimis exquisitiora & super aurum probatiora tollentes, ubi decebat deposuimus. Quo etiam loci nobis ut fieri poterit congregatis, in exultatione ac gaudio præbebit Dominus natalem martyrii ejus diem celebrare, tum in memoriam eorum qui certamina pertulerunt, tum in venturorum hominum exercitationem & alacritatem*. Extat insigne illud Christianæ antiquitatis monimentum apud Cotelerium pag. 1025.

Sequitur sanctus Cyprianus, qui testis est locupletissimus pro tertio sæculo venerationis qua solebant corpora Martyrum excipi; Epistola 37. ad Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Carthaginensis, *Corporibus etiam omnium*, inquit, *qui etsi torti non sunt in carcere, tamen glorioso mortis exitu excedunt, impertiatur & vigilantia & cura propensior; neque enim virtus eorum aut honor minor est, quominus ipsi quoque inter beatos Martyres aggregentur... denique & dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus*.

Insigne est Concilii Gangrensis ea de re decretum can. 20. ubi sic habet: *Si quis superbo affectu utens & abhorrens conventus Martyrum, & sacra quæ in eis celebrantur & eorum memorias, anathema sit*. Igitur sacrificia peragebantur in memoriis, hoc est, in basilicis, aut altaribus, in honorem Martyrum erectis.

Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus scribit Catechesi 18. honorandas Sanctorum Reliquias, & iis inesse mirabilem quandam virtutem; *Ut autem*, inquit, *non solum anima Sanctorum honoretur, credaturque quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus seu potentia, jacens in sepulcro Elisæi mortuus, mortuumque corpus Prophetæ attingens vivificatus est... & ut demonstretur quod absente etiam anima inest virtus quædam ejusmodi corporibus Sanctorum, propter tot annorum inhabitatas in illis animas justas, quorum ministerio usæ sunt*.

Item S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. adversus Julianum Apostatam, in istius impietatem sic insurgit: *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? Nec magnos pugiles extimuisti... quibus præclari honores & festa constituta sunt, a quibus dæmones propelluntur & morbi cu-*

ran-

rantur, *quorum apparitiones & prædictiones*, *quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ*, *sive tangantur sive honorentur*. Oratione 18. in sanctum Cyprianum, sic habet: *Vestræ jam partes sunt ea quæ restant a vobismetipsis adjungere*, *dæmonum nimirum oppressionem*, *morborum depulsionem*, *futurarum rerum prænotionem*, *quæ quidem omnia vel cineres ipsi Cypriani efficiunt*, *quemadmodum experti norunt*, *& miraculum ad nos usque transmiserunt*.

Sanctus Basilius homil. in Psal. 115. legem antiquam comparans cum nova: *Pro Legis Judaicæ ritu*, inquit, *si qui moriebantur*, *horum morticinia habebantur abominationi; contra mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine*, *pretiosæ censentur Reliquiæ Sanctorum ejus in priori lege ..... Nunc e diverso Martyris ossa quisquis attigerit*, *ob gratiam corpori insidentem fit quadantenus sanctificationis particeps*. Quibus verbis nihil omnino hac in re desiderari potest.

Sanctus Gregorius Nyssenus orat. in 40. Martyres, hoc utitur elogio quod omne pro Sanctorum Reliquiis venerationis genus nunc apud nos usitatum eximie celebrat: *Combusta sunt*, inquit, *corpora*, *eaque flamma excepit; cineres vero illi & incendii Reliquiæ in orbem terrarum ita divisæ sunt*, *ut ferme quælibet provincia benedictionem inde participet*. Narrat subinde miraculosam quandam historiam, in cujus decursu hæc leguntur: *Quando enim primum festum diem ob Reliquias acturi eramus*, *& urnam in sanctam Ecclesiam illaturi ... Et cum pervigilium obiretur in horto*, *ubi etiam Sanctorum Reliquiæ Psalmis honorabantur ... hæc recensuerim ut credamus Martyres vivere*, *& Dei quasi stipatores & assessores esse*, *qui hodie Ecclesiæ & emolumento & ornamento sunt*.

S. Hieronymus eundem sanctissimum Ecclesiæ ritum colendi Martyrum Reliquias fortiter vindicavit libro jam a nobis non semel laudato adversus Vigilantium. *Dolet*, inquit, *Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine*, *& non vel pannis vel cilicio colligari*, *vel projici in sterquilinium*, *ut solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur*. *Ergo sacrilegi sumus*, *quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantius Imperator*, *qui sanctas Reliquias Andreæ*, *Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim*, *apud quas dæmones rugiunt*, *& inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est*, *& nunc Augustus Arcadius*, *qui ossa Beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi*, *sed & fatui judicandi*, *qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico & vase aureo portaverunt?* Et comment. in Isaiam c. 65. *Omnesque hæretici quales nuper sub magistro cerebroso*, Vigilantio, *in Gallia pullularunt*, *qui Basilicas Martyrum declinantes*, *nos qui ibi orationes ex more celebramus*, *quasi immundos fugiunt*. *Hoc autem non tam illi faciunt*, *quam habitantes in eis dæmones fortitudinem & flagella sancti cineris non ferentes*.

Eximium est quod scribit S. Ambros. Epist. 22. editionis novæ de Reliquiis Sanctorum Gervasii & Protasii, *Formidantibus Clericis*, inquit, *jussi eruderari terram eo loci qui est ante cancellos Sanctorum Felicis atque Naboris*. *Inveni signa convenientia adhibitis etiam quibus per nos manus imponenda foret: sic sancti Martyres eminere cœperunt*, *ut adhuc nobis silentibus arriperetur urna & sterneretur prona ad locum sancti Sepulcri*, *invenimus miræ magnitudinis viros duos*, *ut prisca ætas ferebat*. *Ossa omnia integra*, *sanguinis plurimum*, *ingens concursus populi per totum biduum; quid multa? Condivimus integra ad ordinem*, *transtulimus vespere jam incumbente ad Basilicam Faustæ: ibi Vigilio tota nocte*, *manus impositio*. *Sequenti die transtulimus ea in Basilicam quam appellant Am-*

Ambrosianam, dum transferimus, cæcus sanatus est.

Hujus historiæ testis fuit oculatissimus S. Augustinus ut ipse denarrat lib. 9. Confessionum cap. 7. his verbis: *Tunc memorato Antistiti tuo per visum aperuisti quo loco laterent Martyrum corpora Protasii & Gervasii, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, unde opportune promeres ad coercendam rabiem fœmineam, sed regiam. Cum enim propalata & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam Basilicam, non solum quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem dæmonibus sanabantur, verum etiam quidam plures annos cæcus civis civitatique notissimus, cum populi tumultuantis lætitiæ causam quæsiisset atque audivisset, exsilivit, eoque se ut duceret, suum ducem rogavit. Quo perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod ubi fecit atque admovit oculis, confestim aperti sunt.*

His ultro astipulatur S. Chrysostomus in locis prope innumeris, sic v.g. hom. in Juventinum & Maximum Martyres, populum adhortatur: *Idcirco sæpe eos invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide Reliquias eorum complectamur, ut inde benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut milites vulnera, quæ in prœliis sibi inflicta Regi monstrantes fideliter loquuntur; ita & illi in manibus abscecta capita gestantes & in medium afferentes, quæcunque voluerint apud Regem Cœlorum impetrare possunt.* Et hom. 47. quæ est in S. Julianum, *Sume*, inquit, *quempiam a dæmone correptum ac furentem, & ad sanctum illud sepulcrum deduc, quo Reliquiæ Martyris continentur, tum resilientem plane atque fugientem videbis.* Vide homil. 36. in Epist. 2. ad Corinthios.

At vero ne in immensum crescat ista oratio, in re aliunde minime necessaria, omitto cætera hic describere aliorum Patrum testimonia, qui totius Ecclesiæ quam late diffunditur, eandem illam praxim in quavis ætate, Sanctorum Reliquias celebrandi confirmarunt; consuli possunt sanctus Paulinus in natali sancti Felicis, Prudentius in hymno primo de sanctis Hemiterio & Chelidonio, in hymno secundo de S. Laurentio, & aliis hymnis tertio, quarto & quinto; Asterius Amasenus in Encomio Martyrum, S. Cyrillus Alexandr. lib. 6. contra Julianum, Gaudentius Brixiensis tractatu 17. de dedicatione Basilicæ Sanctorum quadraginta Martyr. Theodoretus orat. 8. contra gentes, Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 55. ad Hieracem gentilem, Basilius Seleuciensis orat. de Annuntiatione, S. Leo Magnus sermone 2. de natali Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Eusebius Emissenus hom. 1. de S. Stephano, & alii omnes nullo excepto Autores Ecclesiastici, apud quos crebra mentio est venerationis, qua per omnem Christiani orbis plagam Reliq. SS. exceptæ sunt.

Adversus constantem illam Ecclesiæ Catholicæ praxim, hoc unum, quod nonnihil virium & probabilitatis habeat, opponere possunt hæretici nostri, uti revera opponunt, manifestos esse qui in ejusmodi Reliquiarum cultum obrepserunt abusus, quorum hic certus est ex omnium consensu, plurimas coli solitas in Ecclesiis sine delectu & falsis nominibus donatas, aut saltem valde dubias; in cultu autem omni objectum debet esse certum, alioquin non foret religiosus, sed ridiculus & superstitiosus.

Huic objectioni duo respondemus: primum eam semper fuisse Ecclesiæ doctrinam & mentem solas coli tantum debere Sanctorum Reliquias, quarum certo & sufficienti examine probata esset fides; ita ut, si qua alicubi irrepserit fraus, id non sit ipsi tribuendum Ecclesiæ, sed privatis quibusdam hominibus male piis ac religiosis, quorum superstitionem detestatur Ecclesia.

Al-

Alterum eſt, ſummo ſemper cum ſtudio ac vigilantia in id incubuiſſe Eccleſiæ Præſules, ut ab veris falſæ diſcernerentur Reliquiæ, atque ita demum veræ religioſe colerentur, falſæ autem rejicerentur; inſigne eſt quod in hunc finem ſanxit Laodicena Synodus canone 38. his verbis: *Quod omnem Chriſtianum non oporteat deſerere Martyres Chriſti, & ire ad Pſeudomartyres, id eſt hæreticorum, & quos ipſos conſtat hæreticos extitiſſe; hi namque ſunt alieni a Deo, ſint igitur anathema qui ad tales acceſſerint*.

Idem apparet ex Optato Milevitano, qui lib. 1. num. 16. ſcribit ex eo prodiiſſe Donatiſtarum ſchiſma, quod Cœcilianus Lucillam redarguit, quæ os cujuſdam Martyris nondum vindicati, hoc eſt nondum in numerum Martyr. ab Eccleſia relati, ut optime interpretatur Ludovicus Ellies du Pin Optati Scholiaſtes doctiſſimus, fuerat deoſculata. En verba ipſa Optati, *Nemo eſt qui neſciat, per Lucillam ſcilicet, neſcio quam fœminam factioſam, quæ ante concuſſam perſecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo eſſet Eccleſia, cum correptionem Archidiaconi Cœciliani ferre non poſſet, quæ ante ſpiritalem cibum & potum, os neſcio cujus Martyris, ſi tamen Martyris, libare dicebatur; & cum præponeret calici ſalutari os neſcio cujus hominis mortui, etſi Martyris, ſed necdum vindicati, correpta cum confuſione diſceſſit irata*. Adeo cautum erat in Eccleſia, ne vel ipſi Martyres, qui certiſſime ſancti ſunt, tanquam ſancti colerentur, priuſquam in numero ſanctorum Cœlitum publico Eccleſiæ decreto referrentur.

Idem inſuper colligitur ex quadam hiſtoria S. Martini, quam Severus Sulpitius refert in ejus vita c. 8. his verbis: *Erat haud longe ab oppido proximus Monaſterii locus, quem falſa hominum opinio velut conſepultis ibi Martyribus ſacraverat; nam & altare ibi a ſuperioribus Epiſcopis conſtitutum habebatur. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his qui majores natu erant Presbyteris vel Clericis flagitabat ſibi nomen martyris vel tempora paſſionis oſtendi, grandi ſe ſcrupulo permoveri quod nihil certi conſtans ſibi majorum memoria tradidiſſet. Cum aliquandiu ergo a loco illo ſe abſtinuiſſet, nec derogans religioni quia incertus erat, nec autoritatem ſuam vulgo accommodans, ne ſuperſtitio convaleſceret, quodam die paucis adhibitis fratribus ad locum pergit; deinde ſuper ſepulcrum ipſum ſtans oravit ad Dominum, ut quis eſſet, vel cujus meriti ſepultus oſtenderet. Tum converſus ad lævam, vidit prope aſſiſtere umbram ſordidam, trucem, imperat nomen meritumque ut loqueretur. Nomen edicit, de crimine confitetur (latronem ſe fuiſſe ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum, ſibi nihil cum Martyribus eſſe commune, cum illos gloria, ſe pœna retineret.) Mirum in modum vocem loquentis qui aderant audiebant, perſonam tamen non videbant. Tum Martinus quid vidiſſet expoſuit, juſſitque ex eo loco altare quod ibi fuerat ſubmoveri; atque ita populum ſuperſtitionis illius abſolvit errore*. Hanc tametſi prolixam exſcripſi Severi Sulpitii hiſtoriam, quia inſigne eſt antiquitatis monimentum, ex quo manifeſtum eſt & Reliquias Sanctorum cum honore ſummo fuiſſe tunc temporis exceptas, & ex altera parte ab illarum veneratione idcirco abſtinuiſſe S. Martinum, quod veræ & certæ non habebantur, quam quidem cautionem in præſenti caſu Deus ſingulari miraculo comprobavit.

IN-

INDEX QUÆSTIONUM

Et Conclusionum Tractatus de Incarnat. Verbi Divini.

As-

Utrum

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
QUÆ CONTINENTUR IN TOMO TERTIO.

Oppo-

Quæ

Gra-

L.

Sta-







